33114/A/1

N iv-h
16

LEONARDUS

62639

CAMILLI LEONARDI

SPECULUM LAPIDUM,

ET

D. PETRI ARLENSIS

DE SCUDALUPIS,

PRESBYTERI HIEROSOLYMITANI,

SYMPATHIA

SEPTEM METALLORUM

AC SEPTEM SELECTORUM LAPIDUM


AD PLANETAS.

ACCEDIT

MAGIA ASTROLOGICA

PETRI CONSTANTII ALBINII

VILLANOVENSIS.



HAMBURGI

Apud CHRISTIANUM LIEBEZEIT, 1717.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

GENEROSISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

PRINCIPI,

CAROLO GONSAGEO CLEVESIO,

NIVERNENSIVM ET RETELENSIVM DVCI

PETRVS ARLENSIS DE SCVDALVPIS

P. H. S. D.



ANTA est tua erga litteras omnesque literarum studiosos beneuolentia, Princeps illustrissime, quantum ego perspicio ex iis libris, qui à doctis hominibus indies aut sub tuo nomine, aut non sine honorifica mentione tui nominis, tam Latinè quam Gallicè eduntur, vt mihi nullum inter litteratos locum tenere posse visus sim, nisi aliquid etiam à me profectum sub tuo nomine appareret : quo & meæ erga te voluntatis & obseruantiæ significationem darem, & ingrati animi notam effugerem, si tuorum erga litterarum litterato-

rumque studia meritorum magnitudinem minus agnoscerem.

Ego igitur, Princeps illustrissime, do dedicoque tuæ Celsitudini hanc meam, quanquam leuioris operæ, Metallorum ac septem Lapidum Selectorum ad Planetas Sympathiam: Pictores antiquos imitatus, qui picturas suas exposituri, columnæ alicui celsæ ac sublimi appendebant, vt inde conspicientium oculis pulchriores ac venustiores viderentur. Siue enim stemmata, siue virtutem, siue etiam doctrinam considerem, quis inter huius seculi Principes te sublimior, quis celsior, quisue doctior? Tu non ex illorum Magnatum numero, qui prorsus ab omni librorum commercio ceu re noxia semper ablegati sunt: perinde quasi hæc demum nobilitas sola sit & heroica, nihil omnino vel scire, vel agere, præter aleam, venatus, moriones, & his etiam sordidiores voluptates. Tu virtutibus omnibus decorus inter æquales tuos refulges,

Velut inter ignes
Luna minores,

Tu eximium Galliæ decus, maximum lumen & ornamentum. Tua denique tota veteres, Heroum, Ducum, Marchionum, Regum & Imperatorum exornant vndique ce-

ræ Atria. Se

Sed quid memorem antiquos, cum Princeps generosiſſ. Ludov. Gonzaga pater tuus, pater patriæ ſuperioribus annis cœtum furiarum horrificum poſt inconuolutos multiplices caſus ceruicibus Franciæ totius inſidentem, tanto Gallorum gaudio repreſſerit, quanto poſt eorundem malo mortem obiit, citius quam oportuit, non ſine bonorum lacrimis, quibus integritas regni cordi eſt? Tu etiam hæres tantæ virtutis, Princeps illuſtriſſime, qua lætitia nuper Francorum omnium ac Italorum corda perfudiſti, cum à Rege Chriſtianiſſimo inter cæteros regni ſui Proceres delectus es tanquam magis dilectus, vt Legatione omnium Legationum glorioſiſſima fungereris, ac Romam, velut alter Cato triumphaturus, ingredereris? Quis dies pulchrior vniuerſo mundo vix vnquam illuxit? Potuit quondam, (inquit Valerius Maximus) M. Catonis ex Cypro cum regia pecunia reuertentis appulſus ad vrbem videri memorabilis, cui naui egredienti Conſules, & cæteri Magiſtratus, & vniuerſus Senatus, populusque Romanus officii cauſa præſto fuit. Sed quam notabilior celebritate & frequentia occurrentium introitus ille tuus, qui cum Regis omnium regum Chriſtianorum

Christianissimi regiis ad summum Ecclesiæ Pontificem mandatis adveniebas? Quod Cicero de reditu suo in patriam, hoc de tuo illo ad vrbem omnium vrbium nobilissimam aduentu merito dici potest, Vnum illum diem tibi quidem immortalitatis instar fuisse, cum Senatum egressum vidisti, populumque Romanum vniversum, cum tibi ipsa Roma prope conuulsa sedibus suis ad complectendum te Legatum sibi missum progredi visa est. Effusi obuiam Ciues triumphali circa currus tuos exultauere lætitia, & (quod Suetonius ait de quodam Imperatore) sexus, ætas, ordo omnis ad vigesimum usque lapidem effudit se. Dicam etiam quod Dionem de triumpho Augusti scripsisse comperi. Εἰσιόντι σοι οἵ τε ἱερεῖς καὶ ἡ βουλὴ, ὁ τε δῆμος, μετά τε τῶν γυναικῶν καὶ μετὰ τῶν τεκνῶν ἀπαντήσαν. *Dicam & cum Tacito de altera simili solennitate, inuenisse te obuias tribus festo cultu, Senatum coniugum ac liberorum agmina per sexum & ætatem disposita, extructos quà incedet res spectaculorum gradus, quomodo triumphi visuntur. Omnia denique vidisti referta ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum & instabile vestigium caperet, oppletas vndique vias angustumque tramitem relictum tibi: ala*

cre

crem hinc atque inde populum vbique per gaudium paremque clamorem: tam æqualis ab omnibus ex adventu illo tuo pompatico lætitia percepta est, quàm omnibus optatus adueneristi, quæ tamen ipsa cum ingressu tuo creuit, & pene in singulos gradus adaucta est.

Te igitur, Princeps illustrissime, cæteros inter Principes tantum caput extollentem,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

huic meo, quicquid est libello, patronum delegi: vt qui Principis in cognitione rerum abditarum cupidissimi es hæres, curiosam hanc & paucis adhuc cognitam Metallorum, & Lapidum ad Planetas Sympathiam, sub vmbra saltem tuæ Celsitudinis protegere digneris, ac benignitate tua defendere, quod temeritate mea incipit esse publicum. Iacta est alea: bene cadet, si extare poterit paratissimum erga te obsequii mei litteris consignatum testimonium gratique in sanguinem antiquum & verè regium Gonzagæorum, à quo multæ Potestates & Regna suum accepisse decus profitentur animi qualecumque monumentum. Vale Princeps verè felix, stemmatis æquè ac animi ornamentis illustrissime. Lutetiæ Parisiorum anno à partu virginis, MDCIX. V. Idus Decembr.

AD INVICTISSIMVM DVCEM NIVERNENSEM.

SIcut se referunt Gemmæ, atque Metalla Planetis,
Ad Charites sic se Dux generosus habet.
Certatim uno in eo cælestia corpora stillant.
Quidquid virtutis mens super astra potest.
O felix nimium, quem tanti Principis ambit
Gratia! non hominem crede, sed esse Deum.

Superanda omnis Fortuna.

HER-

HERMETI MAGNO,

D. PETRO ARLENSI DE SCUDALUPIS,



Haud dubium quin dent formam inferioribus alta
Sicut quæ in superis ima referre student.
Vrsas in glacie rigida vidisse sub Arcto,
Quæ cæli docuit, vis sit imaginibus.
Sed Terræ varios vmquam quis nosse meatus,
Astrorum & cursus, sympathiamque potest?
Omnem tu sensum superaueris vnus, Olympum
Coniugio stabili dum bene iungis Opi.
Clara Deûm soboles magnum Iouis incrementum,
Germanæ vxoris maximum & hoc opus est.
Dat cura quietem.

Ejusdem ad Constantem.

Constans Constantis constans constantia constat.
Cum stat constanti contrà contraria corde.

Ejusdem de Opere.

Ex auro bases, & sunt structura lapilli,
Vertice sublimi sidera clara ferit.

Ejusdem Magneti.

In centro Matris tu fundamenta locasti,
Erectumque caput fers super astra Poli.

IM DVPLICI AVTHORIS ANAGRAMMATE DVPLEX SENSVS.

PETRUS ARLENSIS,

LETVS RESPIRANS,

RARIS EST PLENVS.

LETVS RESPIRANS arctis ac rebus in amplis,
Pertentant tacitum gaudia plena sinum.

Idem.

SI quo vult spirat, vel fertur spiritus, ergo
LETVS RESPIRANS omnia læta facit.

Aliud Anagramma.

INscribunt alii vt commendent nomina libros,
Ast hoc grande tuum nomen honorat Opus.

SI

SI PETRVS ARLENSIS RARIS
EST PLENVS, abundè
Edere quid mirum, non nisi rara potest.

Dat cura quietem.

Ad Symbolum Authoris.

QVod miserûm gemitus audis, & dura ferentum,
Quodque feras illis, PETRE, benignus opem:
Clemens auxilio Deus est tibi rebus in arctis,
Σύμβολον vnde capis ritè, IVVANDO IVVOR.

Lazarus Mozenighus N.F.

Aliud Anagramma.

PETRVS ARLENSIS,

LARES TV SPERNIS.

ITaliam, patriosque LARES TV SPERNIS, vt orbem
Virtuti totum PETRE subesse probes.

Superanda omnis Fortuna

AD

AD EVNDEM
D. PETRVM ARLENSEM,

ERVDITISSIMI ET ILLVSTRISSIMI IVVENIS D. BALTHASARIS CORRANDI DE BOSCO COLLEG. SORB. SCHOLASTICI ALVMNI

CARMEN.



Dicitur astra humeris portasse micantia cœli
Atlas, quem tanto nomine fecit onus.
Magna quidem Atlanti laus est, tibi parua videtur
Cui cœlum & tellus sarcina parua fuit.
Cum terræ lapides variâ licet arte, metalla,
Astraque secretis prodis amica libris:
Fers cœlum terramque simul, mundusque recumbit
Ipse tuis humeris, sed magis ingenio.
Nec te presit onus, sed magno pondere maior
Est animus, nullis frangitur ille malis.
Sed veluti magno premitur quæ pondere palma,
Surgit; & in tenebris clarius ille micat,
Ille

Ille modo obscuras Ditis tentare latebras
Cernitur, inde aliis multa secreta refert,
Et modo per campos currit stellantis Olympi,
Vt discat motus sidereique poli.
Vnde tuum merito æternum per sæcula nomen
Ornatum meritis implet vtrumque polum.
Nec satis alta tuum nomen vulgare per orbem
Fama potest: meritis deficit illa tuis.
Deficit illa quidem quamuis non indiga: sed te
Nulla capit famæ, est quæque sit illa minor.
Si complet terras, fers terram; si æthera complet,
Est magis ætheream sustinuisse domum.
Tu terram cœlo jungis, tu sidera terræ,
Astris dum petras jungis, & astra petris.
Mox terræ immixtus terræ penetralia tentas,
Mox sublime tuum tollis ad astra caput.
Sicque omnem noscis terram, sic sidera cœli,
Sic terræ lapides, igniferumque polum.
Describunt alii populos, alii aspera bella.
Tu melius Ditis tecta secreta refers.
Illi bella canunt totum vulgata per orbem,
Cognita tu nullis, quæ tibi nota tamen.

Quis

Quis te cœlesti dicet non semine natum,
Qui tot tanta tuo concipis ingenio.
Cum tractas stellas, præclarum prodis abunde,
Et satis ingenium, quod tibi stella dedit.
Cum verò secretos terræ explorare recessus
Tentas, atque cauas pandere mente vias.
Mirandum ingenium monstras, arcanaque noscens
Omnia quæ nullis innotuere viris.
Natus es (o fœlix) omnis quæ præbuit ignes,
Commoda nascenti stella fauensque fuit.
Effera nec quicquam placidum spondentia Martis,
Sidera, mitescunt, falciferique Dei.
Iuncta Ioui Venus alma suos immiscuit ignes,
Lunaque felici, Solque fuere loco.
Hasque iuvat, stella est radiis his congrua quæque:
Hora tibi magno conuenit illa viro.
Quem non terra capit natalis, temnis & illam,
Te minor est, tellus non tibi tota satis:
Ergo tibi cœlum debetur, scande per auras,
Raraque sic facias ad tua fata gradum.

Balthazar Corrandus de Bosco.

AU-



DON PETRUS ARLENSIS.
DE SCUDALUPIS. M.B.O.

Persequitur fortuna, regit Constantia, fortis
Inter utramque feror, sic data fata sequor.

ALIQVOD iam tempus elapsum est, ex quo Speculum Lapidum Camilli Leonardi meas in manus incidit, & cum ex antiquioribus Authoribus, qui de tali materia scripserunt, velut i Centonem confectum ipsum vidissem, permultum equidem & magni feci. Succincte enim ac dilucidè Lapidum vniuersalem doctrinam explicat, & docet, nec non exactissimam illorum originem, naturam, accidentia, qualitates & virtutes indicat, & ad amussin expendit: colores etiam adeò ordinatè ac distinctè elucidat, vt per illos cuilibet aspicienti particularis cognitio innotescere possit. Ex delectu frequentis huius libri lectionis aliquam Lapidum notitiam percepisse me comperi, ex qua cum interius inuestigandi studium, summumque desiderium enatum fuisset, earum quæ de Metallis, Lapidibus, & Planetis fabulæ narrantur, veras causas quærere & num inter illos aliqua Sympathia existeret, cum cognitio ab aliquo verisimili ortum habeat: Septem tantum Lapides elegi, ex quibus communis Sympathia cognosci

gnoſci poſſet. Non enim illos elegi qui communiter ab Aſtrologis ad Erraticas ſpectare cenſentur (Multi nempe alii ex Aſtrologiæ principis, multorum Authorum authoritate, peculiarius ad Planetas pertinere, tum ex colorum, tum ex qualitatum origine facile dignoſcuntur) ſed à communiori via aliquantulum diuertere propoſui, non contradicendi ſtudio, ſed vt aliqua noua non adhuc forſitam cognita proferens, delectationem ac vtilitatem in legendo conferre poſſem, cum etiam & alios quamplurimos in meam ſententiam pedibus ire cognouerim, & non ſine apparenti ratione effectuque Sympathia eligatur.

Quam rem propere peregi, & in vnum coadunaui quæ ad rationem Sympathiæ tantum ſpectare poſſunt, vt quid tria in vnum collecta valeant, naturali via demonſtraretur. Non enim per vanam, inanem, falſamque Magiam ex illis quidquam evenire poſſe, apparentibus, verisque rationibus ſuo loco comprobatur. Annullorum Tabella, vt apponeretur curaui, quo faciliori demonſtratione trina coadunatio in vnum appareret: non enim conuenientiori & aptiori via id fieri po-

tuiſſe

tuisse existimaui, Planeta, Metallum, & Lapis in Annulo visuntur. Non enim ex omni Metallo Annulus, siue quoduis magisterium fieri potest, sicut de viuo Argento: ideoque Prosopopeiam in illo demonstrari oportuit.

Summo sum affectus mœrore, cum post librum de Gemmis & Lapidibus, sigilla & imagines impressas fuisse comperi. Non enim meo ex voto id factum fuisse obtestor. Imo Chalcographis omnino vt non apponerentur prohibueram. Vana & puerilia cum seriis haud conueniunt, quæ etsi in antiquissimo exemplari de Gemmis existerent, simul tamen cum Sympathia minime conuenire iudicaueram. Chalchographi natura sua diuitias congerendi cupidissimi, vt liber ex maiori paginarum congerie maiori veniret pretio, in causa fuere. Et si temporis oportunitas non defuisset, omnino vt aufferrent, operam nauassem, sed ex impressionis Regiſtro non mihi permissum fuit. Credo tamen Authores antiquissimos, a quibus talia deprompta fuerunt, non sine studio, summoque labore, obseruantia & subtili inuestigatione illa reperisse: sed adeo a prima sua origine alterata sunt, vt nihil

virtutis ineſſe manifeſtiſſimum appareat.
Sed cuius vtilitatis & ſcientiæ? Nunquid
Lapis inſculptus alter a ſemetipſo per in-
ſculptionem erit? Quid inſculptio illa
Numquid influxus cogi poteſt? Vanitates
equidem ſunt, & ridicula inuenta quant
valeant, & cuius momenti ſint in vltima
Sympathiæ parte apparebit. Non enim
tanta audacia in me adhuc viget, vt nunc
etiam falſas opinantium opiniones adau-
geam, cum potius diminuere, & prorſus
adnullare totis viribus intendam. Tali
bus vanitatibus nunquam fidem præſtiti
neque præſtabo: nec Aſtrologiæ Iudici-
ariæ adeo ſum addictus, vt quid ſecunda
cauſæ valeant ignorem.

Per naturalem Phyſionomiam aliqua
naturalia cognoſci poſſe arbitror, ea tan
tum puta quæ ex vultuum intuitu pe
membrorum ſituationes apparent. Phyſi
onomicus enim per Phyſionomiam, v
ſic, non aliud niſi vitia & virtutes iudicare
poteſt: qui vero alia occultiora per vultu
inſpectionem iudicat, alia ars illi vt adhæ
reat oportet, vel potius per Enthouſias
mum loquetur. Prædictiones ex pluri
bus aggregatis altiori & ſecretiori via de
ueniunt, prout ex Methopoſcopia dici
tur

tur, quæ etsi in frontis lineis & inspectione consistit, plurima tamen alia considerandasunt, vt exactius absque errore (libera suppositi voluntate concessa) inde iudicari, & qualitatum ac naturarum origo cognosci possit. Etsi in tali scientia versatus, ne iudicet, quoad possit abstinere debet, cum apud imperitos & mulierculas fama statim volet, quæ iudicantur non sine dæmonum auxilio fieri posse. Silere hisce temporibus potius omnibus consulo, & quæ per Dei beneficia & liberalitatem conceduntur, cum amicis participare, a quibus vt Sympathia hæc imprimeretur fui adstrictus: nec enim publicare statueram. Sciebam, prout nunc scio, naturam etsi non suo, alieno tamen vitio, stirpes sæpe inutiles & noxias procreare. Ita scientia Zoylos & sciolos edere solet, qui cæteros, tanquam infelici (vt aiunt) ouo natos floccifaciunt, & illorum monumenta ac lucubrationes tanquam vanas, non solum irrident ac illudunt, sed noxias & censurandas prædicant & obstrepitant. Et quemadmodum canina rabie scripta aliena rodunt ac lacerant: ita ad instar canis non solum arcendi, sed & fustigandi. Sed quid mirum? Momo

enim nec ſummi Iouis opera placent. Sed ſi aliquod ex ipſis lepidum Caput aliqua in publicum proferre vellet, tunc illorum ſumma, abſoluta, heroica, & prope diuina ſcientia innoteſceret, & quisque magnificum AVE pleno ore illi daret. Sileant igitur, vel potius per ſcripta loquantur, & ſeipſos publicent.

Te amicum Lectorem, benigno animo vt corrigas rogo. Ego vero etſi laudem minime appeto, virtutem tamen laudatam augmentum ſumere ſcimus. Quod ſi hos meos, licet paucos, labores tibi arriſiſſe cognouero, Monarchiæ Animæ libellum breui tempore tibi me traditurum polliceor: In quo omnes compoſiti operationes tam internas quam externas ſigillatim demonſtrabo, & ab vno duntaxat, & abſoluto principio deuenire petrinam intellectionem neceſſario apparebit. Omnes & ſingulæ ſcientiæ & artes ibi tanquam in Theatro conſpicientur: Eorum origines, inuentores & operatores notabuntur. Animam vero abſolutum dominium in eas exercere, ſedentem in throno, manifeſtabitur. Opus magno labore & ſtudio compactum. Interim fruere, vale, & felix viuas.

LA

LAZARVS MOZENIGHVS N. F. D. Petro Arlenſi de Scudalupis F. P.

TANTA eſt tua erga omnes humanitas, Amicorum optime, vt noua indies incrementa ſuſcipere videatur. Sæpe enim antehac non modo mihi profeſſus es eximium & ſingulare tuum ſtudium in omni genere officii, ſed etiam omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in amore meo te fixiſſe ac locaſſe demonſtraſti. Quid nouiſſimas detectiones memorem? Neque me tot tamque variis doctrinæ generibus præditum eſſe confiteor, vt tua ſcripta pellectione leuans, ea aut emendare, aut tanquam Ariſtarchus in eis aliqua obeliſco notare valeam. Tantum quid de illis ſentiam, & num illa in publicum emittere debeas, paucis me hortatus es

vt tibi explicarem: in quo certe superare visus es, quod in me adhuc deficere comperi. Quia tamen vicit amor tuus adhortationibus suis, & effecit vt labores tuos gratos & probatos iri credens, consilium tuum probarem & laudarem potius, quam de illis sententiam aliquam proferrem eruditione tua indignam: hoc unum acceptum vt habeas rogo. Tanta tua est in scribendo eruditio, tanta acies iudicii in doctrina, tanta varietas in scientia, vt quod semel tibi placuit edere, cæteris displicere non posse existimem. Iungendo simul Lapides Metallis, & Metalla Planetis, Terram in Cœlum, & Cœlum in Terram transisse demonstras. Cœlestium enim virtutum Sympathia producit attractionem, & in hæc inferiora deductionem: Antipathia vero resistentiam parit. Ecquid aliud Magia naturalis, quam vnius rei ad alteram deductio ex cognatione naturæ producta? Qui profecto rerum vniuersalium Sympathiam & Antipathiam absolutissime nouerit, effectus in natura tam admirabiles producere valebit, vt imperitum vulgus eos non aliter quam tenebrarum Principe iuuante fieri potuisse facile sibi persuadeat. Doleo tamen vicem tuam, doleo & tuum mœrorem. Doleo, inquam, & cum

affectu

affectu dolere debeo, hanc tuam Sympathiam Speculo Gemmarum in impressione fuisse coniunctam, ac tam firma copula colligatam ex Typographorum auaritia. Licet enim eam supra Lapidum fundamenta exædificaveris, & merito illi Camilli Leonardi Speculo accesserit, Sigilla tamen & Imagines apponi non debebant, tanquam res ridiculæ, puerriles, gerrisque ipsis Siculis vaniores, & quæ procul dubio meram probitatem minime redolent. Quamvis enim prisci illi Sapientes, ac docti viri, non sine studio magnoque labore eas a Philosophiæ, naturalisque Magiæ sylvis excerpserint, ac in fasciculum vnum collegerint, non vt Necromantiæ ritibus, eiusque impiis ac vanis artibus deseruirent: Earum tamen abusus postea inoleuit, vt quæ tunc pura, erudita, niueque ipsa candidiora erant, impia nunc, vana, nigroque simillima coruo circulatoribus nescio quibus authoribus circunferantur. Vsus ad bonum finem tendens, optimeque digestus laudem meretur: Abusus vero sibi ipsi pœna supplicumque durissimum existit. Apes ex omni florum genere mel suum conficiunt, non vt inde venena parentur. Mens bona, bonum sincerumque animum designat. Impressores equidem haud laudare possum, qui auaritia di-

ctante, librique volumen maius affectantes, bona malis, seria puerilibus, puraque impuris miscuerunt, vt ex foliorum ampliore compagine, amplius quoque lucrum facere possent, spretis omnibus admonitionibus adhortationibusque tuis. Nec tamen propterea renuas consolari: mos enim illorum est vbique terrarum notissimus.

Scripta igitur tua perlegi, delectabili referta varietate: sed in illis meram probitatem, meram doctrinam, meram bonarum litterarum cognitionem (hæc enim vera & interna bona sunt) præcipue miror. Miror, inquam, felix tuum Musæum ab amicorum insidiis huc vsque fuisse tutum. Quid velim iam, credo, percipis. Cur talentum ad lucrum tibi commissum diutius abscondisti? Cur fructus iam acquisitos, vberesque segetes iam maturas non profers? Ecce terram effossam, illud non abscondisti, suspicor, neque te reposuisse in sinu Parentis huius omnium communis vspiam apparet. Nonne ex Trimegisto iam pridem didicisti Eumenidum chorum maximas acerbasque pœnas ab illis repetere, qui nullos sibi superstites liberos relinquunt? Tu ergo te ipsum iudica. Quantum enim in me est, summo semper desiderio sum affectus, vt vela ventis commit-

tens

tens, huncce tuum laborem in publicum emitteres. Consuetudo nobis communis, nobis quoque studia communia fuere. Tu amicitiæ legibus vinctus, librum edendo, liber eris.

Cæterum quæ ex tuæ Sympathiæ doctrina ac eruditione perceperim, ex more breuiter enarrabo. Scientia hæc Sympathica, non iucunda tantum & curiosa, sed & vtilis maximopere mihi videtur. Mensa lautissima exquisitis referta epulis, fieri nequit quin plurimorum palato sapiat. Stylus equidem tuus apertus, clarus, facilisque adeo, vt legentium animi ex frasi etiam delectationem, non tædium, percipere possint. Modo enim te flores humiles in amœnissimis pratis lectos, calathis secernentem, ac opus quod prius feceras exigentem, modo etiam ex intuitu mentis Cœlos ipsos penetrantem conspicor. Nunc ad cæleſtes sphæras a terræ meatibus raperis: nunc ad centrum eius descendere, surculisque venarum eius immorari te non parum delectat: Tandem in aëre consistens abditissima quæque Naturæ secreta his in inferioribus sagaciter ac odora canum vi rimaris. Quid plura? In quæstionibus nouissimis diu te immoratum, in discussis extremis tantum (vt aiunt) labris

bris deguſtaſſe, digitisque ſummis attigiſſe iuuat. Neque inconſulte quidem aut ſine magna iudicii acie id agis. Quæ etenim noua ſunt (vt quæ de Magnete vix dum etiam antehac tacta profers) maiori diſquiſitione indigent. Quæ vero iam a plurimis ediſſerta præteruolas, Lectoremque ad Authores proprios remiſiſſe tibi ſatis eſt. In locis citandis hoc ipſum quod dico demonſtras. In exactiſſimis enim Tractatibus, Authorem tantum honoris cauſa nominas, in obſcurioribus vero non Authorem tantum, ſed & textus & Capita peculiariora. Quæſtiones cum antiquiſſimis & prolatis Authoribus aſſumis, & quamuis errores illorum aliquos modeſte detegas, doctrinam tamen laudibus meritis non fraudaris. Vno verbo, tam prudenter tuam interponis ſententiam, vt aſſidere potius, quam diſſidere videaris. Secreta in Chymicis non niſi experta proponis: nec tamen adeo manifeſta atque diſtincta, vt illius artis peritiſſimi te profanis euulgare ſua myſteria conqueri poſſint. Petiiſſem fortaſſis laurum vt morderem, ita mihi illia ſalierunt ad riſum, dum amico Alchimiſtæ virginale aurum petenti ſub Arabis nomine te tam ſolerter ludos dantem legi. Quod ſi maximi quidam in arte Magiſtri de

libro

libro tuo petulanti splene cachinnos tollere voluerint, non dubito quin eos primam cathedram, primosque accubitus ambientes tua vehementer Sympathia, propter suam cum litteris Antipathiam torsura sit. Ventitabunt sese credo, verbis edentulo ore prolatis te nihil, quod penes se non habeant, scripsisse, si non potius, te riuulum huncce tuum tam lucidis fluentem vndis, a suis fontibus deduxisse palam profiteantur. Istis quidlibet audendi loquendique, sua quam in cœlum vsque tollunt, Ars, liberam semper fecit potestatem: sed tanquam Anseres inter Olores strepitantes minime sunt curandi. Hoc tantum vnum sciant, te non magnopere sollicitum quid crocitent. Si quid valent aut possunt, edant ac per scripta publico committant. De ipsis merito dici potest, quod ait Poëta.

Si friges, algent, si dixeris æstuo, sudant,
Si lente incedis, podagra tardante laborant.

Valeas in annos Nestoreos, librumque, quamprimum diuulgatus fuerit, ad me mittas, etiam atque etiam rogo.

CA-

CAMILLVS LEONARDVS Pisaurensis Physicus Illustrissimo ac Glorioſissimo Principi Cæsari Borgiæ de Francia Duci Romandiolæ. S. P. D.



ET ſi multis maximisque bellorum negociis celſitudinem tuam hac tempeſtate impeditam eſſe intelligamus, Tamen cum pro innata tibi humanitate, Prudentia, litterarumque ac bonarum artium ſtudio quibus præditus es, Litteratos homines, & qui virtutibus incumbunt, non modo facile, verum etiam libenter audire & animo complecti ſolitus ſis: Libellum hunc noſtrum ad te mittere non dubitauimus. Vt animum tuum aſſiduis curis laboribusque defeſſum nouitate operis profecto non inutilis legendo oblectare, iocunditateque aliqua reficere valeas. Nos autem quam parum ocioſi ſimus, teſtis eſt vniuerſa ciuitas tua Piſaurenſis Princeps Inclyte: medicinæ enim exercitio theoricæque dediti omnem curam cogitatusque noſtros, ſtudia laboresque in illius ciuium ſalutem noctu diuque libenter intendimus. His igitur curis aliisque publicis ac priuatis occupationibus impediti facile potes perſpicere quam raro quieti ſimus. Attamen ſi quid interea ocii datur interdum, id libentius in litterarum ſtudiis conſumere: Et ex communi noſtro quo tenemur officio, quicquid poſſumus ad hominum commoditatem ac vtilitatem conuertere conſueuimus. Ea igitur cauſa moti libellum hunc de natura Lapidum

qui

qui ad salutem utilitatemque hominum conferunt, qui etiam non sine vigiliis, non sine labore ac longa perquisitione à nobis fieri potuit composuimus. Quæ licet per diuersos auctores diuersaque doctorum virorum volumina scripta sparsaque fuerint. Nos tamen summa cura, opera ac diligentia quanta potuimus ex summis ac præstantibus viris pertractata, in huiusmodi libellum collegimus: quem Lapidum speculum nominauimus. In quo naturam viresque eorum, sculpturas, multarumque rerum cognitionem veluti in quodam speculo possumus intueri. Nos autem qui tuæ celsitudini & fide ac more coniuncti sumus vt tenemur, & in quo spes nostra posita est, qui patriæ nostræ pater es, & princeps, libellum hunc nomini tuo dedicauimus, cum studiosus sis, & armis non solum ac militiæ, verum & ingenuis literis totis viribus deditus: aut illum si quando per ocium contigerit, oculis menteque percurras: in quo si quid obliquum neque recto iudicio tuo comprobatum inuenies, ingenii nostri tenuitati ascribes, veniamque concedes: non enim omnia possumus omnes. Vbi vero aliquid lectione dignum comperies: digniſſimis doctoribus illis ex quibus illa excerpsimus attribues. Et propter illorum summam autoritatem ac spectatam dignitatem, libellum nostrum inter alios tuos innumeros, vt ita dixerim, libros præstantissimæ bibliothecæ tuæ adponere, ac annumerare non dedignaberis: vt Camilli auctoris sui cum illum intueberis in amore saltem ardentior fias. Parvum profecto, clarissime ac magnanime Princeps, pro tantis tuis in nos officiis munus hoc erit. Sed pro tua solita clementia ac benignitate non libellum huiusmodi, cartarumque superficiem: sed auctoris animum mentemque considerabis. Vale diu felix. Pisauri, anno salutis M. CCCCC. II. Idibus Septembris.

CA-

CAMILLI LEONARDI Pisaurensis Physici proœmium super libro qui Speculum Lapidum inscribitur.

CVM a diuersis doctoribus tam antiquis quam modernis de Lapidibus scriptum sit, non tamen complete ab vllo inueni. Ideo de Lapidibus in hoc libello complete pertractare decreui. Nam in Lapidibus multa considerandasunt ad eorum esse. Primo materiale: virtutes etiam ac imagines in ipsis Lapidibus sculptæ. Ideo libellus iste qui speculum Lapidum intitulatus est, in tres libellos distinctus erit. Nomen quoque speculi tali ratione inditum est, vt quemadmodum in speculo veræ effigies rerum quæ objiciuntur, repræsentantur, sic & in libello isto omnia, quæ dici ac rationabiliter quæri possunt de Lapidibus, dicuntur ac manifestantur.

Camill.

CAMILLI LEONARDI
Pisaurienſis Phyſici,
De LAPIDIBUS.
LIBER PRIMUS.

Quæ ſit Materia mixtorum maximè lapidum. Cap. I.

NUlla pro certo ambiguitas eſt apud omnes Philoſophos, Illuſtriſſime ac Magnanime Cæſar, quin omnia à natura producta quæ ſub orbe lunæ exiſtunt, fore ex quatuor elementis compoſita, & ſecundum ſuum eſſe ſpecificum ex his quatuor elementis magis ac minus participare ac virtutem habere. Et maximè hæc eſt ſententia ſummi philoſophi Ariſtotelis tertio Cœli ac mundi, cujus formalia verba hæc ſunt: Elementa ſunt prima corpora ex quibus fiunt alia corpora. Et idem ſecundo de generatione ac corruptione: Neceſſarium eſt corpora mixta ex omnibus conſtare elementis & non ex uno tantum. Ac etiam hæc eſt ſententia Illuſtriſſimi Principis Medicorum Avicennæ prima primi doctrina ſecunda, quod ait: Elementa ſunt corpora & partes primæ corporis humani, & aliorum quæ in

corpora diversarum formarum minimè dividi possunt ex quorum commixtione diversæ species generatorum fiunt. Unde ex his auctoritatibus ac multis aliis quæ impræsentiarum omittendę sunt, concludi potest, elementa esse illa quæ concurrunt ac dant esse existere mixto seu composito: Sed quomodo ad esse mixtorum concurrant impræsentiarum longum esset indagare, ac etiam vanum: cum in pluribus locis in physicis pertractatum sit, & maximè à Conciliatore differentia XVI. Et cum duo elementa, videlicet terra & aqua majorem corporeitatem sive densitatem reliquis duobus elementis habere videantur: Ideo dicimus mixta his magis abundare quàm reliquis. Sed cum mineralia duplicia sint, aliqua fluxibilia seu liquefactibilia, & aliqua non: Dicimus fluxibilia seu liquefactibilia magis aqueo abundare ut metalla; & hoc habetur ab Aristotele quarto metheoror. Lapides vero non fluxibiles sunt, licet aqueo abundant, ratione commixtionis sicci terrei, unde dimissis primis fluxibilibus, ut aurum, argentum & similia: tantum noster sermo erit de lapidibus. Et pro principali fundamento nostro auctoritatem summi principis philosophorum adducemus qui ait in libro mineralium. Principia ergo lapidum vel sunt ex substantia lutea & unctuosa: Vel ex substantia in qua vincit aqua: intelligens per substantiam lute-

luteam esse terram. Nec etiam deficiemus ab auctoritate summi philosophi Alberti magni libro mineralium, qui ponit lapides esse in duplici genere, & ait aliquos abundare aqueo cum sicco terreo, ut Cristallus, Birillus, & similia. Aliquos verò cum sicco aqueo, sed magis cum terreo, ut Marmora, Iaspides, & similia. Sed qui magis aqueo ac sicco terreo abundant gemmæ propriè dicuntur à Græco vocabulo gemmo, quod latinè sonat splendeo: nam omnes tales lapides splendidi sunt. Et aliqui ut dixi sicco terreo abundant, neque liquescunt & in aqua submerguntur. Nam si à tali sicco terreo absoluerentur in aqua natarent ac liquescerent ut glacies. Nullus enim lapis est qui ration e suæ terrestritatis in aqua non submergatur dummodo non sit porosus seu plenus aeris. Lapides verò qui terreo magis abundant, densi ac opaci sunt, nec hi etiam ab aqueo absoluuntur ut ab Aristotele habetur libro mineralium superius allegato. Cujus verba hæc sunt formalia: Terra pura lapis non fit, quia continuationem non facit, sed comminutionem: vincens in ea siccitas non permittit eam conglutinari, & sic ex aqueo admixto cum terreo fiunt lapides. Et per aquam intelligit humidum unctuosum seu viscosum, proportionatum cum terreo mediante calido exiccante. Et secundum proportionem seu dispositionem talis humidi cum

ſicco terreo, diverſi ac varii lapides fiunt. Nam multotiens hæc humiditas non eſt tanta nec tam ſubtilis quæ fluere poſſit ad omnes partes ipſius terræ. Ex qua carentia pars illa terræ non conuertitur in lapidem. Et hoc eſt quod multotiens in lapidum mineris inter lapides reperitur terra multum denſa quæ diſcontinuationem lapidum facit. Et ſi ſufficiens ac proportionatum humidum habuiſſet, totus lapis continuus extitiſſet, ut in multis locis apparet in quibus videmus montes eſſe unius lapidis. Et multotiens tale humidum diſproportionatur fluxibilitate, licet in quantitate ſufficiens ſit: & ideo magis reſidet in una parte quàm in alia, & cum à calido ibi condenſatur, nodoſitatem quandam in lapidibus efficit. Et hoc eſt quòd in lapidibus apparent nodoſitates, ut ſunt in montibus dominationis tuæ, quæ nodoſitates ratione multæ humiditatis vix ſcindi aut frangi poſſunt, ut & alii lapides qui aqueo abundant. Unde finem huic capitulo imponamus, ac concludamus quòd materia lapidum ſunt ipſa elementa, & ut diximus, in quibuſdam magis abundat aqueum cum ſicco terreo, & in aliquibus magis terreum cum humido aqueo, non tamen totaliter ipſos lapides ab aliis elementis abſoluendo, ut ſexto capitulo dicemus cum de colore lapidum pertractabimus.

De causa effectiva seu generativa lapidum.

Cap. II.

CAusa verò effectiva sive generativa lapidum à multis diversimodè assignatur. Sed vanis opinionibus omissis ad veram causam accedamus. Dicamusque cum summis Philosophis quod virtus effectiva sive causa generativa lapidum est quædam mineralis virtus quæ non tantum in lapidibus ineſt: sed & in metallis ac etiam in his quæ media sunt inter hæc duo. Et cum hujus virtutis proprio nomine careamus, hoc sibi â philosophis dedicatum est, scilicet, virtus mineralis: ea enim quæ propriis nominibus patefacere non possumus, oportet similitudinarie deducere: non quod exempla idem sint quomodo hæc virtus mineralis in lapidibus existat, ut ait Aristoteles. Exemplum enim ponimus non quod ita sit, sed ut sentiant qui addiscunt & sic per exemplum de animali spermate adducemus, quemadmodum virtus mineralis, quam dicimus esse effectivam sive generativam Lapidum, in lapidibus operatur. Nam dicimus quod sperma animalis est superfluum nutrimentum descendens ad vasa spermatica & ab ipsis vasis. Virtus effectiva sive generativa infunditur in ipso spermate, qua mediante talis materia spermatica redditur prolifica, ut in physicis habetur. Quæ tamen virtus non per modum essentiæ agit: sed per modum inhæ-

rentiæ. Ut & quemadmodum dicimus artificem esse in re quæ arte fit: Sic pariformiter dicimus, quod in materia apta in productione lapidis est virtus formans seu efficiens in producendo lapidem hujus sive alterius speciei, secundum dispositionem seu exigentiam materiæ, loci ac influxus ubi talis materia parata reperiatur. Quæ quidem virtus a quibusdam cœlestis virtus appellatur. Et hoc est quod dixit Plato quod virtutes cœlestes infunduntur secundum merita materiæ: In physicis quoque hoc ostensum est quod omnis virtus formans aut efficiens aliquid in aliqua specie, proprium instrumentum habet, quo mediante suam efficit seu producit operationem. Unde Aristotelis sententiam sumamus libro mineralium, & dicamus quod propria virtus effectiva sive generativa lapidum existens in materia lapidum quæ mineralis dicitur, ex duobus constituitur instrumentis, quæ instrumenta diversificantur secundum diversitatem naturæ seu speciei lapidum. Quorum instrumentum unum est calidum digestivum ac extractivum seu exiccativum humidi, inducens formam lapidis mediante terrestri coagulatione, quæ passa est ab humido unctuoso, & hæc caliditas à virtute formativa seu minerali lapidum dirigitur, quæ ab Aristotele dicitur causa calida desiccans. Nec dubium est quod talis ca-

caliditas non foret regulata & excederet super naturam lapidis, incineraret: & si esset diminuta non benè digereret, & sic non posset ad optimam ac perfectam formam lapidis materiam illam deducere, cum insufficiens existeret. Aliud instrumentum est frigidum constrictivum in materia humidi aquei, quod humidum aqueum passum est à sicco terrestri, & hoc est frigidum constrictivum humidi quæ humiditas mediante tali constrictione exprimitur, nec remanet in materia nisi tantum quantum pro continuatione expedit, & ab Aristotele dicitur virtus terræ desiccans ac congelans. Et hæc est causa quòd lapides à calido sicco nullo modo colliquari possunt ut metalla colliquantur. Nam in metallis tale humidum non totaliter exprimitur, quo mediante materia metalli fluxibilis remanet. Unde dicamus quod calidum digestivum ac extractivum humidi, & frigidum constrictivum humidi passi a sicco terrestri sunt propria instrumenta virtutis formativæ seu mineralis lapidum. Et hoc est quod dixit Aristoteles libro mineralium quod lapides duobus modis fiunt, aut congelatione, aut conglutinatione, ut superius narratum est.

De forma substantiali lapidum.
Cap. III.

De substantiali forma lapidum non mul-

ta in præsenti capitulo dicemus, cum hæc materia potius reservanda sit in principio secundi libri: Ubi tractabimus quomodo virtutes in lapidibus insint, cum ipsa forma substantialis sit quæ dat specificum esse lapidibus, & ab ipsa virtute emanare dicamus. Unde impræsentiarum tantum philosophicam opinionem adducemus. Dicemusque quod forma substantialis lapidis est esse specificum ipsius lapidis quod esse ex elementorum commixtione provenit, cum quadam proportione quæ ad unam determinatam speciem, & non ad aliam ducit: qua mediante, ut in secundo dicemus, virtutes insunt lapidibus. Nec talis forma a materia totaliter provenit: nec totaliter extra materiam funditur. Sed est quoddam divinum super materiam complexionatam cui infunditur, & infra virtutes cœlestes a quibus datur. Dicamus ergo sic, formam substantialem esse simplicem essentiam ipsius lapidis, qua mediante virtutes lapidum ostenduntur quæ virtutes variantur non solum in diversis speciebus lapidum, verumetiam in una specie aut ratione loci suæ generationis, aut ratione puritatis sive impuritatis suæ materiæ, quemadmodum in animatis contingit.

De loco generationis lapidum.
Cap. IV.

Sed cum locus ex necessitate in omnium re-

rerum generatione maximè concurrat, & quo ſine aliquid generari ac eſſe non poteſt, ideo impræſentiarum de loco generationis lapidum mentionem faciemus, quæ loca in lapidibus non diverſitatem tantum ſpecierum diſtinguunt, verum etiam in una ſpecie multotiens diverſitates inducunt, ut ex dictis Hermetis colligitur, dicentis quòd lapides ejuſdem ſpeciei variantur in potentia ac etiam in eſſe materiali ex diverſitate locorum, cum nihil aliud per clima dicere intendant niſi diverſitatem directionis ſive obliquitatis radiorum ſiderum, quæ ſidera in inferiora influunt. Dicamus ergo quòd pro generatione lapidum nullus datur determinatus locus. Cum fere in omni parte orbis diverſi ac varii generentur lapides. Nec proprius locus datur in determinato elemento, cum videamus aliquando generari in terra, aliquando in aqua, & aliquando in diverſis locis, ut à Salomone in libro lapidum precioſorum; Ubi dicit, lapidum diverſa ſunt genera ac in diverſis locis generantur: quia quidam in mari, alii in diverſis terris, alii in fluminibus, alii in nidis avium, quidam in ventriculis animalium, quidam in capitibus eorum, alii in renibus draconum, ſerpentum, & beſtiarum & reptilium. Et non ſolum in locis his dictis lapides generantur, verum etiam & in aere, ſicut habetur à philoſophis, & maximè ab illo ſummo philoſopho

ac noſtris temporibus monarcha præceptore meo domino Gaetano de Tienis, in comento metheororum in fine ſecundi tractatus tertii libri, qui dicit, lapides generari poſſunt in aere cum exhalatio habet partes groſſas terreas admixtas cum humiditate viſcoſa: Et reſolutis partibus magis ſubtilibus & terreſtribus condenſatis à calido fit lapis qui ratione ſuæ gravitatis ad terram deſcendit. Noſtris temporibus, in partibus Lombardiæ lapis magnæ quantitatis ex nubibus cecidit. Plinius quoque libro primo capitulo IX. ſcribit, Anaxagoram prædixiſſe, Saxum caſurum à ſole, & ita cecidit in parte Thraciæ ad Egos flumen, quod erat magnitudine vehiculi, colore adusto. Nec miror ex hoc, cùm Ariſtoteles dicat libro mineralium ferrum, ex aere cecidiſſe notabilis magnitudinis. Sed cum in phyſicis determinatum ſit, quod ſtellæ quantitate, lumine, motu ac ſitu inferiorem mundum ordinent, ſecundum omnem materiam generabilem ſive corruptibilem: Et cum hæc virtus ſtellarum undique in orbe vigeat: Ubicumque ergo materia apta reperietur, ibi erit locus generationis lapidis, & ſic locus proprius ac determinatus pro generatione lapidis nullo modo dari poteſt. Neceſſe tamen eſt, quòd virtus loci in generatione lapidis ex tribus dicatur conſtare virtutibus: Quarum prima eſt virtus motoris moventis orbem: Secunda

da est virtus orbis moti quæ ex multis consideratur partibus in ipsum orbem, ut sunt planetæ ac universæ constellationes: Tertia est virtus elementalis quæ est esse calidum frigidum humidum ac siccum, vel commixtum ex his. Est enim prima virtus ut forma dirigens ac formans omne quod generatur, quæ virtus in exemplo ad ista sensibilia inferiora deducitur, ut virtus artis ad materiam artificii. Secunda deducitur ut operatio instrumenti quod movetur ac dirigitur à manu artificis usque ad perfectionem incœpti operis. Et hoc est quod dixit Aristoteles, quod opus naturæ est opus intelligentiæ. Unde dicamus, quod in quocunque loco terra unctuosa per vaporem in se reflexum commiscetur, vel in quo vires terræ naturam aquæ apprehendant & ipsam ad siccitatem trahant ac vehementer inclinent, ibi pro certo locus generationis lapidum existit. Concludamus ergo ac dicamus, quod locus proprius ac magis aptus pro lapidum generatione est terra habens superficiem densam cum condecenti humido, ex qua densitate vapor exhalare non potest. Sed terra rara, arenosa ac cænosa per contrarium existit. Et si in dictis locis generantur imperfecti sunt. Multotiens etiam in aqua maxima virtus est in producendo lapides, non quod proprium aquæ sit: Sed evenit cum per loca mineralia fluat & ipsarum minerarum virtu-

tutem sumat : quemadmodum videmus aquas balneorum acquirere caliditatem. Et cum funditur in terra seu in ipsa aliquid imponitur in lapidem convertere videtur, ut refert Albertus magnus, ac etiam in locis thermarum manifestè apparet cum omnia circumquaque lapidata videantur, ac continuè augmententur. Ut etiam est de mente Aristotelis libro mineralium, qui dicit: aqua autem fit terra, cum vincunt eam qualitates terræ, & e converso ex terra fit aqua, ut ibi habetur. Non multum longè exempla petamus: nonne prope Civitatem tuam, magnanime Cæsar, in Capriolo fonte hoc manifestè apparet, cum ex cursu suæ aquæ, quæ in se mineram habet, omnia Canalia lapidificentur ac sic repleantur, quod aqua fluxa caret? Aristoteles etiam ponit in prædicto libro Mineralium quod vis virtutis mineralis interdum tanta est, quod vertit aquam in lapidem ac omne quod in ipsa aqua continetur, & ideo est quod interdum in multis lapidibus inveniuntur partes animalium aquaticorum, ac aliarum rerum conversas esse in lapidem. Multa hîc dicenda essent, cùm nonnulla modo in terra, modo in aqua lapificata reperiantur, ut refert Albertus de arbore inventa in littore maris Luci, qui lapificatus erat cum nido ac avibus.

De accidentibus lapidum, & primo de mala seu bona compositione.

Cap. V.

Cum in superioribus capitulis pertractaverimus de his quæ ad lapidum generationem faciunt, ut est materia, efficiens, substantialis forma, ac locus ipsius generationis. Nunc pro complemento eorum quæ ad esse lapidum faciunt, tempus est perquirere de accidentibus, cum ipsa etiam accidentia conferant ad cognitionem subjecti in quo fundantur, ut habetur, de mente Aristotelis primo de anima. Sed cum ipsa accidentia in lapidibus plura sint, in præsentiarum sermo noster erit de bona sive mala commixtione, ex qua in lapidibus multa eveniunt. Nam mala commixtio seu malum esse lapidis interdum accidit ratione humidi: interdum merito terrei, interdum ex indispositione calidi seu frigidi agentis, & interdum ex indispositione loci quæ secundum esse ipsorum in lapidibus diversa inducunt. Nam si terra sicca esset, indecenter & cum humido non bene commisceretur, nec in sufficienti quantitate esset, & locus in quo esset talis materia pro esse lapidis, porosus esset: tunc color pro esse lapidis inductus à virtute effectiva evaporaret, & sic non posset bene partes terræ decoquere, & humido commisceri: Unde talis lapis arenosus ac sabulosus remaneret: adeo quòd de facili tereretur ac in sabulum

lum rediret. Si verò talis locus non porosus existeret, & in se retineret temperatum calorem cum sufficienti humido, tunc ex tali terra sicca lapis efficeretur durus, non frangibilis in arenis licet sabulosus appareret, ut manifestè in porfiro, silice ac aliis apparet: nam videntur ut arenulæ in ipsis lapidibus & variantur ac diversificantur in magnitudine ac colore, secundum diversitatem siccitatis terræ ac caloris agentis. Et si talis calor excederet humidum, combureret partes ipsius terræ: tunc lapides discontinui essent, & ut lapilli apparerent. Si autem in tali terra sicca humiditas viscosa imbibita esset, & ex consequenti non fluxibilis, licèt calorem regulatum haberet à virtute minerali, ac esset in decenti loco pro generatione lapidis, non unitus ac continuus efficeretur: sed divisus esset in lapillos diversarum quantitatum ac colorum, secundum diversitatem materiæ concurrentis ad esse ipsorum lapidum. Si verò talis humiditas pro parte fluxibilis esset & à regulato calore passa, ac in decenti loco & pro parte viscosa & in decenti loco efficeretur lapis diversorum colorum ac partium cum continuitate, ac si glutine tales lapides conjuncti forent, ut in pluribus locis apparet, Venetiis in ecclesia protectoris illius almæ civitatis, & Romæ in pluribus ac multis locis, & in porta studii dominationis tuæ: & in columnis sectis

in

in pluribus locis, in quibus tot varii ac diversi colores & diversæ res mirandæ apparent, ut inferiùs dicetur. Optima verò lapidum commixtio per oppositum ante dictis fit, videlicet, quod sit materia non valde sicca, sitque humidum proportionatum & fluidum ad quamlibet partem terræ, sitque calor proportionatus ac regulatus à virtute minerali sive effectiva ipsius lapidis, & sit in congruo ac dispositio loco, in soliditate ac raritate: quæ omnia sic disposita reddunt ac efficiunt lapides uniformes dolabiles, ac optimam compositionem habentes, & multotiens splendidos secundum commixtionem seu proportionem aeris ac aquæ. Oppositæ vero causæ a supra dictis oppositum faciunt. Sed multum ad esse perfectum lapidis requiritur calor proportionatus cum ipse principale agens sit, & quo mediante diversa in lapidibus eveniunt, & maxime in his in quibus pro principali materia abundat terreum. Sed in lapidibus qui aqueo abundant, pro principali materia non tot diversitates adsunt, cum pro effectiva virtute habeant frigidum ac siccum terreum. Nam talium partes ratione aquositatis bene ad invicem commiscentur, cum fluxibiles sint ad quamlibet partem: & ideo tales lapides perspicuitatem ac duritiem multam habent.

De Perspicuitate ac Opacitate lapidum, & de eorum Coloribus.

Cap. VI.

PERSPICUITAS, sive opacitas differentias multas in lapidibus inducunt, cum his mediantibus in ipsis colores appareant, ut à Philosopho, de sensu ac sensato habetur, cum dicat quod color est extremitas perspicui in corpore terminato. Ac etiam à commentatore Avenroi in eodem loco habetur, quod color causatur ex commixtione corporis lucidi cum diaphono. Ideo priusquam aliquas de accidentibus in colore lapidum differentias ponamus, necesse est declarare quomodo perspicuitas sive opacitas in lapidibus accidat, & quod ejus perspicuum ac opacum sit. Dicamus primo quod perspicuitas est existentia materialis lapidis cum transparentia seu cum quadam limpiditate, & opacitas est cum obscuritate ac densitate. Unde ex consequenti dicamus lapidem perspicuum esse illum, ad cujus esse materiale plures causæ perspicuorum concurrunt, ut ignis, aer & aqua: & per oppositum opacum dicimus, ad cujus esse materiale pro majori parte opacum concurrit, ut terra. Et cum hæ res dicantur visum terminare, quod ex solo colore fit, necesse est eis adhibere nomina alicujus coloris, ut ante diximus, qui color terminativus sit perspicui ac opaci, & sic perspicuum ac opacum in summo contrariantur:

nia-

ac eis attribuimus extrema colorum. Nam perſpicuo album datur: Opaco vero nigrum. Unde dicimus album cauſari ex admixtione ignis clari cum elemento quod eſt valde diaphanum ſ. aere. Nigrum vero ex igne turbido cum admixtione elementi minimæ diaphanitatis. ſ. terra. Sed cum hi duo colores ut diximus, ſ. album & nigrum, pro extremis habeantur, neceſſe eſt, medios colores iis participare, & ſecundum majorem ac minorem participationem diverſi colores reſultant qui in triplici genere ſunt. ſ. in rubeo, viridi ac flavo. Et ſic omnes lapides ultra extrema jam dicta ad unum iſtorum reducuntur, ac ſub eis continentur ut ſpecies ſub genere. Sed ut ad perfectam notitiam horum colorum deveniamus, opus eſt declarare, quomodo iſti medii colores in lapidibus cauſantur & initium a rubeo ſumamus. Dicamusque quod rubeus color in perſpicuis lapidibus evenit, cum ſuccenſa fumoſitas ac tenuis ignis in perſpicuo luminoſo infunditur, & omnes tales lapides calidi eſſe dicuntur, & in hoc genere ſunt omnes ſpecies carbunculorum, ut balaſius, rubinus, iacintus, aquaticus, &c. qui omnes in rubedine conveniunt. Sed differunt ſecundum magis ac minus in participatione illius igne fumoſitatis, ac etiam perſpicuitatis. Eodem quoque modo dicere poſſumus de colore flavo perſpicuo cujus ſecundum terreſtritatem

ſubtilem ac perſpicuam a calido alteratam ac combuſtam variæ ſpecies efficiuntur. Viriditas vero ex aqueo perſpicuo cum terreſtri uſto cauſatur, quæ in lapidibus diverſificatur ſecundum eſſe ipſius aquei ſeu terrei, ut in ſupradictis aliis duobus mediis coloribus diximus, ex qua diverſitate viriditas variatur, & in lapidibus varii virides colores efficiuntur. Poſſunt etiam variari colores in uno lapide, ut in Panthero ac achate, & multis aliis: quæ diverſitas ſolum advenit ex diverſitate ſubſtantiæ ſeu materiæ quæ ad eſſe ipſius concurrit. Et ut habetur a Salomone loco ſuperius allegato, dicente: Colores in lapidibus diverſi ſunt, quia nullus color inveniri poteſt in cœlo, aere, terra, mari, fluminibus, herbis, ac arboribus, qui non inveniatur in lapidibus. Multa de coloribus dicenda forent quæ ob brevitatis cauſam & ne tædio legentibus efficiar prætermittere decrevi: cum ex his quæ dicta ſunt de particularibus coloribus, ſimili modo in aliorum notitiam devenire poſſimus. In non perſpicuis vero albedo ex ſubtili terreo commixto cum aqueo cauſatur. Nigredo vero ex terreo fumoſo ac aduſto, & quemadmodum extrema opacorum ſeu non perſpicuorum ex multo terreo abundare videntur, ſic etiam omnes colores ipſorum opacorum medii, ut rubeus, flavus, ac viridis ex multo terreo abundare videntur: ut extre-

tremorum naturam participant, quod tamen terreum cum igneo, aereo, ac aqueo componitur in productione mediorum colorum, ſicut in perſpicuis diximus ipſos in aqueo abundare. Veruntamen eſt quod opaci lapides magis aut minus ad perſpicuum vergunt, ſecundum quod magis aut minus de aqueo ſeu aereo in ſui compoſitione concurrit, cum hæc ſint perſpicuitatem dantes. Colores quoque ipſorum opacorum in una ſubſtantia ſeu eſſe lapidis variantur ſecundum diverſitatem partium componentium ipſum lapidem, ac etiam ſecundum potentiam agentis caloris ſicut in præcedenti cap. diximus.

De duritie ſive mollitie lapidum.

Cap. VII.

Duritiem ſive mollitiem in lapidibus duabus de cauſis evenire dicimus, quarum una a materia ipſius lapidis dependet, & altera a virtute effectiva ſive minerali ipſorum lapidum, quemadmodum diximus in capitulo de commixtione ſive compoſitione bona vel mala lapidum. A materia vero dicimus cum materia eſt bene commixtibilis, & hoc ab aqueo fit, & ideo lapides qui a prædominio in ſua compoſitione aqueo abundant, duriſſimi ac perſpicui ſunt. Et in hoc genere gemmæ omnes quæ limam contemnunt ponuntur, demoto topatio ut infra dicemus: lapides

vero qui pro esse suo magis terreo abundant, duri sunt aliqui, & aliqui non. Sed non in tanta duritia existunt, ut aquei ex causa ante dicta. Illi etiam duri sunt, qui aqueo cum terreo abundant condecenti: ex quo humido licet opaci sint, superficiem lucidam ac quasi perspicuam habent, & hi sunt ut prophirii serpentini, ac similes qui quasi nec ferro, & vix calibi excindi possunt. Qui vero terreo abundant & non cum condecenti humido, teneri existunt. Ex parte quoque virtutis effectivæ etiam teneri ac duri existunt: nam cum virtus non perfecte proportionatur materiæ in desiccando humiditatem superfluam non duri redduntur, cum durities ex temperata siccitate proveniat, ut omnes physici ponunt. Et ideo ut diximus ac dicemus topatii non sunt duri, cum virtus ejus effectiva à siccitate seu ab exsiccatione humiditatis defecerit, & multa ac superflua in eo remanserit, qua mediante non duri existunt. Et quemadmodum de topatio dictum est, similiter dicere possumus de omnibus aliis lapidibus qui pro virtute sua effectiva habent calidum ad siccum suum diminutum. Hic multa forent dicenda, sed pro nunc finem imponamus, & dicamus quod durities a siccitate temperata provenit, quæ a virtute effectiva regulata esse debet cum bona dispositione materiæ ac loci, ut in V. Cap. hujus primi libri di-

xi-

ximus. Ex quibus rebus oppositis multa accidentia in lapidibus eveniunt: nam aliqui ignem contemnunt, aliqui ab eo consumuntur, aliqui a frigore scinduntur, & in pulverem redduntur, aliqui ab aere indurantur, aliqui consumuntur. Similia ac alia diversa accidunt in multis lapidibus, ab aqua ac sole, & ab extrinsecis alterantibus, quorum causas in præsentiarum vanum foret enarrare, ex antedictis ac dicendis facili modo comprehendere possimus, & maxime ab his qui intellectu vigent, cum hæc omnia in virtute fantastica ac in imaginativa consistant.

De gravitate seu levitate, densitate ac ponderositate lapidum.

Cap. VIII.

Gravitas sive levitas accidentia sunt evenientia duabus de causis in lapidibus. Quarum una provenit ex mala compositione, quod accidens magis videtur evenire lapidibus qui pro sui materia habent terreum, & hoc fit ex mala permixtione partium terræ ad invicem cum ipsa aqua. Nam cum à virtute effectiva partes illæ aqueæ exsiccantur sive resolvuntur quæ non bene permixtæ erant cum ipsa terra, remanent porositates in ipsis lapidibus, unde leves efficiuntur. Potest etiam hoc accidens evenire lapidibus ex nimia aëris sive ignis quantitate concurrente, pro esse materiali

ipsius lapidis, & hæc levitas quæ isto modo fit, accidit minus in opacis lapidibus quam in perspicuis, sed prima tantum in opacis gravitas ex contrariis antedictis causis evenit. Nunquam tamen in lapidibus tanta levitas ineſt naturaliter quod in aquis non submergantur ratione suæ terrestritatis, quæ ad esse lapidis concurrit. Et licet aliqua ligna lapidibus graviora sint, tamen in aqua non totaliter submerguntur ut lapides. Ratio hujus est, quod pro esse materiale ligni non tantum concurrit de sicco terreo. Et sic etiam dicere possumus quæ densitas sive porositas ex eisdem causis evenire potest, ex quibus levitas sive gravitas evenit. Et licet multa alia accidentia evenire possint, hæc pro nunc sufficiant: cum ex antedictis ac dicendis, ex omnibus quæ eis evenire possunt, causam reddere possimus: & maxime illi qui in physicis periti sunt, cum res istæ inde dependeant.

De modo cognoscendi an gemmæ naturales sive artificiales sint.

Cap. IX.

Cum hodiernis temporibus in omni re multi existant deceptores, & maxime in arte gemmaria, cum in pretio existat: ac pauci nisi experti longo usu sint, eas cognoscant, & maxime cum ligatæ sunt, & ne ab his decipiamur, & omnia pertractare videamur: pro sigillo hujus primi libri hæc pauca

ca adducemus. Dicamusque quòd multipliciter deceptores lapidum inveniuntur: Primo ut cum lapides minoris pretii, ac unius ſpeciei apparere faciant alterius ſpeciei & ex conſequenti majoris pretii, ut ex amatiſto balaſium, cum perforant, & foramen tinctura implent ſeu annullis alligant, prius multum ſubtiliato, cum folia balaſii aut ex ſaphiro citrino ſeu bitillo formas adamantum fabricant, & tinctura addita ligant, & pro vero adamante vendunt. Aut multoties ex granato ſuperiorem ſuperficiem fabricant. Inferiorem vero ex criſtallo & glutine quodam ſeu tinctura jungunt, adeo cum in annulo ſunt rubini videntur, & ſic multæ aliæ deceptiones ex diverſis variisque lapidibus fieri poſſunt, quæ omnes à peritis cognoſcuntur. Ideo oportet ut ab annulis cum ambiguitas eſt, extrahanturgemmæ,& per ea quæ dicturi ſumus in ſecundo hujus facili modo cognoſcemus. Alio modo deceptio accidere poteſt, ut cum non ex vero lapide formam ac colorem alicujus veri lapidis efficiunt, Et hæc deceptio ex multis rebus fit, & maxime ex vitro ſmalto, ſeu ex quodam lapide, ex quo noſtri vitriarii vaſa dealbant addendo diverſos colores permanſibiles ad ignem ut figularii ſciunt, & ut multotiens vidi ex his lapidibus ſmaragdos eſſe confectos non ignobiles quantum ad uſum, Hi lapides falſificati multis

cognoſcuntur modis, primo lima cum omnes falſi limam ſentiant, naturales omnes contemnant, demto ſmiragdo ac topatio occidentali, ut in ſecundo libro dicemus: & ideo falſarii hoc magis fabricant cum naturales limam ſentiant, & ſic lima cognoſci non poſſunt. Secundo vero modo aſpectu, nam qui naturales lapides ſunt, quanto magis aſpiciuntur tanto plus oculus in eis delectatur, & cum ad lumen candelæ opponuntur, nitent ac fulgent. Qui vero non naturales, ſed artificiales ſunt, quanto magis aſpiciuntur, tanto magis in eis viſio marceſcit ac contriſtatur, cum ſplendor eorum continue videatur deficere, & maxime ut dixi cum ad lumen candelæ opponuntur. Cognoſcuntur hi etiam cum extra annulos ſunt pondere, nam qui ſunt naturales ponderoſi ſunt, dempto ſmiragdo; Artificiales vero leves exiſtunt. Una tamen probatio exiſtit quæ nunquam fallit, ac omnibus antecedit: nam qui artificiales ſunt, nonobſtant igni, ſed in ipſo liquantur, & colorem ac formam deperdunt cum ex fortiſſimo igne liquantur, ac etiam impoſſibile eſt, quin in aliqua parte ejus aliqua puncta ut ampullæ non appareant in ſubſtantia ejus, quæ adveniunt ex igneo calore, cum non bene proportionatum reddere poſſint in eorum compoſitione ut a natura in veris lapidibus fit. Poſſunt etiam tales falſi lapides ex aliis rebus com-

poni quam ex vitro nam ex multis mineris, ut ex sale, atramento metallis, ac aliis rebus, ut vidi, ac a pluribus doctoribus habetur, & maxime a fratre Bonaventura in secundo libro sui compostelli vocum, ex improviso cognitio naturalium lapidum ac ipsorum specierum ex magna experientia habetur, & ex continuo usu, ut sciunt illi qui in tali exercitio persistunt. Et sic finem imponimus huic primo libro.

Finis Libri primi.



CAMILLI LEONARDI De LAPIDIBUS.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

PROOEMIALE.

Peracta prima parte hujus noſtri libelli, illuſtriſſime Princeps, in qua de generatione lapidum ac ipſorum accidentium in univerſali pertractavimus, in præſentiarum in iſto ſecundo de ipſis lapidibus in particulari agemus. Ponendo primo an in lapidibus virtutes ſint, ac quomodo in nobis virtutem influant adducendo opiniones antiquorum, & cum vera Philoſophorum ſententia. Nomina quoque doctorum a quibus libellum noſtrum extraxi adducemus, ut quid ſcripſerim ab eis accepiſſe putes. Et cum oculis prius lapides objiciantur quam nomina dicantur, ut ex coloribus in nomina lapidis deveniamus alphabetum de coloribus cum propriis nominibus lapidum ponam, ad hoc ut cognito nomine virtutem lapidis cognoſcamus cum ad proprium capitulum recurſum fecerimus. Ultimo, pro complemento hujus ſecundi libri nomen omnium lapidum ſecundum ordinem alphabeti ponemus. Colores quoque ac loca in quibus in-

inveniuntur narrabimus, & ultimo vires ipsorum adducemus si a doctoribus reperiantur.

An in lapidibus sint virtutes, in quo variæ erunt opiniones.

Cap. II.

NOn parva nec inutilis difficultas inter celeberrimos doctores exiſtit de virtute lapidum, cum nonnulli eorum dicant, nullam virtutem ineſſe lapidibus, quod falſum eſſe arbitramur, iſtosque dimittamus cum totaliter a veritate diſcrepent. Aliqui vero ipſorum dicunt in lapidibus tantum elementalem virtutem ineſſe ut calidum, frigidum, durum, paſſibile, ac hujuſmodi inhærentia mixtis quæ ab elementali eſſe procedunt. Negantes quoque omnes alias virtutes inhærere a forma ſpecifica ſeu a ſubſtantiali eſſe lapidis, ut venena fugare, victoriam præbere, ac ſimilia. Et iſti tali frivolo modo ſuas rationes ac argumentationes comprobant dicentes: Quæ nobiliora exiſtunt nobiliores virtutes eis decent. Sed cum animata inanimatis nobiliora ſint; Ideo nobiliores virtutes animatis decent quam inanimatis, ſed cum animata his careant, ergo & lapides cum inanimati ſint. Habent etiam alias rationes perſuaſivas quas ob brevitatis cauſam relinquamus. Experientia primo contra hos militat cum virtutem in lapidibus propriis ocu-

oculis videamus. Nonne videmus magnetem ferrum attrahere? saphiros quoque antraces curare ac similia in multis? Non sanæ mentis esset qui talia negaret, cum hæc nobis innotescant ut prima principia. Ulterius contra negantes ex usitato verbo arguam, fama quam omnes famant non ex toto perit, sed cum fama semper tam apud aliquos antiquos quam apud omnes modernos fuerit, quod in lapidibus sint virtutes, ergo credendum est doctoribus istis quod in lapidibus sint virtutes: & auctoritas Salomonis in hoc magna est cum dicat: Diversæ virtutes sunt lapidum, quidam gratiam dominorum tribuunt, quidam igni resistunt: alii amabiles faciunt, alii sapientiam dant: quidam invisibiles faciunt: alii fulmina repellunt, quidam venenum extinguunt: quidam thesauros custodiunt & augent. Alii agunt, ut mariti mulieres diligant. Quidam tempestates marinas sedant. Alii infirmitates curant: quidam caput & oculos conservant. Et ut omnia concludam, quicquid humano generi excogitari potest per virtutem lapidum valet confirmari. Sciendum tamen est, quod in lapidibus interdum una est virtus, interdum duæ, interdum tres & interdum multæ: & hæ virtutes non insunt ex pulchritudine lapidis, cum aliqui turpissimi sint & virtutem magnam habeant: & aliquando formosissimi & nullam habeant, unde pro indubi-

dubitata conclusione teneter apud celeberrimos doctores, quod in lapidibus sint virtutes, quemadmodum in aliis rebus sunt: sed quomodo id sit, variæ opiniones sunt. Una quidem opinio fuit Pitagoricorum qui ponunt virtutes inesse omnibus rebus ab anima, & ponebant lapides ac omnia inferiora animata. Dicebantque animas posse ingredi & egredi aliam materiam per operationes animales, quemadmodum intellectus humanus se extendit ad intelligibilia, & imaginatio ad imaginabilia. Ita & in lapidibus dicebant quod animæ lapidum se extendebant ex propinquitate ipsius lapidis, ad hominem, in substantiam hominis virtutem suam imprimebant, & sic ponebant virtutem in lapidibus esse, ac operari mediante anima quemadmodum fascinatio fit per oculum mediante anima. Dicebant isti quod per visum anima hominis vel alterius animalis ingrediebatur in alium hominem vel animal & impediebat operationem illius animalis, quæ fascinatio seu impetitio non ex solo visu esse existimatur, cum visio fiat suscipiendo & non exiramittendo. Hujus opinionis esse videtur Virgilius in Bucolicis.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Talis autem fascinatio non solum in hominibus, sed etiam in brutis esse videtur, ut Solinus narrat, ac etiam Plinius, & in me ipso expertus sum quod cum lupi Italici visu

su hominem anticipant, hominis vox rauceſcit, nec alta voce clamare poſſunt cum prius nullum defectum in inſtrumento vocis haberent: nec hoc ſolo viſu accidere poteſt, ut ſupra diximus: ſed ab alia cauſa, ſcilicet ab anima faſcinantis. Et hanc opinionem ſecutus eſt Democritus, qui dicebat omnia plena eſſe Diis, ac etiam Orpheus, qui dicebat, Deos ac virtutes divinas eſſe diffuſas in rebus, & nihil aliud dicebat eſſe Deum niſi illud quod res format ac diffuſum eſt in omnibus rebus, & ſic Deos eſſe animas arbitrabantur, ac virtutem tribuebant rebus mediante anima, quod falſum ac abſurdum eſt apud omnes Philoſophos. Ideo omiſſis vanis opinionibus ad veram accedamus. Antedictis tamen prius contradicentibus reſpondeamus. Prætermiſſis illis qui negarunt aliquam virtutem eſſe in lapidibus, cum abſurdum ſit & contra omnes Philoſophos. Sed ad alios, qui dixerunt tantum in lapidibus virtutem elementorum eſſe, reſpondeamus. Cum dicunt quæ nobiliora exiſtunt nobiliores virtutes ejus eſſe debent &c. Concedo pro tunc verum eſſe, & dico, quod in animatis nobiliores ſunt virtutes quam in lapidibus. Nullus ſanæ mentis dubitat, quod in homine nobiliores virtutes ſint quam in lapidibus. Sed etiam in brutis ſic deducitur. Multa enim bruta exiſtunt quæ nobis temporis ſeu aeris mutationem oſtendunt, ut a multis

tis doctoribus habetur qui de mutatione aeris scripserunt, & maxime a celeberrimo viro deauratæ militiæ domino Nicolao de Comitibus Patavino, qui nostro tempore summus Astronomus fuit, in libello suo de mutatione aeris, Cap. VII. qui ponit, multa animalia ostendere cantu aut congregatione aeris mutationem. Nonne galli cantu suo distinctionem horarum diei nobis indicant? quæ animalia non solum in rebus superioribus virtutem demonstrant, verum & in inferioribus maximam habent, cum ex eorum partibus ac exeuntibus in hominibus maximam virtutem inferant, ut ex medicorum libris habetur, quæ omnia nobiliora esse puto quam sint virtutes lapidum. Unde concludamus illorum argumentum esse nullum, seu nullius valoris ac efficatiæ. Contra tertios, ne prolixus fiam, dico quod virtus lapidum non est ab anima, nec ab elementis tantum. Sed ut inferius dicemus, ab ipsa specie seu substantiali forma ipsius lapidis ut clare ex philosophorum dictis adducemus.

Quomodo & unde virtutes sint in lapidibus.

Cap. III.

MAgnam digressionem fecimus, nunc tempus est, ut ad rem nostram redeamus ne tædio legentibus efficiamur: cerum est, quod in lapidibus sunt virtutes, sed

unde

unde talis virtus emanat adhuc non declaratum est. Aliqui ponunt virtutes speciales ultra commixtionales esse in lapidibus ab elementis componentibus ipsos, & sua dicta tantum hac ratione corroborant. Nam quod ex aliqua componitur componentis virtutem habet, quemadmodum rivulus saporem habet sui fontis. Sed notum est quod lapides ex elementis componuntur ut in primo hujus declaratum est, ergo quicquid in lapidibus est tantum ab elementis evenit & non ab alia virtute. Plato ac etiam sui sequaces qui Ideas ponunt, dicunt omnia composita in quacunque specie ideam suam habere influentem sibi virtutem, & quantum talia mixta seu composita puriorem substantiam ex elementis habent, idea sua mediante materia puta ubi infunditur majorem perfectionem inducit: sed cum precioſi lapides sic sint, majorem ergo virtutem idea sua inducit in illis quam in aliis compositis non ita puriori-bus, & sic mediante idea in lapidibus virtutes speciales attribuunt. Hermes & multi alii Astronomi qui superiora considerant, dicunt omnes virtutes rerum inferiorum ex stellis ac imaginibus cœli provenire. Et secundum quod mixtum componitur ex purioribus ac impurioribus elementis, ita & virtutes stellarum ac imaginum cœli majorem virtutem influunt. Et cum precioſi lapides puritatem habent elementorum &

qua

quasi ut ita dicam cœlestem compositionem seu admixtionem ut in saphiro, balasio, ac in reliquis apparet, lapides majorem virtutem habent reliquis compositis non ita ex purioribus elementis: unde Hermes de causa virtutis lapidum ait: sciamus pro constanti omnium inferiorum virtutes a superioribus descendere: superiora enim substantia, lumine, situ motuque nec non & figura inferioribus influunt omnes virtutes nobiles quæ sunt in lapidibus. Patet ergo ex dictis istorum ac Ptolomei quod virtutes lapidum a stellis, planetis ac constellationibus sunt mediante puritate suæ complexionis. Possent aliæ opiniones adduci, sed cum vanæ sint, omittamus: nec contra supra dicta amplius instemus: nulla tamen istarum opinionum magis veritati adhæret quam Hermetis ac reliquorum Astronomorum, qui pro constanti ponunt, inferiora superioribus lationibus gubernari, ut sententia est omnium Philosophorum.

De vera opinione de virtute lapidum.

Cap. IV.

ET licet opiniones superius adductæ possint aliqualiter substentari, non tamen vere philosophicæ sunt, cum philosopho conveniat a sola substantia ac forma rei virtutes attribuere, ut ab Arist. habetur primo physicorum, dicente, quod materia

cum forma est omnium rerum causa quæ fiunt in subjecto, sicut materia sive substantia est causa omnium accidentium. Albertus magnus, qui summus ac maximus philosophus fuit, viam naturalem insequens, ponit quod virtus lapidum fit ab ipsa specie ac forma substantiali ipsius lapidis. Nam cum in mixto sint aliquæ res habentes pro causa virtutes elementotum, ut est durities, gravitas & similia. Et quædam res ut virtutes earum sunt habentes pro causa, ipsâm speciem. Exemplum quod magnes habeat duritiem, ferrugineum colorem & similia, ex virtute mixtibilium seu elementorum provenit. Sed quod ferrum attrahat, a specie ipsius magnetis evenit, quæ species nobis aggregatum ex materia ac forma indicat, ut de mente Commentatoris est primo Metaphysicæ, qui ponit, quod species non est tantum forma, sed totum aggregatum ex materia & forma, quod dat esse individuale huic materiæ. Nam esse omnium rerum secundum speciem propriam habet operationem ac proprium bonum secundum speciem in qua formatur ac perficitut in esse naturali. Et omnia complexionata instrumenta sunt ipsius formæ: nam desinente forma corrumpitur ac destruitur complexionatum, adeo quod forma continetur a materia sicut divinum ac optimum illius: est enim forma quoddam divinum infra celestes virtutes a quibus

datur

datur, & supra materiam complexionatam cui infunditur, & sic forma est una essentia simplex tantum operativa unius quodcunque sit illud proprium illius speciei: nam unius est tantum unum efficere eo quod ab uno tantum unum est. Possumus etiam aliter considerare formam, ut cœlestis virtus quæ multiplicatur in inferioribus ex imaginibus ac circulis cœli, qui distribuunt duodecim signa cum stellis suis supra orizontem rei illius cui infunditur: & sic ipsa forma est multiplex valde secundum virtutes elementales in quibus operatur, & potentias naturales suas quæ circumstant ad essentiam suam simplicem & sic ipsa forma multorum effectuum erit productive, licet forte unicam ac propriam habeat operationem, & hoc est quod fere omnes res non ad unam tantum virtutem determinantur notis operationibus ejus. Sed tantum forma specificans materiam potentior est aliis formis, licet multotiens propria forma ex indispositione materiæ rum ostendatur ac operetur. Unde Hermes de lapidibus ait, quod lapides ejusdem speciei variantur in potentia ex confusione materiæ, ac etiam ex loco generationis per directionem seu obliquitatem radiorum correspondentium supra illa loca. Adeo quod multotiens nullum effectum proprium illius speciei inducit. Unde philosophice considerando, & cum auctori-

tate Alberti magni dicemus: quod virtutes lapidum perveniunt ab ipsa specie mediante forma substantiali ipsius lapidis facta in convenienti loco ac proportionata materia, quæ convenit pro esse talis lapidis. Hæc etiam fuit opinio Platonis dicentis: Dotavit res quædam natura proprietatibus: omnino enim quodlibet secundum quod meretur a specie sua, ut agat quod proprium est ei in specie sua.

De omnibus nominibus doctorum a quibus ea quæ dicturi sumus accepimus.

Cap. V.

ET ne videar ea quæ dicturus sum de particularibus lapidibus ex me tantum dixisse: decrevi in hoc capitulo nomina omnium doctorum a quibus sumpsimus, ponere. Et licet inter ipsos aliquam dissensionem invenerim: tamen quod a pluribus comprobatum est accepi. Nullus ergo miretur, si quid dissonum a dictis alicujus doctoris interdum scribere videar. Sed alios quos nomino, prius inspiciat quam mordaci lingua me calumniet. Nam a pluribus quæ dixero comprobata inveniet. Quoniam tantum omnium ut plurimum infra scriptorum doctorum fidelis recitator sum, qui de tali materia scripserunt, quorum nomina hæc sunt: Dioscorides, Aristoteles, Hermes, Evax, Serapio, Avicenna, Joannes Mesue, Salomon, Physio-

siologus, Plinius, Solinus, Lapidarius, Heliamandus, Isidorus, Arnaldus, Juba, Dionysius Alexandrinus, Albertus Magnus, Vincentius historialis, Thetel Rabanus, Bartholomeus de ripa Romea, Marbodius Episcopus, Ortulanus, Liber pandectarum, Cornucopiæ, Kirandus, ac liber de natura rerum. Nam ut superius dixi, si quis bene omnium dictorum doctorum scripta intellexerit, me a dictis ut in pluribus comprobatorum non discedere cognoscet, sed eorum sententiis adhærere. Nam omnes istos pro ducibus hujus opusculi accepi.

Quomodo per colorem lapidis in cognitionem nominis devenire possumus.

Cap. VI.

Cum plerumque lapides oculis nostris offeruntur, quorum multotiens nomina ignoramus, ut celeri modo in cognitionem nominis deveniamus, quo cognito virtutem sciamus: alfabetum ex coloribus lapidum instituí. Cui nomina lapidum immediate subjunxi. Advertat tamen dominatio tua quod multi lapides in colore conveniunt, non tamen idem sunt. Et cum omnia in alphabeto dicere non possimus; habitis ergo nominibus ad propria capitula dominatio tua accedat: nam ibi magis distincte ex differentiis positis in veram cognitionem deveniet. Et sic mediante colore nostrum intentum consequemur.

A.

Argenteus. Adomamanta.
Aluminosus. Amiantus.
Argenteus. Agirites.
Argenteus. Androa. Azurinus. Armenus.
Albus. Aqueus. Berillus.
Albus. Borax.
Albus, cum pupilla nigra. Belloculus.
Albus. Corallus.
Aqueus albus. Cristallus.
Albus opacus. Corvina.
Aureus. Crisocollus.
Aureus Ignitus. Crisolansis.
Albus Citrinus. Cistolitus.
Aureus purpureus. Crisoprassus.
Albus. Coranus.
Aureus. Crisopis.
Aureus. Calcites.
Aureus rutilans. Estimion.
Aureus. Hammonus.
Albus speciosus. Exebenos.
Albus cum multis coloribus. Kamam.
Albus admixtus nigro. Lincis.
Aureus. Lisimacus.
Alba candida. Margarita.
Aureus. Marchasita.
Argenteus.
Aureas venas. Medea.
Albus perspicuus. Nitrum.
Albus ungueus. Onix.
Albus rubeus. Onychinus.
Aureis guttis seu stellis. Pontica.

Aqueus

Aqueus ut glacies. Peanites.
Albus grevis. Sanius.
Albus argenteus. Tale.
Albus aluminosus. Tegolitus.

B.

Bicolor, Demonius lapis.

C.

Cristallinus. Alectorius.
Candidus cristallinus. Astrites.
Ceruleus. Alebandina.
Croceus leoninus. Agapis.
Candidus levis. Asius.
Cineritium. Asini lapis.
Candidus interfectus croceis coloribus. Alabastrum.
Coralinus croceus. Ceraunius.
Candidus oblongus. Cimedia.
Candidus venosus. Cepocapites.
Candidus. Cheronia.
Citrinus. Corintheus.
Ceruleus purpureus. Cianica.
Cristallinus. Cambites.
Crocei coloris cum pupilla. Draconites.
Cristallinus. Enidros.
Candidus transparens. Fingites.
Citrinus aureus. Falconites.
Cineritius. Galatides.
Candidus lucens. Gelatides.
Citrinus. Gagates.
Cristallinus varius. Iris.
Croceus. Isistos.
Croceus. Lincurius.

Criſtallinus. Ligurius.
Criſtallinus nebuloſus. Kabrates.
Citrinus lucidus. Karabe.
Cerulea ſanguineis guttis. Pontica.
Candidus. Podros.
Criſtallinus. Panconus.
Citrinus lucidus. Succinus.
Candidus mellinus. Silenites.
Croceus. Sirites.
Candidus. Solis gemma.
Cineritius. Siphinus.
Croceus cum viriditate. Topatius.

E.

Ex multis venis ſeu coloribus. Achates.
Eburneus. Arabica.
Eburneus. Chemites.
Ereus cum vena flava. Balanites.
Ex multis coloribus. Cepionites
Ex multis coloribus. Exacolites.
Ex ſexaginta coloribus. Exacontalitus.
Eburneus. Emires.
Ereus cum nigredine. Frigius.
Ex multis coloribus. Hiena.
Ex quatuor coloribus. Licoptalmus.
Ex variis coloribus. Lepiolotes.
Ex tribus coloribus. Murena.
Ereus. Marchaſita.
Ex multis variisque coloribus Mitridax.
Ex multis variisque coloribus Oppalus.
Ex multis coloribus. Pantherus.
Ex duobus coloribus. Sardonix.
Ex multis coloribus. Ziazia.

F.

Ferrugineus criſtallinus. Adamas.
Ferrugineus. Abeſton.
Ferrugineus. Baſanites.
Flavus Calaminaris.
Ferrugineus. Magnes.
Flavus ac niger. Nicolus.
Ferrugineus. Orites.
Ferrugineus perſpicuus. Pirites.
Flavus perſpicuus. Saphirus.
Ferrugineus. Smiriglius.
Ferrugineus. Siderites.
Flavus albeſcens. Turchion.
Flavus cum aureis Crepuſculis, Zumemelazoli.

I.

Igneus cum venis albis. Antracites.
Igneus. Spilitem.
Igneus. Carbunculus.
Igneus aureus. Criſoletrus.
Igneus rutilans. Ceraunius.
Igneus aureus. Hormeſion.
Igneus obſcurus. Sardius.
Igneus. Sandanſtros.

L.

Lucidus filoſus. Amianton.
Lucidus nitroſus. Amites.
Lucidus. Cogolites.
Lucidus ut ſpeculum. Efeſtitis.
Lineis albis lineata. Pontica.
Lucidus. Ranius.

M.

Mareus. Mirites.
Mareus cum Glauco Zinilaces.

N.

Niger cum venis albis. Achates.
Niger cum punctis rubeis. Abſinthes.
Niger maculoſus. Auguſteum.
Niger purpureus. Alabandicus.
Niger. Aſpilatem.
Niger cum venis rubentibus ſeu albis. Abiſtos.
Niger lucens. Antifates.
Niger. Andromantius.
Nigri coloris. Amites.
Niger fuſcus. Borax.
Niger. Celidonius.
Niger. Calcofanos.
Niger. Ferrugineus. Dioniſia.
Niger. Doriatides.
Niger. Egipilla.
Niger. Gelachides.
Niger. Gagates.
Niger cum ſanguineis venis aut candidis. Galaxia.
Niger. Medus.
Niger. Magnaſia.
Nigerrimus. Morion.
Niger. Pirites.
Niger. Onix.
Niger cum albis zonis. Onix.
Niger cum ruffedine. Onix.
Niger. Orites.

Niger translucens. Osius.
Niger cum venis albis. Oppicardelon.
Niger translucens. Radaim.
Niger. Samotracia.
Niger cum venis candidis. Veietana.

O.

Oleagenus. Berillus.
Ocreus. Crisites.
Oleagenus pallidus. Diacodos.
Ostreus. Ostraces.
Ostreus. Philoginos.

P.

Purpureus. Roseus.
Purpureus vineus, Amatistus.
Purpureus vinaceus, aqueus.
Pallidus fuscus albescens, Calcedonius.
Purpureus. Celonites.
Palliolus. Diacodos.
Puniceus. Ethices.
Poraceus. Emetrem.
Pallidus gravis. Phrigeus.
Prasinus viridis. Sagda.

R.

Rubeus cum venis croceis. Achates.
Ruffus. Alabandina.
Ruffus lucidus transparens. Balaxius.
Ruffus pulverulentus. Bezoar.
Ruffus citrinus. Bolus.
Ruffus. Celidonius.
Rubeus. Corallus.
Rubeus obscurus. Ematites.

Ru-

Rubeus rutilans. Epistites.
Rubeus. Fongites.
Rubeus. Falcones.
Rubeus lucidus. Granatus.
Rubicundus. Gerades.
Ruffus croceis venis Gagatronicus.
Rubeus aqueus. Iacintus.
Rubeus. Lachinus.
Rubeus. Ligurius.
Rubeus cum albis venis. Prophirius.
Rubeus corallo similis. Tirfitis.
Rubeus. Varach.

S.

Subruffus. Indica.
Sanguineus cum venis nigris. Nassomonites.
Serpentinus. Ophites.
Sanguineus. Frigius.
Sublividus. Ranius.
Subalbiolus. Vernix.
Sanguineus. Yectios.

V.

Varii coloris. Amandinus.
Viridis. Amites.
Viridis. Oleagenus.
Viridis Aureus. Berillus.
Viridis. Pallens.
Viridis parum rubescens.
Viridis cum vena flava. Balanites.
Viridis poreus. Crisopraſſus.
Viridis marinus. Crisolitus.
Viridis pallens. Caldaicus.

Viri-

Viridis herbosus. Calorites.
Viridis. Caristeus.
Viridis aureus clarus. Crysopilon.
Viridis aureus Coaspis.
Varius. Drisolitus.
Viridis clarus. Doctus lapis.
Viridis cum guttis sanguineis. Elitropia.
Viridis aureus. Filaterius.
Viridis. Frigius.
Viridis non jucundus. Galerica.
Viridis cum venis rubeis. Japsis.
Violaceus. Jon.
Viridis. Ligurius.
Viridis cum venis albis. Leucocrisos.
Viridis. Limoniates.
Viridis. Medus.
Viridis crassus. Melochites.
Violaceus. Orfadus.
Viridis Prassinus. Prassius.
Viridis cum guttis sanguineis. Prassius.
Viridis cum lineamentis albis. Prassius.
Viridis clarus. Pontica.
Viridis cum serpentinis maculis. Porphirus.

De particularibus lapidibus secundum ordinem alphabeti.

Cap. VII.

POst sermones istos universales, ad rem nobis optatam, illustrissime Princeps, in præsentiarum devenimus, quæ in particulari est de nomine ac virtute lapidum: ideo

ideo in isto 7. Capitulo per totum usque ad principium tertii libri sermo noster erit de lapidibus secundum ordinem Alphabeti. Nam primo nomina lapidum imponemus, addemusque si plura nomina eis insint, & unde nomen vendicaverint: subjungemusque colorem lapidum ac eorum species si plures eis insint, & in qua specie meliores existant: locusque generationis sive inventionis aderit. Ultimo pro re magis preciosa ac omnibus magis desiderata virtutem adducemus, ut agnoscamus omnia quæ a summo opifice producta fuerunt, ad salutem humani generis esse. Cui infinitas gratias reddere debemus, cum non tantum animæ, sed & corpori pro salute semper intentus sit.

A.

ADamas precioſiſſimus lapis colorem ferrugineum terſum habens ac quaſi criſtalli: cujus quantitas nunquam major quantitate avellanæ reperta eſt. Cum nulli materiæ cedat, nec igni nec ferro, omniaque contemnat: ex Græca interpretatione nomen ſumpſit, quod eſt indomita virtus. Ponunt aliqui tantum molleſcere a tepido hirci ſanguine: quod fabuloſum eſſe exiſtimo, cum plures ictu mallei frangi viderim. Nec aliquid tam durum reperitur, quin ab adamante patiatur. Mirum eſt ut fertur quod magneti contrariatur, ipſam ligando ne ferrum attrahat: cujus

ſex

sex species a doctoribus magis notæ dictæ a locis in quibus inveniuntur, ponuntur: nam Indicus: Arabicus: Syrtheus: Macedonicus: Aetyopicus: ac Cypricus per ordinem invicem succedunt. Indicus parvus inquantitate existit: sed in virtute major, & hic est qui malleo resistit: ponderosus ac perlucentis cristalli colorem habens. Arabicus huic assimilatur, sed pallidior ac minoris quantitatis. Syrtheus ac Macedonicus splendentis ferri colorem habent. Æthyopicus omnibus obscurior. Cypricus in aureum colorem vergit omnibus vilior ac mollior: omnium specierum virtutes est venena repellere, tamen ipse potatus mortale venenum existit. Veneficis artibus resistit. Vanos metus expellit: jurgia ac rixas vincere facit. Lunaticis ac repletis dæmone prodest: ligatus sinistro lacerto, hostes vincere facit: indomitas bestias humiliat: incursionibus fantasmatum ac incuborum subvenit: in agendis rebus gestantem audacem virtuosumque efficit. Adamantis quoque Indici seu Arabici, ut a multis ponitur, est ut magnetis virtus, dirigere ferrum ab eo tactum ad polum arcticum, & ex hoc nonnulli adamantem magnetem vocant.

Achates lapis diversorum colorum existit. Varianturque in eo colores ex locis suæ generationis, quorum species plures sunt, sed septem famosiores existunt, quæ

non

non tantum colore, sed virtute variantur, ut lapidarii ponunt. Sicilia primum achatem dedit ab Acheo flumine inventum. Unde ex hac causa Siculus primo ponitur, demum Creticus, Indicus, Ægyptiacus, Persicus, Arabicus, Cypricus. Siculus niger est intersectus vena alba. Creta corallo similem achatem producit aureis venis seu guttis variatum: Indicus ex multis coloribus ac venis variatur: ex quorum intersectione diversæ imagines multotiens fabricantur. Nunc ferarum genera, flores, aut nemora: nunc volucres aut regum protendit naturales effigies, ut in Achate Pyrrhi regis fertur, ac etiam vidi Achatem in quo septem arbores in quadam planitie apparebant, & hi optimi ac omnibus excellentiores existunt: Ægyptiacus vero rubedine ac albedine carens variis venis intersecatur. Persicus succensus mirti odorem spirat, ut aliqui ponunt. Dionysius de situ orbis ponit achates Persicos esse in forma chilindri, qui per decursum aquarum ex montibus in Coaspide flumine ruunt & inter arenas reperiuntur. Arabicus ac Cypricus coloribus diversis variantur, tendentes ad vitream transparentiam. Virtutes Achatum secundum specierum diversitas variantur. Sed inter se omnes in hoc conveniunt quod homines sollicitos reddunt: sed Siculi propria virtus est viperarum ac scorpionum veneno resiste-

re,

re, si supra puncturam ligetur, aut tritus vino potetur. Indicus venenosa fugat. Visum in aspiciendo fovet. Sitim ore retentus mitigat. Gestanti victoriam præbet: vires corroborat: tempestates avertit: sistitque fulmina. Creticus visum acuit. Sitim ac venena extinguit: gratum ac facundum gestantem reddit: viresque conservat ac corroborat. Mini superfluum videtur virtutes singulorum exprimere, cum ad invicem coincidant: brevitatis itaque causa omitto.

Ametistus ex purpureis ac transparentibus lapidibus existit violaceo colore permixtus, roseasque flammulas fundens. Cujus quinque species sunt: omnes tamen ad purpureitatem vergunt, coloribus variis injunctam. Indicus colore, decore, ac precio alios excedit, habens purpureum admixtum cum roseo ac modico violaceo. Qui vero sola purpureitate abundant non adeo precioli sunt. Violaceus vinaceus: ac violaceus aqueus reliquis viliores sunt. Loca in quibus inveniuntur eis nomen tribuerunt. Indicus principatum obtinet. Arabicus, Armenius, Galaticus, Ægyptiacus, Tarsicus, ac Cipricus per ordinem subsequuntur, licet duo ultimi omnibus viliores ac sordidissimi existant, & de his a doctoribus non fit mentio. Omnes tamen ad sculpendum habiles existunt. Virtus eorum est ebrietatem fugare: nam cum su-

pra umbilicum ligantur, vini vaporem refrenant, & sic ebrietatem solvunt: cogitationes malas reprimunt: bonum intellectum inducunt. In agendis negociis vigilem ac expertum efficiunt: sterilem fœcundant, lotione ejus bibita: Venenum extinguunt. Militantes custodiunt, ac inimicos superare faciunt. Ad capturam facilem sylvestrium ferarum volucrumque præparant.

Alectorius cristallini coloris lapis existit cum obscuritate parva tendente ad aquæ limpiditatem: & interdum quasi venas carneas in superficie habens, ab aliquibus Gallinaceus dicitur a loco suæ generationis cum in ventriculis gallorum gallinaceis qui post 3. ann. suæ ætat. castrantur, demum per 7. annos vixerint, inveniatur: nec ante extrahi debet: nam quanto vetustior, tanto melior. Cum lapis in gallinaceo perfectus est, non bibit. Nullus tamen compertus est in quantitate magnam fabam excedere: Et ut Solinus refert, tempore Milon. Tarqu. Sup. enituit. Virtus hujus lapidis est, gestantem invictum reddere. Retentus in ore sitim aufert, ideo luctantibus convenit. Gratam marito uxorem reddit, honores præbet: acquisitos conservat: fascinatos solvit, disertum, constantem, gratum ac amabilem efficit: deperditum regnum ac extraneum acquirere facit.

Androdamanta sive Androdamas durissimus ac ponderosus lapis est, quasi adamas argenti terši nitorem habens : est ejus figura quadraturis tesserisve distincta. Reperitur inter arenas rubri maris: nomen ei putant impositum esse ex sua virtute cum iracundias ac impetus animi refrenare faciat, quod ab Arabico venit, virtusque ejus est etiam luxuriam sedare ac corporis gravitatem auferre.

Astrites, astrion, asterius sive asterites, candidus cristallo propinqvus lapis exiſtit: lucem velut stellam inclusam continens ambulantem a qua parte lumen suscipit cum in eo videatur esse forma similis flagranti stellæ, aut exurenti flammæ, dicitur ab astro quasi stella & ion imago. Thracia ac Carmenia eos producit qui tacti a solaribus radiis candidi esse videntur.

Alabandina ruffus ac ceruleus ut Cardius lapis est, & taliter imitatur ut vix alter ab alterius valeat colore secerni : a regione Asiæ sic dicta, ubi primo inventus est, nomen sumpsit. Sanguinis fluxum provocare virtus ejus est. Bibitus omnem veneni vim exprimit ac extinguit. Varias opiniones de colore hujus lapidis reperio: sed natura a pluribus comprobantur.

Agapis croceus in colore pellis leonis lapis est: ab agape dictus quod dilectionem importat: Cum virtute sua ab hominibus diligatur. Miram in scorpionum ictibus

ac viperarum morsibus virtutem habens vulneri alligatus: linitusque aqua circundato vulnere dolorem statim tollit ac mitigat.

Andromantes in colore niger, ponderosus ac durus lapis est: dicunt argentum ac æs ad se attrahere: quemadmodum magnes ferrum.

Attritus sanguineum colorem ut ematites in aquam emittit.

Antracites seu antrachas, ardentis coloris lapis, scintillans ut carbunculus: qui a candida vena præcinctus est, non sustinens ignem, per unctus oleo color extinguitur, exardescitque aqua perfusus. Albertus magnus ponit ipsum pro carbunculo. Sed non est, ut alii ponunt, quamvis cum ipso participet in colore ac virtute. Virtus ejus est pestilentialem aerem expellere, ac gestantem tutum reddere. Apostematibus suo nomine dictis subvenit, eo quoque modo quo de agape ante diximus.

Amandinus lapis varii coloris existit: cujus virtus magnificata est in extinctione veneni, gestantemque victoriosum efficit: somniorumque ac ænigmatum interpretem instruit varias quæstiones solvere, cum ei proponuntur.

Abeston sive abestus ferrei coloris lapis est, quem Archadia ac Arabia producit, abeston dictus. i. e. inextinguibilis: quoniam accensus perpetuam retinet flammam. Et

ex hoc gentiles in candelabris templorum coluerunt: ideo quia fortissimam flammam ac inextinguibilem in se retinet, nec imbrib. seu tempestatibus extinguitur. Habetque lanugineam naturam, & a multis pluma salamandræ appellatur: ab inseparabili unctuoso humido a sua substantia ignis fovetur: ideo semel accensus perpetuam lucem conservat sine aliquo liquore addito.

Asius candidus ac levis ut pumex lapis est, & cum lingua linitur gustum falsum prebet: constrictus manibus facile in pulverem vertitur. Ex Alexandria deportatur: licet in aspectu non speciosus sit: in virtute tamen summus est. Nam pthisicos cum rosaceo zuccharo more electuarii sanat: scrofulas, fistulas, podagram, ac multas alias ægritudines curare dicitur: ut ex medicorum libris habetur.

Amianton filosus ac lucidus in colore lapis existit: in similitudine aluminis plumosi, tamen cum majori tenacitate: multis linum vivum dicitur. Nam cum in igne decoquitur, demum teritur: fila ut linum emittit quod a sua inseparabili viscositate ab igne non passa evenit: & more lini filatur. Cum antiqui defunctorum cineres reservabant ex amianton sacculos conficiebant: ipsis mortuorum corpora imposita conburebant: illæso sacculo hoc agebant: ne quid extraneum cineribus mortuorum

admiſceretur. Valere incantationibus ac magorum veneficiis virtutem ſuam dixerunt.

Auguſteum ex marmorum ſpecie nigri coloris lapis eſt. Undatim maculæ in ſerpentum ſpeciem inſunt: Tiberii Auguſti tempore in Ægypto repertus a quo nomen vendicavit.

Alabaſtrum ſive alabaſtrites intercinctus albis venulis ac citrinis colore candidus lapis eſt: ex genere marmorum ad unguentaria vaſa optimus: cum in eo illæſa præſerventur. Circa Thebas ac Damaſcum invenitur probatiſſimus, ac cæteris candidior in India ac Carmenia. Viliſſimus ſine candore in Cappadocia. Optimus quoque exiſtit qui mellinum habet colorem, non cum multa tranſparentia. In medicinis valet ut a Dioſcaride ac a multis aliis doctoribus habetur. Geſtans cauſarum victorioſus erit.

Alabandicus niger in purpureum vergens lapis eſt a loco nomen ſumens ſuæ primæ inventionis: ab igne colliquatur, ac funditur more metalli: utilis ad vitrariam artem cum vitrum clarificet ac albefaciat. Reperitur in multis Italiæ locis & a vitrariis Mangadeſum dicitur.

Aſpilatem in Arabia lapis genitus nigri coloris in nido Arabicarum avium ut plurimum invenitur, ſpleneticos curat. fimo cameli ſpleni alligatus.

Abi-

Abiſtos nigri coloris lapis eſt, rubentibus ac niveis venis lineatus, ab igne calefactus per octo dies calorem in ſe retinet, gravis ac ponderoſus exiſtens plusquam ſibi videtur ſua quantitas miniſtrare.

Aſinius ſive Aſininus lapis ab aſino animali dicitur: quoniam ex ſilveſtri aſino extrahitur. Subalbidus & parum in citrinum tendens cum rotunda ac parum oblonga figura in quantitate non magnæ nucis: non durus cum aliquibus anfractibus non multum penetrantibus. Cum frangitur ſubcitrini ſmalti lucidi ſimilitudinem retinet. Hic lapis duplex eſt Maxillaris, ſ. & Cephalicus. At Cephalicus capiti impoſitus ejus dolorem ſedat ac Epilepſiam curat. Maxillaris quia in maxilla reperitur: Geſtantem indefeſſum reddit: ut nulli in prælio ſuccumbat: quin potius laſſatis hoſtibus ipſe reſumptis viribus diro cruciatu reverberet. Venenoſis animalibus reſiſtit. Sumptus cum vino quartanas febres excutit. In necando vermes puerorum miram virtutem habet: ſi cum vino ſumatur nocumentum aquæ bibitæ in qua ſteterit venenum corrigit: ac reptilium morſus curat. Prægnantibus auxiliari fertur, & ex aluo mortuum fœtum educere.

Arabica ſeu Arabus in colore eboris Iapis eſt, nomen ab Arabia ſumpſit: in qua primo inventus eſt. Valere dicitur in doloribus nervorum. In Ægypto quoque re-

reperitur odorem ac colorem myrti habens, & in usum odoris servatur: Crematus dentifriciis accommodatur.

Amiatus sive Amiantus in colore aluminis lapis existit: nec in igne deperditur. Veneficiis magorum resistere fertur, utilissimus quoque ad medicinalia.

Antiphates ex lucenti nigro lapis est. Odorem ac saporem myrti reddit, si in vino ac lacte coquatur, fascinationibusque auxilium præbet.

Amites lapis est aluminis seu nitri colorem habens, durior tamen his existit. In Ægypto ac in Arabia gignitur: Æthyopicus viridis est, cum in aqua dissolvitur lacteum colorem efficit.

Armenus lapis secundum Avicennam est lapis azurinus: & secundum aliquos est lapis habens colorem inter viridem obscurum, & nigrum, frangibilis leviter: levis tactu: carensque asperitate: habetque mirabilem proprietatem in curando humorem melancolicum.

Aquilinus limphaticus in quodam pisce reperitur humanæ vitæ commodus. Nam appensus aut gestatus incommoda quartanæ febris propellit ac aufert.

Anancithidus necromanticus lapis existit, cujus virtus est evocare imagines dæmonum ac spirituum.

Agirites in colore argenti lapis est habens stigmata aurea.

An-

Antitaneus idem quod Crisocolla.
Aquileus idem quod ethices.
Androa idem quod androdamanta.

B.

Balasius purpureo seu roseo colore flammescit ac rutilat, & a nonnullis placidus dicitur: aliqui putant esse carbunculum colore ac virtute diminutum, quemadmodum virtus fœminæ a virtute maris differt. Pluries compertum est, quod exterior pars unius lapidis attestatur balasio interior carbunculo, & ex hoc dicunt balasium esse domum carbunculi. Balasii virtus est, vanas cogitationes ac luxuriam auferre ac reprimere: Conciliare amicorum discordias ac in humano corpore sanitatem inducere. Qui tritus ac potatus cum aqua oculorum infirmitatibus opitulatur & hepatis doloribus subvenit: & quod mirum esse arbitror: si ipso balasio quatuor domus angulos, viridarii, aut vineæ tetigeris: a fulgure, tempestatibus, sive a vermibus erunt immunes.

Berillus oleagini coloris sive aquæ maris lapidis existit: dicunt novem esse ejus species, omnes tamen in viriditate pallentes. Nomen habet a regione seu a gente ubi primo inventus est: Reddens sexagonam formam conspicuam. India producit berillos albos ut maris aqua insecta ex solis radiis: ac tales raro alibi reperiuntur: similes oleo aut aquæ maris curiosa vetustas ma-

gis in precio habuit. Moderniores vero obscuri cristalli colorem habentes, cum magis adamanti assimilitantur, existimaverunt, ac tales a quibusdam Catel dicti sunt. Est & alia species pallidior & ysoberillus dicitur: qui aureo seu glauco colore fulget, & hi Babilonici sunt, huic Crysopilon pallidior propinquus existit: subsequitur his Hyacinthizontes. Demum Heroides. Post hos Ceruini ac Oleagini obscuri: Cristallini Cristallo similes. Sed Indici omnibus precioſiores sunt: cum multam transparentiam habeant: & hi cum moventur, apparet quod aqua in eis moveatur: & hæc est sententia Alberti, licet ab aliis discrepet: Si vero hi in formam pilæ rotundentur: ac radiis solis subjaceant, ignem emittunt ut specula concava: variæ ei virtutes insunt. Alacrem gestantem reddit. Conjugii amorem conservat & auget. Collo appensus vana somnia pellit. Gulæ ac faucium & omnes ægritudines ex humiditate capitis pendentes curat, ac ab eis præservat: sumptus ac permixtus cum tanto argenti pondere lepram curat. Aqua in qua steteritdemum sumpta oculis opitulatur: potataque suspiria tollit: ac hepatis infirmitates curat. Prægnantibus quoque ne partum abortiant nec quid incommodi patianturcoadjuvat.

Borax, Nosa, Crapondinus; synonima sunt ejusdem lapidis qui a buffone extrahi-

tur,

tur, cujus duæ ſpecies, albus & hic melior ac raro repertus: Alter vero niger, fuſcus, cum ceruleo calore, habens in medio ſimilitudinem oculi, debetque extrahi a buffone mortuo adhuc palpitante: & hi meliores exiſtunt his qui extrahuntur poſt diuturnam moram ſub terra. In veneno mirabilem virutem habent. Nam cum quis venenum ſumpſerit hunc deglutiat: qui deglutitus inteſtina circuit: venenoſam qualitatem in inteſtinis impreſſam extinguit: & per ſeceſſum exit ac reſervatur. In reptilium morſu juvamentum præſtat, Febresque tollit: ſtomachi ac renum diſpoſitiones malas emendat, ſi ejus lotio ſumatur: & nonnulli dicunt ſi geſtetur.

Bezoar rubeus, pulverulentus, levis, ac frangibilis lapis eſt, Citrinus a nonnullis deſcriptus eſt. In veneno omnes prædicant primum locum obtinere. Nam dragma ex eo ſumpta quodcunque ſit venenum extinguit & liberat. Unde ob ejus excellentiam omne liberans ab aliqua ægritudine Bezoar dicitur illius ægritudinis. Et ſic etiam generale nomen eſt ut a Conciliatore de venenis ac multis aliis doctoribus habetur.

Bolus Armenus eſt vena terræ in Armenia reperta, & inter lapides ex eximia ejus virtute, licet lapis non ſit, connumeratur. Cujus color ſubruffus eſt ad citrinitatem vergens cum viridi obſcuritate. Cujus com-

complexio frigida ac ſicca eſt. Vix ſumma ab omnibus doctoribus poſita. Peſtiferis febribus ac ventris fluxibus eſt remedium præſtans Emoptoicis, Spleneticis, Stomaticis opitulatur. Adulteratur multum, ac parum de vero ac bono invenitur, nec unquam vidi bonum.

Beloculus lapis eſt albus pupillam nigram in medio habens. Ex ſua pulchritudine Deo Aelo Syrii dicarunt in ſacrificorum ornamentis. Geſtantem in campeſtri bello invictum reddere fertur.

Baſanites ſive Baſaltem ferrugineum colorem habens lapis eſt, in Ægypto ac Æthyopia reperitur, & cum teritur aqua croceum colorem emittit.

Bronia capitis teſtudinis ſimilitudinem habet: virtus ejus eſt fulminibus reſiſtere.

Balanites duarum ſpecierum lapis eſt, una viridis, altera æris colorem habet cum vena flammea per medium ſecante.

C.

Carbunculus & quibusdam Antrax dicitur, ardentes in violaceum undique vibrat radios: & quaſi carbo ignitus videtur apparens in tenebris. In ardentibus gemmis principatum obtinet colore, decore ac precio. Quorum ſpecies duodecim ſunt: ſed nobiliores in Libia apud Troglo-ditas reperiuntur: non ab igne patitur, nec colorem alterius gemmæ cum appropinquatur ſuſcipit. Sed aliæ gemmæ recipiunt.

Eſt

Est enim mas & fœmina, in maribus stellæ intus ardere videntur: Fœminæ vero fulgorem extra mittunt, & aliqui hos Indicos esse dicunt reliquis precioſiores. Licet dixerimus ardentium ſpecies esse duodecim: tantum de quinque magis notis mentionem faciemus. Nam primum locum Carbunculus obtinet: Rubinus ſubſequitur. Balaſius quoque in hac ſpecie computatur. Rubith idem quod ſpinella, quartum obtinet locum. In ultimo Granata annumeratur. Vires Carbunculi ſunt aerem venenoſum ac peſtiferum fugare, luxuriam reprimere, ſanitatem corporis inducere ac præſervare. Malas cogitationes aufert, ac amicorum lites conciliat, & ad omne proſperitatis augmentum facit.

Calcedonius ſive Calcedon, ut quidam dicunt, in colore pallidus eſt. Sed ſaphirinus præſtantior: a doctoribus vero tres ſpecies magis notæ ponuntur, licet a nonnullis plures. Nam hodiernis temporibus tot diverſas ſpecies Germania producit quod vanum eſſet enarrare. Nam ſaphirinum primum occupat locum. Pallidus fuſcus parum albeſcens ſubſequitur. Ultimus eſt rubeus extinctus, non tranſparens. Multotiens hæ premixtæ ſunt ſpecies, & in uno tantum lapide reperiuntur varii colores: omnibus locis perfectiſſimos Æthyopia producit. Nonne etiam in littore Adriatici maris prope tuam civitatem Calce-

cedonii albi pallentes ac etiam fusci durissimi reperiuntur? Fantasticas illusiones collo suspensi ex melancolia ortas expellunt. Si perforatum trajectumque ex setis asini quis tulerit, in civilibus causis ac certaminibus victor erit. Corporis vires conservat. Nigri seu saphirini raucedinem prohibent vocemque clarificant. Omnes ejus species libidinem frenant. A tempestatibus ac ab adversis casibus præservant.

Chelidonius lapis est inventus in ventre pullorum hyrundinum, cujus quidem binæ sunt species. Nam qui rubeus est gestatus in panno lineo mundo insanis ac lunaticis prodest, & diurnas infirmitates eradicat: facundos ac gratos gestantes reddit: Attritus aqua more colyrii oculorum ægritudines curat. Niger vero ad optatum finem suscepta negotia conducit. Iras compescit, gerentem quoque gratum ac placidum efficit: dominorum iras mitigat. Alligatus collo in panno lineo croceo febres effugat: Omnesque nocivos humores refrenat ac æquat. Compertum est appensum collo Epilepticos ac ictericos sanare. Nonnulli dicunt quod debent involvi in pelle vituli seu cervi non nati, & sinistro brachio alligari. Debent tales lapides extrahi dum pulli parvi stant in nido, ac de mense Augusti ut perfectiores existant, & pulli non tangant terram nec parentes adsint dum extrahuntur.

Co-

Corallus more arbusti in mari nascitur, absque foliis, non excedens bipedalem magnitudinem: cujus binæ sunt species, rubeus & albus. Avicenna ponit tertiam speciem esse nigram. Vidi simul conjunctos in uno stipite album & rubeum. Albi vero ut plurimum perforati sunt: & hi inutiles existunt: non perforati cum summa albedine ac rubicundissimi optimi sunt. Virtutes eorum & maxime rubentis est omnem fluxum sanguinis sedare: gestatus aut ubicunque fuerit in domo vel navi, Manes, Demoniacas umbras, ludibria, omnia, Fulmina, ventos ac tempestates fugat: & a Methrodoro gorgiam nominatur: quod interpretatur typhonibus ac fulmininibus resistere, protegitque ab omni ferarum incursu. Stomachicis ac cardiacis passionibus subvenit. Suspensus ut stomacum tangat aut sumptus debilitati stomachi opitulatur, splenis apostematibus & intestinorum juvamentum præstat. Corosas gingivas solidat, putrida ulcera absterget, ac nocivam medicinam reprimit. Rasura ejus cum vino bibita prodest mingentibus arenulas. Contritus & aspersus aut suspensus inter fructiferas arbores aut in agro cum semine, fertilitatem inducit: & ab eis grandinem nocivosque imbres avertit. A fide digno accepi, ac multotiens expertus sum, ne infantes in epilepsiam incurrant, quam primum ex utero exeunt, an-

antequam quidquam gustent in ore pueri ponatur dimidium scrupuli rubei coralli bene triti, & deglutiatur: est enim mirabile servativum: quam plures virtutes eis insunt, quas brevitatis causa omitto.

Cornelius rubeus seu ruffus ac transparens lapis est, & hi orientales existunt: in Rheno flumine rubicundissimi ac quasi colorem minii habentes reperiuntur: nonnulli ad citrinum diafanum vergunt: loturæ carnis similes. Menstrua refrenat: hæmororidas sistit. Dysentericos curat. Collo aut digito gestatus rixas accensosque animos compescit.

Cristallum ad instar glaciei colore ac transparentia lapis est cum non modica duritie. Aliqui putant nivem esse glaciatam ac induratam per triginta annos, & ex annositate in petram esse conversam. Aliqui dicunt a terreitreitate & non a frigiditate lapideitatem acquisivisse.

Oppositi antedictorum sunt dicentes quod hi ut alii lapides cum multo tamen aqueo generantur: rationem suam confirmant dicentes in partibus nunquam meridionalibus esse compertum cristallum, in quibus nix existit: Prima opinio a pluribus comprobatur, cum videant in septentrionalibus Alpibus ubi continuo nix seu glacies existit: cum Sol æstivo tempore ferrentissimos suos radios non mittat nisi multum oblique ex elevatione poli, & ib

ma

maxima quantitas cristalli abundet. Gignitur etiam in Asia ac Cypro. Præstantior vero in jugis Alpium, Æthyopiæ, & in insula quoque rubri maris, Meron dicta, sita ante Arabiam: Scythia quoque cristallo abundat ad pocula conficienda. Fabricata ex cristallo pila radiis solaribus exposita inflammat materiam suppositam conbustibilem: sed prius calefacta pila nequaquam accendit. Hoc apud philosophos rationabile est, nec est præsentis investigationis. Cristallum dormientibus appensum mala depellit somnia: soluit fascinatos: ore retentum sitim mitigat. Et cum melle tritum ubera lacte replet. Usus quoque cristalli potius ad fabricanda pocula existit quam ad aliud.

Crisoprassus sive Crisopressus colore viridis, similis succo prassii, lapis est intercluſas habens guttas aureas: unde nomen vendicat. Nam crisos Græce aurum cum ex colore aureo ac viridi compositus sit: India ac Æthiopia dat. Summa virtus ejus est visum fovere. Assiduitatem in bonis operibus præstat: avaritiam pellit, cor lætificat, passionesque ejus ammovet.

Crisoletus, Crisolimus seu Crisolensis ex auro ignique colore scintillans ac transparens lapis est: sed proprie Crisoletus dicitur Græca lingua nomen sumens: nam crisis Græce, Latine aurum, & oletus totum, unde Crisoletus totus aureus, Æthiopici

optimi sunt: Indici ac Arabici non adeo lucidi ac transparentes existunt, habentes in se fuscam nebulam ac etiam ad citrinum vergunt; Æthyopici in matutinis igniti videntur, in die vero aurei apparent. Ligatus auro & in sinistra manu gestatus dæmones expellit nocturnos, timores ac melancolicas visiones fugat. Præcipua ejus virtus est valere contra incantationes detestabilium muliercularum, & earum præstigia enervare: perforatus trajectusque ex setis asini in pellendo dæmones majoris est virtutis: detentus in manu febrilem calorem extinguit.

Crisolitus, hujus quidem lapidis unum genus est, translucens, aurei coloris, habens quasdam ardentes scintillas. Alterum vero quod a pluribus comprobatur, cæruleus ac virens est ac si aqua maris in majorem viriditatem tenderet. Solaribus radiis suppositus auream repræsentat stellam. Reperitur in Æthyopia. Locatus in auro nocturnis timoribus obstat: dat sapientiam ac honorem: stultitiamque repellit: tritus ac potatus astmaticis subvenit.

Celonites seu Celontes in triplici genepe ut quidam volunt existit. Extrahiturque ex magna testudine in colore margaritæ habente testam. Uterinus vero varius ac purpureus est, cujus proprium est igni resistere. Virtus ejus in hoc censeatur digna præconio: quod si quis congruo tempore ab-

abluto ore sub lingua gesserit fertur continuo quasi divino spiramine futura prædicere. Tempora hæc sunt: die quidem toto primæ lunæ, ac XV. Diebus vero cæteris totius lunaris ascensus ab ortu solis usque ad VI. horam quotidie. Descensus vero toto tempore ante diem virtutis hujuscemodi largitur effectum. Alii duo lapides, cephalicus ac hepaticus sunt, quorum virtutes non exiguæ sunt. Cephalicus quidem dictus est sua inventione cum in capite reperiatur: prævalet quidem ad capitis dolorem: resistitque fulminibus. Hepaticus vero ex inventione dicitur, cum aqua tritus ac bibitus ante accessionem quartanæ mirabiliter liberat. Hi sunt quoque lapides dicti Drome. Gestati vero cum radice pæoniæ gestantes faciunt summe compotentes.

Cogolites seu Cogolites a doctoribus medicinæ Judaicus lapis dicitur, ex sua ibi frequenti inventione similis olivæ nucleo. Intus vero colorem habet aluminis seu argenti: non gratus visui: sed oportunus medelis. Tritus ac aqua solutus, & per os assumptus renes lapidosos soluit: ac arenas vesicæ purgat: & cum convenienti aqua haustus stranguriam removet.

Ceraunius seu Cerraolus lapis est formam piramidalem habens. Genera eorum bina sunt, cristallinum croceo infectum: alterum colore pyritis. Ferunt ex

nubibus cadere & in loco propinquo ictui fulminis. Germanicus primus est. Hispanicus vero secundus ut ignis flamma rutilans est. Socatus aliam speciem nigram ponit. Euax his contrariatur, cum ex diversis coloribus esse dixerit. Durissimus tamen est & magnæ virtutis. Nam gestantem mergi non sinit, nec turbine aut fulmine percuti: in causis ac prælio victoriam inducit: dulcia ac læta somnia ministrat.

Corvina lapis in capite corvi piscis reperitur & semper bini sunt: color ejus albus opacus est cum oblonga ac gibbosa figura ab una parte, in altera concava, cum aliquali eminentia in medio: extrahitur palpitante pisce, ac luna crescente, & de mense Maii. Gestatus ut carni adhæreat iliorum dolores aufert: tritus ac sumptus idem facit.

Cimedia ex cerebro piscis sui nominis extrahitur, bini in capite reperiuntur. Tertius juxta spondilem tertiam versus caudam piscis: est rotundus longitudinis digitorum septem. Cujus caput latum est transparens adeo si lumini obiciatur intus spina apparet. Dicunt Magi quod virtus eorum est prænunciare maris ac aeris tranquillitates ac tempestates. Luxuriam per diem excitant si in potu sumantur.

Calchophanus niger est, gestatus in ore fauces præservat a raucedine: ac sonoram vocem efficit.

Cal-

Caldaicus ſive callayca viridi palledine ac craſſa: non limpidus: nec viſu jucundus: auroque decens lapis eſt: Media Germaniaque in gelidis rupibus ultro porrigit inſtar oculi.

Criſocollus in ſimilitudine auri lapis eſt. Media provincia producit, ubi formicæ aurum eruunt. Magnetis virtutem obtinet: ac aurum auget.

Criſopraſſus lapis eſt in tenebris lucens: colore reciproco ac confuſo: velut quercus putrefacta ac in obſcuro collocata: in luce vero marceſcit, in colore pallidi auri absque aliquo nitore.

Chemites Eboris ſimilitudinem habens, non ponderoſus, in duricie marmoris lapis eſt, illæſa mortuorum corpora a vermibus ac putrefactione longo ævo ſervare narrant.

Criſanterinus in aureum colorem vergit, frangibilis eſt: licet incultus: non ſpernenda eſt ejus virtus. Collo ſuſpenſus phthyſicos curat: puerorum collo appenſus dolorem ex ortu dentium removet.

Cyſteolithos cum aliquali albedine ac citrinitate lapis eſt inventus in marina ſpongia, & licet incultus ſit, calculoſis tamen prodeſt. Si cum potenti vino bibatur: collo pueris ſuſpenſus tuſſim tollit.

Catochites pro Sagda quidam ponunt ut infra habetur, quod non eſt verum. In Corſica reperiri a Solino ponitur, glutino-

ſam rem adhærentem manibus tangentis, dimittit: & ita ſe annectens corpori ut velut cementum de glutine. In certaminibus victorem reddere vis ejus eſt, ac magicis artibus reſiſtere, ſi ſcrupulum unum aſſumpſeris.

Corvia ſive Corvina coloris ruffi lapis eſt, artificioſe habetur. Kalendis Aprilis decoque ova accepta de nido corvi, donec dureſcant: refrigerataque in nido collocentur, ut prius erant. Corvus his cognitis vociferare incipiet: a longeque volabit ad hunc lapidem inveniendum: & invento ad nidum accedet: tactisque ovis ut cruda ac prolifica redibunt. Surripiatur lapis ſubito a nido. Cujus virtus eſt divitias augere, honores præbere ac multa futura prædicere.

Cambnites colore criſtalli parum obſcuri lapis exiſtit: hominibus geſtans placebit: affabilis ac amabilis ab omnibus erit. Si ſiniſtro brachio alligatus fuerit hydropicos curat. Credo equidem quod idem ſit quod Kbrates.

Cepocapites ſeu cepites candidus lapis eſt habens nodos venarum marmoris candentis: coëuntes ac imagines diverſarum rerum in eo figurantur, ut in Achate fit.

Calorites colore viridis ac ſi ſuccus herbæ expreſſus eſſet: quem Magi inveniri tradunt in ventre Sillæ avis: ad Magicas artes valet ſi ferro includatur.

Ce-

Cepionidus ex coloribus multis ac translucens aſpicientium ſimilitudinem reddens modo Jaſpidis, modo criſtalli, & aliquando ſmaragdi.

Corintheus ex marmorum genere citrinus in colore armoniaci in ſe diverſos colores habens, a Corintho nomen ſumens in quo magna copia reperitur: aptus ædificiis cum ex eo columnæ, limina, trabes, ac multa alia longo ævo durantia fiant.

Cyanica ſive Cyaneus cæruleus coruſcans nitore purpuræ, aureis crepuſculis variatus, ac interdum cum intermicantibus punctulis diverſorum colorum lapis exiſtit. In Scythia reperitur: & eſt maſculus ac fœmina. Mas fœmina nitidior ac purior & ad gratiam intermicantibus aureis puluiculis.

Cariſteus colore viridis ab aſpectu nomen ſumens, eo quod viſui ſit gratus: viriditateque ſua confortans.

Calaminaris flavus, tener, non lucidus, nec translucens lapis exiſtit. Hic ſi novies in aceto extinctus fuerit: & cum alitis ſanguine tenuiſſime pulverizatus, ad inverſas palpebras optimum Collyrium exiſtit.

Criſopraſſus ut a Solino ponitur, berilli ſpecies eſt, habens aureum colorem admixtum purpureo.

Coaſpis colore viridis cum auri fulgore, nomen a flumine Perſarum ſumpſit in quo inventus eſt.

Cimilianitus colore marmoris in medio habens pupillam auream seu crocei coloris, repertus in alveo Euphratis fluminis.

Crisolansis idem quod Crisoletus.

Crisites est lapis habens colorem ostreæ: in Ægypto invenitur.

Amites idem quod ostracites ut infra habetur.

Elonia, idem quod Sirites.

Crisopilon species berilli ut in suo capitulo habetur.

Crisoberillus ut supra in capitulo berilli.

Coranus albus ex genere marmorum durior Pario.

Crisopis lapis ut aurum videtur.

Calcitis aerei coloris lapis est.

Carcina est habens colorem cancri.

Rapondinus idem quod borax.

Celicolus idem quod beliculus.

Chrysopteron species Topatii similis Crisoprassio.

D.

Dæmonius bino colore permixtus, ut iris arcus, lapis est: nomen a similitudine iridis, quæ demon arcus dicitur, sumpsit. Febricitantibus conferre, venena expellere, gestantem ab hostibus tutum ac victorem reddere, virtutem ejus esse dicunt.

Dionysia nigra est, ac guttis rubeis aspersa, dicunt aliqui fuscum seu ferrugineum habere colorem aspersum guttis niveis. In Oriente reperitur, quæ si in aqua soluta fue-

fuerit vini odorem tribuit: suoque odore ebrietatem fugat, & vini odorem subvertit ac evaporare facit.

Diacodos sive diacodus colore berillo similis est cum palliditate. Præcunctis exagitat dæmones, ut in aliquid apparere faciat. Nam injectus in aqua cum sua præcantatione varias dæmonum effigies figurat ac petentibus dat responsa. In ore quoque detentus quem dæmonem quis vult ab inferis revocat, & in petitionibus suum adimplebit desiderium. Mortuorum corpora abhorret. Nam si cum eo defuncti corpus retigeris, virtutibus viduatum eum agnosces.

Draconites seu dentrites aut Draconius vel Obsianus qui etiam Kimedius vespertinus vocatur, lucidus ac transparens, cristallini coloris, lapis est secundum aliquos. Nigrum colorem Albertus magnus ponit, figuram quoque piramidalem non lucidam habere dicit. Nonnulli dicunt lucidum esse ut speculum cum nigredine. Multi hanc quærunt nec inveniunt. Transportatur ex Oriente ubi magni dracones sunt. Nam exciso capite draconis ipso adhuc palpitante extrahitur. Virtutem amittit, si diu post draconis mortem in capite remanserit. Audaces viri in partibus Orientis draconum speluncas explorant: & in has gramen rebus somniferis medicatum imponunt. Dum dracones ad speluncam redeunt co-

medunt ex medicamine, somno gravantur: dormientibus vero caput abscindunt, & lapidem extrahunt. Excelsa ei virtus inest in effugando omne venenum & maxime serpentum. Gestantem quoque invictum ac audacem reddit. Ideo Reges Orientis talem lapidem habere gloriantur.

Drosolitus varii coloris lapis est, cujus nominis causa existit, si ad ignem appropinquatur, velut sudorem emittit.

Doriatides lapis invenitur in capite murilagæ cum subito exciditur, & ad vescendum datur formicis, color ejus niger lucidus est. Nonnulli volunt quod ex capite galli extrahatur, ut infra capite Radaim. Optata perficere ac ad vota omnia deducere virtus ejus est.

Doctus lapis virens est cum claritate quadam, & credo quod sit Crisolitus ut supra dictum est.

E.

Elitropia sive Elitropus viridis gemma est, ut quibusdam placet, Smaragdo similis, aspersa tamen guttis sanguineis: A Necromanticis vero Babylonensium gemma dicta est. In Aphrica & Æthyopia reperitur. Nominis causa ab effectu ducitur. Est autem hoc argumentum facillimæ cognitionis ipsius. Si in pelui prius linita tamen succo herbæ sui nominis in aqua posita radiis solaribus subjiciatur, aqua apparebit rubea, & Sol sanguineus, ac si Eclypsim pa-

patiatur. Demum aqua bulliet: ac extra peluim ſpargetur, velut ab igne eſſet agitata. Extra aquam poſita ſolem recipit more ſpeculi. Adeo quod eclypſes ſolares inſpiciendo elitropiam videre poſſumus. In Cypro etiam invenitur: ſed nobilior in Lybia, teſte Solino. Ferunt Magi ſi quodam carmine ſacrata fuerit, ac quibusdam caracteribus inſignita, futura dicere facit: & ſi ſucco herbæ ſui nominis inuncta fuerit, viſum fallit: adeo quod geſtantem inviſibilem reddit. Virtus ejus eſt, reddere geſtantem in columem ac accreſcere vitæ tempus, & quemcunque ſanguinis fluxum detinere. Venena quoque ei cedunt.

Emathitis ſive Emathites lapis eſt ruffus, obſcurus ac durus, ferrugineum ſplendorem habens cum ſanguinis venis, manus tangentis inficiens ſanguineo colore: ſi cum aliquo liquore teritur, illud ut ſanguis efficitur. A ſua virtute nomen vendicat. Nam Emeth idem quod ſanguis: Titel vero, ſiſtens, nam principalis virtus ejus eſt ſanguinem ſiſtere: quinque ſpecies a locis inventionis dictæ ſunt, Arabicus, Aphticus præ aliis valent. Frigius, Æthyopicus, viliores æſtimantur, licet Socatus oppoſitum dicat. Omnium viliſſimus Germanicus, ſtiptica eſt virtus ejus, ſi ſecundum artem medicinæ ablutus ſit. Galienus vero calefactivum ac extenuativum ponit, quod de non abluto intelligendum eſt. Emoptoicis,

cis, dysentericis ac menstruatis, & in omni sanguineo fluxu si supra cotem molarem cum condecenti liquore ducatur, usque quo sanguineum colorem acquirat, præstantissimum ac optimum remedium. Si antedictis exhibeatur cum albumine ovi conquassato seu melle & succo mali punici, palpebrarum asperitatem ac visus hebetudinem sanat. Vulneratis serpentum ictibus potatus cum vino subvenit. Curat autem ipsius pulvis supercrescentis carnis materiam. Proficit cum melle mixtus dolentibus oculis. Fertur etiam lapidem ex vesica solvere, & si impositus fuerit in ferventi aqua tepescit, ac fervorem emittit. Comburitur Frigius ut ad prædicta efficacior sit.

Ethices sive Endes a quibusdam aquileus coloris punicei lapis est. Aquileus dicitur eo quod interdum aquilæ in nido inter ova imponunt in Oceani littore Persiæ, a quibusdam lapis prægnans dicitur: eo quod prægnantis more intra se quendam lapillum continet, intus resonans, & ut diximus, aliqui punicei coloris esse describunt aliqui carneum cum planicie ac luciditate, & medicori magnitudine. Nonnulli dicunt figuram habere oblongam ad rotunditatem tendentem. Varietas scribentium ex varietate locorum oritur, in quibus inveniuntur: mirabilis virtutis tamen est: dicunt si venenatum cibum habenti

talis

talis lapis porrigitur, deglutire non poterit: amoto lapide deglutiet. Aliqui dicunt quod debet poni in cibo. Prægnanti siniſtro brachio appensus abortum prohibet. Et in hora partus coxæ alligatus advenientia pericula ammovet, & partum accelerat. Epilepticis subvenit. Venenosa fugat animalia: & ideo aquilæ in nido ponunt, ut ova ac pulli a venenosis animalibus intacta præserventur. Amabilem, sobrium, ac divitem gestantem efficit, & ab adversis casibus servat.

Enydros sive Etnydros in colore Cristalli lapis exiſtit ab ydros quod sonat aqua, cum perpetuis guttis stillet. Hujus causa a Philosophis non ignoratur cum frigidissimus sit, continue aerem tangentem frigiditate sua in aquam convertit, ad incensivas febres valet.

Epistides seu Epistrites in colore rubicundus ac rutilans est. In Corintho nascitur. Dicunt si debitis carminibus ac magicis ligaturis ante cor gestatus fuerit: ab omni infortunio tutum reddit. Locustas, nocivosque volucres, steriles nubes ac turbines a terræ fructibus compescit: & a terra in qua positus fuerit.

Exacolitus ex pluribus variisque coloribus ad invicem coëuntibus lapis est. Virtus ejus solutiva est, ut periti medici ponunt. Attritus vinoque solutus colicæ ac illiacæ subvenit passioni si potetur.

Esti-

Eſtimion ſive exmiſſon gratiſſimus aſpectu, rutilans ex auro igneoque colore, lapis eſt deferens in extremitatibus candidam lucem.

Execonthalitus ſive Hexaconta lapis eſt habens in parvo orbiculo IX. diſtinctos colores. In Lybia frequentiſſime repertus. Tot ei virtutes ineſſe dicunt quot in ſe precioſorum lapidum ornamenta demonſtrat.

Exebonos ſive exebenus albus ac ſpecioſus eſt, quo aurifices aurum limpidare ſolent: ſi cum eo fundatur. Tritus ac bibitus amentes ſanat. Stomaticos curat, fætum in utero fovet. Veſicæ dolorem ſoluit; femori alligatus partum accelerat, ac venereas voluptates frenat.

Eumetis in colore ſilicis capiti dormientis ſuppoſitus nocturna ſomnia oraculi modo reddet.

Emites eboris colorem habet ac ſimilis candido marmori: ſed duriciei eſt minoris. Ferunt ſepulcrum Darii regis ex eo fuiſſe conditum.

Egyptilla niger lapis eſt in ſuperficie colorum, cæruleum cum venis aureis habet, a loco inventionis nomen ſumpſit: croceum colorem vinique ſaporem, ſi in aqua teratur, reddit.

Emetrem gemma eſt poracei coloris, quam Aſſyrii Deo dicatam eſſe dixerunt: eſt ſuperſtitioſa gemma.

Ef-

Effestis seu effestites lapis est habens naturam speculi reddendis imaginibus. In Corintho reperitur. Dicunt si in feruenti aqua ponatur, ea tepefit & soli opposita ignem accendit in disposita materia.

Elopsites lapis ornatu carens, sed virtute supplet quod in decore deficit: Cum appensus Cephalargiam emicraneamque sanet.

Eunophius similis Ethyci cum intus resonet: putant idem esse ac similis virtutis.

Electioni idem quod Gagates.

Echistes idem quod Ethyces.

Echidnes lapis est habens serpentinas maculas.

L.

Filaterius lapis est habens colorem Crisoliti, terrores fugat ac passiones melancolicas. Hilaritatem sapientiamque inducit: ac morigeratum gestantem efficit, & spiritualia confortat.

Fingites colore candidus duricieque marmoris cum transparentia ut alabastrum: ex Cappadocia habetur. Dicunt templum a quodam rege fuisse fabricatum, absque fenestris ex lapide isto, & ex transparentia ipsius claritas diei intus aderat ac si in aperto esset.

Fongites est lapis de cujus colore apud doctores non parva existit ambiguitas. Existimo hoc fore ex diversitate suæ speciei. Nonnulli ex ardentibus gemmis es-

se

se dicunt. Alii cristallini coloris & intus ad instar flammæ. In Persia reperitur. A multis virtus ejus non ponitur. Evax vero narrat, si quis rubeum fongitem in sinistra manu tulerit, dolores corporis ammovet, ac iram compescit.

Falcones sive auripigmentum & a vulgo arsinicum dicitur: cum per sublimationem dealbatur: rubeum in aureum colorem vergens naturam sulphuris habens, quod Alkimistæ unum de spiritibus vocant. Calefactivam ac desiccativam virtutem habens ex calcinatione nigredinem acquirit. Post sublimationem vero ei inest albedo: & cum ter aut quater sublimatur adustivum in summo efficitur: adeo quod omnia metalla corrodit dempto auro. Pulverizatum ac in vulnere positum supernascentis carnis materiam ammovet: sumptus omnibus animalibus venenum est.

Frigius viridis est, ex combustione ruffedinem acquirit. Aptus ad pannos tingendos: in medicinis multum est in usu, ut a Dioscoride habetur: nam si cum savina bibatur, fistulosos ac podagrosos sanat.

G.

Granatus ex ardentibus gemmis ac ex carbunculorum genere lapis est. Cujus tres species sunt. Rubea obscura ad instar mali granati floris. Altera est rubei coloris cum aliqua citrinitate in similitudinem jacinti. Tertia vero species quæ

su-

ſuriana dicitur, rubeum violaceum habet, & hæc cæteris precioſior invenitur in Æthyopia inter arenas maris. Virtus ejus eſt lætificare cor ac triſtitiam expellere. Nonnulli dicunt, quod geſtantem a peſtifero morbo protegit.

Galactides ſive galaricides eſt lapis in colore cinereus, vel, ut quibusdam placet, albus in colore lactis. In Nilo ac in Athaleo flumine invenitur: qui in aqua contritus colorem ac ſaporem lacteum præbet. Sunt qui Galacidem dicunt Smaragdum venis candidis circuncinctum. Ex diverſitate virtutis adhuc diverſa nomina ſortitur. Aliqui vocant Elebron, Magi Senochitem, alii Graffitem, nonnulli Galbatem ſeu Anachitem: Magi hunc lapidem æternis præconiis extollunt. Nam magicas ſcripturas exaudiri ac umbras revocatas reddere reſponſa facit. Rixas quoque ac maleficia præterita in oblivionem deducit. Qui vero ſecum apportaverit, & regem offenderit vel alium, ſtatim placabit & ad benevolentiam reddet. In cauſis victorem, aſtutum, amabilem, facundum efficit: nec faſcinari ſinit. Ubera lactantis ſuſpenſus collo replet. Alligatus coxæ cum filo lanæ ovis gravidæ partum facilitat. Verum mente perturbat ſi clauſus in ore liqueſcat. Tritus ac cum ſale mixtus immundo ovili aſpergatur, ut paſtores Ægyptii ajunt, ovium ubera lacte replet ac

fœcundat & a scabie liberat. Humanam quoque scabiem curare dicunt. Circumligatus denti tollit odorem. Discordias conciliat, si ter tritus cum aqua & exsiccatus in potu cum aqua clara detur. Duos inter se inimicantes in amore conjungit, nec amplius eorum amor separabitur.

Garatronicus & a quibusdam Galgatromeus est lapis ruffus, aspersus venulis croceis, similisque capreoli pelli. Hic militantibus utilis est. Ferunt Achillem regem cum habuisse: nam cum secum in prælium gerebat, non succumbebat alicui, sed ab hostibus victoriam reportabat; Ipso vero carens hostibus subjacebat. Orientales magnam copiam habent, & ex ipso ensium capulos fabricant: ne in prælia euntes eo careant: cum ejus virtus sit reddere gestantem victorem.

Galatides sive Galactica seu Gelatia multis etiam ac diversis nominibus appellatur. Est candidus lucens in figura glandis lapis, durissimusque ut Adamas, frigidissimusque, utvix ab igne calefiat: & hoc a nimia pororum obstrictione quæ prohibet ignis calorem ingredi. Sua frigiditate luxuriam frenat, iramque compescit: remedium præstat ad omnes calidas ægritudines humani corporis.

Gelachides seu Garatides coloris subnigri lapis est, dans gestanti amabilem, mitem ac gratiosum esse. Ore retentus recta judi-

judicia proferre facit, ac varias opiniones recte dignoscere: & quid de se alter cogitet scire facit. Ut experientia talem lapidem agnoscamus, doctores ponunt, ut inuncto humano corpore melle locoque muscarum imposito in manu teneatur hic lapis. Nam si a muscis ac apibus illæsus permanet, & dimissio lapide molestetur: verus Garatides est.

Gagates licet gummi sit ut a multis habetur, inter lapides tamen connumeratur: a loco suæ inventionis nomen accipit. Duæ ejus sunt species, citrinus qui Succinum dicitur, de quo infra dicetur: Alter niger & a multis ambra nigra appellatur: & hic proprie est Gagates, licet Plinius ab aliis multum discrepet: in Lycia invenitur. Solinus ponit in Britannia inveniri in copia. Gagates, ut dixi, niger est, levis, aridus ac lucidus, non transparens: & si in igne ponatur quasi odorem habet aspalti. Calefactus ex frigatione ad se festucas paleæ attrahit. Fumigium ejus dæmones fugat: sacras ligaturas ac præcantationes solvit. Gestatus hydropicis confert. In aqua tritus ac prægnanti exhibitus fœtum accelerat: ac quocunque modo mulieri propinatus in potu fuerit, cogit corruptam urinam fundere; Virginem vero minime: Suffumigium quoque mulieribus Menstrua provocare dicunt, Epilepsiam detegere, Serpentes fugare, & eorum morsum cum cervi

medulla ſumptum ſanare, dentesque commotos firmare.

Gerades rubicundus ac rutilans lapis eſt, in oppoſito ſolis radios ignitos mittit. Virtus ejus eſt hominem tueri a volatiilbus pugnantibus.

Gallerica eſt lapis viridis, pallens ac nimis craſſus, non jocundus, auro decens, unde appellata eſt.

Garammatica Smaragpo ſimilis per transverſum lineam albam habens in magica arte multum valet.

Gaſidana olorini coloris lapis eſt. Hæc quoque gemma concipere dicitur, & intra ſe partum fateri concuſſa, quidam putant quod ſit Ethyces.

Grogius idem quod corallus, nomen vendicat a virtute ſiſtendi Thifones ac fulmina.

Gloſopetra ſive guloſus lapis ſimilis eſt humanæ linguæ, unde nomen ſumpſit. Dicunt aliqui non in terra naſci, ſed deficiente luna a cœlo decidere. Magi huic non modicam attribuunt poteſtatem in arte ſua: nam ex eo lunares motus ferunt excitari.

Griſoletus idem quod Criſoletus.

Garamantides idem quod Sandaſtros.

Galaxia lapis niger intercurrentibus ſanguineis aut candidis venis.

Galacidem idem quod Smaragadus.

H. Hye-

H.

Hyena precioſus lapis eſt dignus cuſtodia, nomens ſumens a beſtia ſui nominis, cum in oculis ejus reperiatur. Multorum eſt colorum. Hujus hæc eſt utilitas, ſi vera narrantur: Ore abluto linguæ ſubjiciatur, ſtatim facit futura prædicere. Quartanam ac podagram geſtanti non ſinit evenire.

Hieracites ſimilis milui pennæ in colore variatus eſt: nonnulli dicunt nigri coloris, quod idem eſt, quod Gelachides, cum ſimilis ſit virtutis.

Hamonis aurei coloris lapis exiſtit, inter ſacratiſſimas gemmas connumeratur, cornu arietini effigiem habens: in Æthiopia reperitur, cum in contemplatione quis ſteterit, omnia divina in mente repræſentare facit.

Hormeſion aſpectu gratiſſimus, ex igneo ac aureo colore rutilans in extremitatibus, candidam lucem reddens.

Horcus lapis quem Alexandrini Catimiam vocant, niger eſt ac ad terendum facilis. Hinc ingreditur in ſolidatura argenti.

Hysmeri idem quod Smeriglius.

Hammochryſos lapis eſt habens arenas aureas, quadrulas admixtas in ejus ſubſtantia.

I.

Jacintorum tres eſſe ſpecies decrevit anti-

quitas: ex fulgore sui nominis vocantur. Nam eorum alii sunt citrini: alii granatici: alii quidem veneti: & omnes transparentes sunt: satisque ex sua denominatione cognosci possunt: cum Citrini a colore citri, Granetici a colore floris mali granati, Veneti autem ex cæruleo colore, qui in ore missi aliis frigidiores existunt: & hi etiam aquatici dicuntur. Aliqui his aliam speciem addunt, & Saphirinos vocant. Omnes tamen ruffedine ac flaveitate admixta supradictis coloribus participant. Gaudet hic præ aliis lapidibus serenitate, tenebrositate marcescit. Commendantur illi quorum color nec nimis densus nec nimis rarus existit: sed ex utroque temperamento perpetua luce fulgentes sunt, neque æqualiter rutilantes. Albertus tamen ponit, Saphirinum jacintum principatum obtinere. Qui flavus ac lucidus valde est carens quasi aquositate, & Æthiopicus est. Nonnulli granaticos meliores esse putant qui ignem sustineant & violaceo colore fulgent. Citrini vero parvam rubedinem habent. Omnium viliſſimi Eneti seu Cerulei sunt, qui cum tenui sua citrinitate parum ruffedinis habent. Duritia tamen alios excedunt, & vix ab adamante signantur: & hi frigidiſſimi sunt. Aliæ vero species caliditatem ac siccitatem in primo gradu habent. Virtute omnes æquales sunt, licet colore differant. Corporis virtutes & maxime

cordis

cordis vigorant. Triſtitiam quidem vanasque ſuſpiciones effugant. Ingenium, gloriam ac divitias augent. A fulgure ac hoſtibus tutum reddunt. Itinerantibus ſecuritatem præſtant, ut nec etiam peſtilentiæ diverſarum regionum nocere eis valeant. Dignosque honores obtinere faciunt: & ab Epidimia tutum reddunt. Ariſtoteles tamen ponit quod prægnantes ad abortum præparant.

Jaſpis Græce, Latine viridis, quoniam virides optimi ſunt, & præ aliis valent, Lapis eſt colore viridis, ut diximus, cum quadam craſſitudine habens venas rubeas, cujus quidem multæ ſunt ſpecies. Nam aliqui ſunt in denſa viriditate translucentes. Sunt & virides guttis ſanguineis notati. Alii rubentes ad inſtar tegulæ. Nonnulli non diſſimiles porphirino rubeo. Adeo tot coloribus variant quod decem & ſeptem ejus ſpecies a doctoribus deſcribuntur, & a quibusdam plures. Nam hodiernis temporibus Germania Jaſpidum fœcundiſſima eſt: & tot ac tam diverſos mittit quod vanum eſſet enarrare. Noſtra enim eſt intentio ſolum de nobilioribus loqui: & ut in principio dixi, virides Smaragdi cum venis rubeis reliquis precioſiores ſunt & maxime cum ſunt cum quadam tranſparentia: poſt hos virides clari infecti rubedine: rubei opaci iſtos ſequuntur. Citrini omnibus viliores exiſtunt: æqualis virtutis

omnes sunt. Gestatus febrem ac hydropisim fugat, visum clarificat, noxia fantasmata expellit, luxuriam cohibet, ac conceptum negat: & maxime viridis cum croceis venis, prægnantibus seu parturientibus auxiliatur: victorioſum, potentem, ac gratum gestantem facit. Sed præ aliis virtutibus omnibus speciebus hæc imprimis inest, omnem sanguineum fluxum undecumque sit, sistere: debet argento ligari quoniam suas auget virtutes.

Iris cristallini coloris lapis est: inventus apud Arabiam in mari rubro, & hodiernis temporibus in montibus Germaniæ apud Rhenum fluvium, habens Sexagonam formam, & durissimus existit: Cum autem pars ejus sub radiis solis tenetur: & altera in umbra sub tecto in opposito pariete radios similes iridis cœlestis emittit: & ob hoc nomen sumpsit.

Idæus colorem ferrugineum habens lapis est: reperitur in Ideo monte Cretæ, a quo nomen sumpsit, humani pollicis formam habens.

Iscistos seu Iscultos croceus est, inventus in partibus Hispaniæ juxta Gades Herculis: aliqui dicunt quod idem est quod Amantes, cum ejusdem sit virtutis.

Indica ruffi coloris, & in attritu purpureum colorem efficit. Altera ejusdem nominis aspectu candida est: A suæ inventionis loco nomen sumpsit: cujus virtutis sit non ponitur. Ju-

Judaicus a Iudæa dictus est, quod idem est quod Cogolitus.

Jovis gemma caudida, tenera, non ponderosa.

Jon colore violaceo: reperitur apud Indos.

Iaguntia, aliqui volunt granatam esse.

Ierarchites idem quod Hierarcites.

H.

Kabrates sive Kakabres in colore cristalli cum fusca albedine. Cujus virtus est in reddendo hominem eloquentem, hilarem: præbet honores, benevolentiam, & a noxiis casibus defendit. Hydropem quoque curat.

Kamam, seu Kakamam, est albus variis coloribus distinctus: & a Kaumate dicitur: quod incendium importat: Reperitur in locis sulphureis, ac calidis: & frequentissime onixæ admixtus. Ejus determinata virtus nulla est, sed virtutem ex sculpturis seu imaginibus quæ in ipso sculptæ sunt, accipit, de quibus in tertio dicetur.

Karabe idem quod Succinum, de quo infra dicetur. Quidam tamen aliquam differentiam ponunt: nec tamen in colore, nec in virtute differunt: sed suffumigium ejus magis epilepsiam movet.

Kenne in cervorum oculis genitum fore ajunt, in orientalibus partibus, Cujus virtus est contra venena.

Kimedini Limphatici idem quod Cimedia.

Kinocetus non est omnino inutilis, cum dæmonia ciciat.

L.

Lichinus seu Lychinites inter ardentes gemmas computatur. Rubeus est & & in multis locis generatur. Apud Indos probatissimus. Dicitur lychinus eo quod lucis vigorem excitat: ac si accensa esset lucerna. Binæ dicuntur esse ejus species. Prima ut diximus & ab aliquibus dicitur est remissus carbunculus. Alter vero in purpureum colorem vergit qui calefactus sole aut ex fricatione festucas ad se trahit: durus & difficilis ad sculpendum, & cum ejus sculptura in cæra imprimitur: in se retinet, ac si bestia morsu raperet. Aliqui dicunt quatuor esse species ejus: Sed specificatas non reperio.

Lyncurius est lapis genitus ex urina lyncis animalis tempore indurata. Reperitur ubi talia animalia commorantur, & maxime in partibus Alemaniæ. Nam trinas esse species dicunt, quarum una est scintillans ut carbunculus, Altera crocea in nigredinem tendens. Tertia vero viridis. Virtus est stomachi dolorem compescere, Ictericiam solvere, fluxum sistere, ac ad morbum regium valere.

Lyncis lapis etiam ex urina animalis sui nominis genitus est. Sed a superioribus dif-

differt, & quando sub terra existit, mollis est, cum in arido collocatur, durescit. Color vero ejus albus nigro permixtus ad invicem coëuntes, & dum in terra aut in loco humido retinetur, ante suam exsiccationem, fungos generat. Cujus lapidis seu fungorum virtus est calculosis sive lapidosis juvamentum ferre: dolorem stomachi tollit, & ventris fluxum compescit, atque hyctericam curat.

Lippares seu Liparia, ad quem sponte sua quasi quodam naturali instinctu animalium omne genus accedit: & nonnulli dicunt, habenti hunc lapidem non est necesse ad feras capiendas alia invenire ingenia: est lapis frequenter inventus in Lybia. Alii dicunt quod ejus virtus mirabilis in tuendis animalibus. Nam cum bestia seu fera a canibus ac venatore infestatur, ad hunc lapidem inveniendum festinat accedere tanquam ad protectorem suum ac defensorem. Nam quando tale animal dictum lapidem conspicit, nec canes nec venator videre possunt, quod valde mirabile esset, si ita foret: tamen a doctoribus ponitur: & in hoc dictum Plinii credo verissimum, cum dicit, quod nullum est tam audax mendacium quod auctoritate careat.

Limacie lapis ab animali, in cujus capite reperitur, nomen sumpsit. Ex capite limaciæ absque cortice extrahitur: quæ in lo-

locis humidis ac petrosis commoratur: debet autem extrahi statim visa astricto capite. Est coloris albi ac parum transparentis, parvæ magnitudinis, similisque frusti humanæ unguis: dicunt collo appensum febricitantem liberare.

Lacteus lapis ex citrino colore constitutus est, cum in molari cute cum aliquo liquore ducitur in lacteum colorem vertit. Qui si in reumatizatis oculis imponitur humorum cursum prohibet: in principio quoque apostematum calidorum oculorum valet.

Leucoptalmus ex quatuor coloribus habens similitudinem lupini oculi lapis est, unde nomen sumpsit: quidam putant quod idem sit quod obtallius.

Lisimacus ex marmorum genere lapis est, habens venas seu guttas aureas.

Leucocrisos lapis ex colore viridis intercinctus albis venis: nonnulli speciem Smaragdi esse putant, ut in ejus Capitulo habetur.

Limoniates lapis viridis est in similitudine Smaragdi: non tamen cum tanta viriditate ac transparentia.

Ligurius, ut quibusdam placet, electorio similis est, & paleas trahit. Stomachi dolorem placat: fluxumque ventris compescit, ictericos sanat: visum acuit, & hinc est quod in aliquibus collyriis oculorum a medicis ponitur.

Li-

Lignites in colore vitri cum quadam pulchritudine ſuſpenſus collo pueri a faſcinantibus præſervat, & a maleficiis muliercularum quæ vulgo ſtriges dicuntur. Alligatus fronti ſanguineum fluxum ex naribus compeſcit, mentis alienationem expellit, ac futura prædicere facit.

Lepidotes in ſimilitudine ſquammæ piſcis lapis exiſtit habens diverſos colores.

Limphicus lapis magnæ virtutis. Exhibitus caducos liberat. Involutus tamen in biſſino pannno præſervat ab omnibus Ophthalmiæ, Faucum, Gulæ, Tuſſis, ac Cephalargiæ langoribus, non ſolum præſentibus verum & futuris.

Ligdinus lapis eſt eximii candoris amplitudinem quaſi lancis aut crateris non excellens: primo repertus in Arabia. Aſia vero corallinum dat non majoris menſuræ quam ſint bina cubita: ac etiam album in ea reperitur in ſimilitudine Eboris.

Lauraces lapides Cephalargiam ac Emicraneam ſanant.

Lychnitem genus marmoris lucens cum multa albedine.

Lazolus lapis ponitur in capitulo Zumelazoli.

Litos idem quod magnes.

Leucoſtyctos idem quod porphirites.

Lunarius idem quod Selenites.

M.

Margarita candidarum gemmarum primum

mum locum obtinet, ex cœlesti rore genita in quibusdam conchis marinis, ut ab auctoribus habetur. Feruntur hæ conchæ matutino tempore in certa anni parte imum maris petere aëremque attrahere: ex quo margaritæ generantur: & secundum aëris sumpti claritatem, ita & margaritæ lucidæ ac turbidæ generantur. Est enim margarita rotunda ut plurimum, & a quibusdam dicitur unio, cum tantum una in qualibet concha reperiatur. Et si ex abundantia aëris assumpti plures in una concha generantur: insimul globatæ existunt, ut vidi septem simul globatas, tamen omnes ex oppositio luminis suam ostendebant rotunditatem, binæ aut ternæ multotiens visæ sunt: quarum perfectissimus color est argenteus cum quadam limpiditate. Nec ejus magnitudo ut a doctoribus habetur excessit unciam. Binæ species margaritarum sunt: una orientalis cujus color candidus, ut tersum argentum cum diaphanitate in superficie: & hæc perfectior est. Altera vero species occidentalis dicitur, quæ ex Britannico mari transportatur: cujus color obtusus est cum quadam albedine vergente in aureum colorem: Orientales omnibus perfectiores sunt: & cum magnæ ac rotundæ existunt, arte tamen perforantur: & interdum a natura non recto ordine: & hæ viles ac inutiles ad ornamenta: differunt-

que

què a non perforatis, & hoc est quod dicitur circa istas : perforatæ margaritæ perfectiores sunt minoremque habent stipticitatem non perforatis. Cum tantum confortationem intendimus : Ridiculum quidem est si dicta celeberrimorum doctorum non sana mente intelligantur. Cum in receptis dicant Margaritarum perforatarum & non perforatarum, & loco perforatarum arte perforatæ ponantur, cum solo accidenti & non complexione differant. Unde ne in errorem deveniamus, & ab insciis differamus. Perfortatæ margaritæ sunt, quæ diu in conchis steterunt : & ipsæ evomuerunt ex perfecta eorum maturatione in mari, & longa mora & perfecta maturatione perforantur, & stipticitatem amiserunt : & de his doctores cum perforatas nominant intelligunt : & certum est cum hæ inutiles ad ornamenta existant, ad nos non transportari. Qui vero recte intelligunt in comparatione margaritas ad gallas adducunt, quoniam non perfortatæ perforatis stiptitiores sunt. Habent etiam margaritæ physicales effectus ultra ornamenti commoditatem, in cibo decoctæ quartanam tollunt : Tritæ cum lacte & assumptæ mortifera ulcera sanant : sic sumptæ mirabiliter vocem clarificant. Cor confortant, unde cardiacis ac Sincopizantibus auxilium præstant amorrentque Epilepsiam. Fluxum ventris sistunt:

ſtunt: in febribus peſtilentialibus cum zucharo exhibitæ adjutorium præſtant. Geſtantem quoque caſtum reddunt.

Medus a regione ſui nominis in qua primo inventus eſt, nomen ſumpſit. Lapis eſt cujus binæ ſunt ſpecies, niger, & viridis: ſed viridis Medinus dicitur. Niger vero ſi ſuper molarem cotem viridem cum lacte mulieris ſolutus fuerit quæ masculum pepererit, oculisque imponatur: deperditum viſum reſtaurat. Cum lacte vero ovis quæ ſemel agniculum peperit, ſolutus, podagricos ſanat, doloroſis locis linitis. Sumptus per os venenum exiſtit pernitioſum. Hic vero eſt lapis dictus merito mortis atque ſalutis dator. Viridis vero qui Medinus dicitur cum felle aliviti nigri, & aliquantiſper magnetis ac aquæ pluvialis contritus, oculis adhibitus per ſeptem dies viſum refovet, ac minima & quaſi inviſibilia videre facit.

Marmor notiſſimus lapis eſt, & diverſæ ejus ſunt ſpecies ſumentes nomen a Provinciis ſeu locis in quibus inveniuntur. Tamen verum marmor laudatiſſimum apud antiquos eſt viride, & ex hoc nomen ſumpſit: nam marmor Græce, Latine viridis. Non tamen omnes ſpecies in lapiciniis locis generantur, ac a montibus exciduntur. Sed aliquæ ſparſæ ſub terra generantur: ut in multis locis hujus noſtri libelli ſermonem fecimus ac faciemus. In præſentia-

rum

rum vero tantum nomina ſpecierum cum ſuis coloribus repetemus. Virtutes vero in capitulis propriis reperies. Lacedemonium viride eſt, ut diximus, omnibus precioſiſſimum. Auguſteum huic ſuccedit, repertum in Ægypto, habens maculas conglobatas in nodum: Ophiteum album ac nigrum cum ſerpentinis maculis. Purpuritum ſeu porphiritum ex Ægypto eſt habens rubeum colorem cum candidis intermicantibus punctis ſeu globatis lineis. Baſamitum ferruginei coloris eſt, inventum in Æthyopia ac Ægypto, Thebaicum album intercinctum aureis venis ſeu guttis. Syenitum apud Syenem urbem reperitur. Parium albiſſimum in inſula ſui nominis gignitur. Onitheum in Arabiæ montibus invenitur: nec alibi putaverunt, ſed in Germania maxima quantitas reperitur habens colorem quaſi alabaſtri cum venulis albis. Sunt etiam Lesbium, Corintheum, Cariſteum, Numidicum, Luculeum quod in Chio reperitur, Limenſum, Eburneum nigrum ab elephante dictum: Cararienſe loco, candidum, maculatum rubeis maculis, & interdum nigris. Reperitur etiam in multis locis cum diverſis ac variis nominibus: quod vanum eſt enarrare, cum in colore ac pulchritudine antedictis aſſimiletur.

Murina ex diverſis coloribus in ſimul junctis lapis eſt, ut ex purpureo albo ac

igneo cum quadam repercussione intra se, qualem in cœlesti arcu aspicimus : apud Parthos reperitur. Putant nonnulli ex humiditate terræ condensata calore solis generari. Virtus ejus a doctoribus non ponitur : sed utilis ad vasa fabricanda. Nam Pompejus primo myrrina vasa in Italiam duxit, quæ ex pulchritudine sua in maximo precio extiterunt.

Mirites colore ac odore mirrhæ similis est, confricatus pannis nardi odorem spirat cum suavitate.

Malachites ad Smaragdi claritatem quodammodo se protrahit cum crasso vigore absque transparentia, & a malva nomen sumit : cum quasi colorem ejus habeat : est lapis mollis, in Arabia invenitur, Cypro ac Persia, differenter tamen : nam Arabicus colorem maluæ habet, Cypricus ad glaucedinem tendit : Persicus cum quadam viriditate aereum colorem retinet. Virtus hujus est infantes ab adversis casibus tueri : cunasque a noxiis fantasmatibus defendere, ut infantes in omni prosperitate concrescant.

Memphitis a civitate sui nominis in qua primo inventus est nomen sumpsit, utilem chirurgis hunc lapidem esse quidam putant : cum stupefactiva sit ejus virtus magis opio. Nam in potu sumptus seu cum aceto attritus, & linitus quæ urenda seu secan-

da

da ſunt membra, ea ſic ſtupeſcere facit, ut nullum penitus dolorem ſentiant.

Magnes mirabilis ac incredibilis virtutis eſt: niſi experientia nos docuiſſet quæ dicturi ſumus, vana exiſtimarentur: lapis eſt ferruginei coloris cum cæruleitate quadam, nonnunquam fuſci ac diverſi coloris. Inventus primo apud Trogloditas in litore Oceani. Quinque magnetis genera a doctoribus demonſtrantur, quæ colorum ac virtutum ſunt diverſarum, Æthyopicum, Macedonicum, Antiochenum, Alexandrinum, & Aſiaticum. Sed ſumma laus apud antiquos eſt in Magnete Æthyopico. Nomen ab inventore ſumpſit: hodiernis temporibus in multis ac diverſis locis reperitur. Ajunt periculoſam eſſe navigationem cum cimbis ferratis in locis generationis, quoniam ratione ferri ibi detinerentur, quod ridiculum eſſe arbitror. Ut dixi virtus ejus eſt ſtupenda ac admirabilis, & ſi apud nos in uſu non foret, mendacia quæ narrantur putaremus. In attrahendo ferrum animalem quaſi virtutem habere videtur: & non ſolum in attrahendo, ſed in imprimendo ei virtutem cum quadam ſymboleitate. Nam ferrum a magnete tactum ad ſe alterum trahit, ac ſi magnes eſſet: videtur cum adamante diſceptare, nam cum adamas ei appropinquatur, ferrum non attrahit. Allium quoque ejus virtutem alligat. Ex his nullam rationem reddere

possumus: cum ignota apud Philosophos sit, sed tantum a proprietate occulta provenire ajunt. Tres reperio esse species, una quæ tantum ferrum attrahit, altera quæ humanam carnem ad se trahit, tertia vero quæ Hymmo dicitur, ex una parte trahit ferrum, & ex altera fugat: & hæc tantum apud nos existit: reliquas vero non vidimus. Ferrum tali modo a se eiicit. Nam tacto ferro ex una parte magnetis trahit, ex opposita ejus parte appropinquato fugat: ut experientia docet de acu appenso filo. Periculosa foret navigatio per altum mare sine virtute ac noticia hujus lapidis: Cum navigantibus navigationis sit index, quotiens tetris nubibus ipsorum Sidus index latuerit; nescirent quo navigarent. Primi navigantes ignorantes nauticam rotam, eum paleæ vel ligno infigebant per transversum, & in lancea cum aqua ponebant, ut acus nataret, deinde circunducebant lanci magnetem: acusque eum undique sequitur, quo subtracto quasi quodam naturali motu cuspis acus vertitur in directo sideris arctici poli. Modo prænocito loco sideris motum suum dirigunt. Moderni cum ingeniosi sint ac inventis addere facile sit, nauticam rotam fabricarunt. In qua non tantum locum Poli arctici, verum omnes cœli partes ac ventos cernere possunt. In magnete hoc mirabile est, quod inest ei virtus omnium partium cœli

&

& secundum partem correspondentem cœli: ipsa magnes tacto ferro facit acum seu rotam nauticam verti ad illam partem cœli: & hoc habetur ab Alberto magno in libello de magnete, ac experientia multotiens vidi. Nonnulli sacrum lapidem vocant: & non solum hæc admiranda quæ diximus, sed plures virtutes summus opifex ei tribuit. Nam gestatus spasmum arthethicum doloremque curat. Hora partus in manu retentus ipsum facilitat. Sumptus tritus cum mulsa purgando soluit hydropisim. Eodemque modo exhibitus vulneribus ex venenato ferro illatis subvenit. Spleneticis sumptus cum succo fœniculi prodest: ac inuncto capite alopeciam curat. Pondus unius danich cum sæpo serpentis raahi & succo urticæ, si datum fuerit alicui ad portandum, amentem reddit, & eum ex gente, patria, habitatione ac regione sua fugat. Adulteratas quoque uxores lapis hic revelat. Nam si latenter capiti dormientis uxoris fuerit in lecto suppositus: si casta est uxor, maritum amplectitur: Si vero adulterata erit, a lecto statim prosilit dormiens quasi coacta horribili fœtore. Gestatus autem reconciliat uxores viris, ac viros uxoribus. Timores ac suspiciones aufert. Gratiosum, suasorem in sermonibus elegantemque facit. Hic etiam si tritus fuerit, & super prunas ardentes per domus an-

gulos aſperſus, ut fumus eis evolat in altum, protinus fugient morantes in ea: quia videbitur totam domum corruere: hique ita a fantasmatibus terrentur quod ex domo fugiunt relictis omnibus: & hoc artificio latrones poſtmodum eorum bona diripiunt, ex commoditate fugæ dominorum. Fertur a quibusdam ex hoc lapide parietes ac teſtudinem cujusdam templi dempto pavimento conſtructam fuiſſe: intra quod idolum quoddam ferreum ponderis librarum mille virtute magnetis in aëre ſuſpenſum erat. Cujus argumentum hoc eſt, quod ſi multarum acuum crunæ ac cuſpides huic lapidi confricatæ fuerint, ſola adjunctione unius ad alteram poterunt omnes ſubſtentata prima duntaxat in aëre detineri. Quantum hic lapis ad magicas artes valeat, & quod mirabilia facere poſſimus, dimitto: cum alterius ſit perſcrutationis.

Magnaſia ſive magnoſia ex nigro colore in commoditate ad vitrariam artem. Idem quod Alabanticum.

Marchaſitarum ſpecies multæ ac diverſæ ſunt: varianturque ſecundum metallorum diverſitatem. Nam alia aurea: alia argentea: alia cuprea: alia vero ferrea: & in colore diverſificantur, ſecundum ſpeciem metalli cujus eſt: Alchimiſtæ hoc bene ſciunt: ab igne non liquefit: ſed per ſe comburitur, aliqui lapidem abeſteni vocant

cant id est luminis : Ideo quia in perdita visione juvamentum præstat. Nonnulli dicunt vocatum esse lapidem luminis, ex eo quod Calibe percusso ignem excutit, & in apta materia ignem accendit.

Medeæ lapis ex inventione Medeæ venefice nomen sumpsit. Habens nigrum colorem cum auratis venis, reddensque saporem vini si in aqua teritur cum croceo colore.

Morion Cypricus ac Gallicus lapis est nigerrimi coloris cum multa transparentia, aptus ad sepulchra.

Mitridax lapis est genitus in Persia qui percussus sole variis coloribus micat.

Melites seu melitites lapis est, tusus in aqua mellitum reddit saporem, variisque ægritudinibus confert, ut a pluribus doctoribus habetur, maxime a Plinio.

N.

Nitrum inter lapides a doctoribus connumeratur, licet non sit : ut etiam de multis diximus : in colore salis ac perspicuus est : cujus virtus dissoluendi ac attrahendi est. Artificiose ex salsedine terræ fit ubi bestiæ ac homines minxerunt. Quanta sit virtus in bellicis instrumentis notissimum est in propellendo lapides. Nam cum igne incenditur rarefit : & dilatatur violenter : unde oppositos & ventositatem prohibentes lapides propellunt. Ab antiquis nunquam compertum est : moderna

na solertia adinvenit: Ex tribus proportionabiliter junctis unum quoddam compositum constituerunt, cui nulla vis resistit: cum omnia frangat, ducat, propellat, ac destruat.

Nicolus bini coloris ex superficie flaua cum inferiori nigra, & interdum totus niger lapis est. Putant aliqui, quod sit species Calcedonii. Dicunt quod a Græco nomen sumpsit. Virtus ejus est gestantem reddere victorioſum ac gratum populo.

Nassonites lapis est sanguinei coloris distinctus seu adumbratus nigris venulis: in Syrtibus reperitur.

Nemessitis lapis est optimus quem de ara Nemesiæ deæ dicunt Athenienses elevari.

Nose seu nisus idem quod Alabastrides.

O.

Onix lapis est habens colorem humanæ unguis: nam onix Græce, Lane unguis. Transparens est, & raro per se sola reperitur. Variatur ejus species ex varietate colorum cum quo jungitur, & a loco in quo reperitur. Aliqui dicunt duas ejus species esse: alii vero quinque. Primam quæ vera est diximus. Alteram dicunt esse nigerrimi coloris. Tertiam nigram cum venis seu zonis albis, & hanc Arabia mittit. India vero dat Onycem subruffum cum venis albis. Quinta est permixta ex colore nigro ac subruffo. Aliqui

liqui dicunt verum onycem esse in colore Ametisti, Carbunculi, ac Crisoleti, qui colores cum albedine ac nigredine sunt permixti. Hic lapis in somno multa horrenda repræsentat: gestatus rixas ac lites commovet. Pueris salivam auget: partumque accelerat. Epileptici collo suspensus casum prohibet. De Onyce hoc mirabile fertur: appositus oculo infirmo sponte sua ut sensata res oculum intrat, eumque undique circuit sine molestia: & si quid intus noxii invenit, excutit. Humoresque nocivos ac contrarios æquat.

Onicinus licet sit gumma ex arbore sui nominis inter lapides annumeratur, & induratur, eo modo quo de succino dicetur. In colore albus permixtus modico rubeo: suavem fragat odorem si super pruna ponatur more suffumigii: faciem dealbat ac curat scabiem.

Opalus lapis mirabilis aspectu est, cum ex multis ac diversis coloribus fulgentium gemmarum sit compositus, ut puta ex Carbunculo, Amestico, Smaragdo, ac multis aliis gemmis cum quadam varietatæ æqualiter lucenti visuque mirabili. Solum in India reperitur: cujus magnitudo non excedit quantitatem avellanæ magnæ: & in quanto precio apud antiquos fuerit, a Plinio habetur libro trigesimo septimo, qui narrat æstimatum fuisse viginti millibus ses tertiis. Contra omnes oculorum mor-

bos ejus virtus est. Acuit & corroborat visum: non est inconveniens tot virtutes attribuere, cum tot lapidum naturæ, & coloris se ostendat esse participem.

Obtalius sive obtalmius lapis est cujus color a doctoribus non ponitur, licet aliqui dicant ex multis esse coloribus: Mirabilis est virtutis in præservando oculos a variis ægritudinibus: gestantis visum acuit: circunstantium vero obnubilat: ut videre non possint: si cum folio lauri ac sua præcantatione junctus fuerit, & gestetur caute, quod mirabile esset.

Orites lapis est, cujus tres esse species dicimus: Unus niger rotundam figuram habens. Hic tritus ac mixtus oleo rosaceo perfecte curat ferarum vulnera, ac pestiferos morsus, & illæsum gestantem servat inter cuncta ferarum genera. Alter orites est virens conspersus albis maculis: hic gestatus resistit adversis casibus. Tertius tenuis ut ferri lamina non crebris guttis obsita. Appensus non sinit mulieres concipere. Si vero prægnantes sunt abortire facit.

Orfanus ex violaceo colore existit, sua pulchritudine ac precio Romani Imperatores in sua corona imposuerunt: in tenebris lucet. Orfanus dicitur, quia eo tempore unus tantum erat repertus, ab Imperatoribus diligitur, eo quod regales honores servat.

Ob-

Obsius sive Obsianus ex nigro translucentique colore in similitudine vitri lapis est, cum æquatur ac tergitur umbras ac imagines reddit more speculi, & pro decore in parietibus ædificiorum ponitur. In Lybia, Germania, ac Italia invenitur.

Ostracites lapis est in similitudine Testæ ostreæ, a qua nomen sumpsit, in usu pumicis ad cutem levigandam habetur: sistere sanguinem virtus ejus est si in potu tribuatur. Melleque tritus mamillarum dolores compescit.

Ophites ex marmorum genere est, ut supra diximus, serpentinas habens maculas, unde nomen vendicavit. Binæ sunt ejus species: Molle, candidum, ac nigricans, durum quadam viriditate aspersum croceis maculis. Antiqui ex hoc parietes ædificiorum ornabant. Virtus ejus est, si collo suspendatur, sedare capitis dolores, ac opitulari percussis ex ictibus serpentum. Album vero freneticis ac lethargicis salutem reddere arbitramur: ex Germania habetur, & conficiunt ex ipso vasa potatoria. Aliqui ponunt Ophitem esse lapidem ex quo fiunt lebetes: tornatur ac secatur mollitie sua, & in Belgica provincia cum ferra faciunt tabulas ad domos tegendas: Igne vero durescit.

Ostratias lapis est in similitudine jacinti, sed durior: cujus duricies adamanti assimilatur.

Ophi-

Ophicardelon ex barbarica cognominatione nomen accipit. Niger est, binas lineas albas intercludens.

Okitokius lapis est minor quam echitis: & ut ipse interius resonat: planus tractu, accito frangibilis. Virtus: Solutus cum succo herbæ okimæ, & sanguine okiteritis ac uno capite omidis, pauloque aquæ, & repositus in vitreo vase poterit ostentationem virtutis suæ facere. Nam si digitos quis intinxerit in hoc unguento, tetigeritque quantumcunque fortissimum lignum, metallum, vel lapidem, statim eum franget.

Onagari idem quod asini lapis. De eo supra narravimus: dicunt quod onager Græce, Latine asinus.

Ombria idem quod Ceraunia, de quo supra diximus.

Ornicus idem quod Saphirus.

Olea ex fulvo nigro viridi ac candido colore lapis est.

P.

Prassius ab herba sui nominis ex quadam similitudine in colore nomen sumit. Dicunt Prassium esse domum Smaragdi. In Æthyopia gigni tradunt apud Nilum fluvium: Tres sunt ejus species: una ut dixi est viridis cum crassedine, transparens, non clara. Altera viridis compressa sanguineis guttis. Tertia viridis, lineata albis connexis seu Calcedoniis notis, virtutis non modi-

dicæ exiſtit: viſum confortat: ac omnes virtutes ſmaragdi habet, ſed diminute.

Panthera lapis eſt qui etiam Evantus dicitur: habens varios colores mixtos in uno corpore ad ſimilitudinem animalis ſui nominis: ex colorum varietate nomen vendicavit: Habet tandem talis lapis in ſe quasdam nigras, rubeas, pallentes, virides, roſeas ac purpureas notas. In Media regione reperitur. Hunc quidem oriente Sole ſi inſpexeris, in omnibus actibus illius diei victor eris. Dicunt etiam tot varias habere virtutes quot lapidum mixturam habet: nam quilibet lapis dat ei ſuam virtutem.

Pontica gemma eſt livore perlucida. Tres ejus ſpecies magis notas reperio, & a Ponto nomen ſumit, cum ibi reperiatur, ac etiam ex ejus aquæ ſimilitudine: habens cum ipſa cæruleitate rubentes ſtellas: ſeu aſperſa eſt guttis ſauguineis. Altera aureis ſtigmatibus micat. Tertia vero lineata longis lineis rubeis admixtis cum cæruleo. Dicitur per eum interrogari ac fugari dæmonem, & cogi ut petenti det reſponſa.

Peantes ſeu Peantides, ut nonnulli dicunt, lapis eſt habens ſexum fœmineum, cum certo tempore concipiat: ac ſibi ſimilem pariat: & licet ab aliquibus hoc ſcriptum ſit, mihi non placet: ſed potius credo tales in errorem cecidiſſe ex antiquorum verbis male intellectis. Cum enim dicant talem lapidem eſſe fœminei ſexus,

non

non intelligunt, quod lapis iſte concipiat: ſed ex ſua virtute præbendo mulieribus concipiendi ac pariendi auxilium: quæ iſtarum opinionum verior ſit, conſideranti dimitto: reperitur in Macedonia. Color hujus lapidis eſt ut aqua frigore congelata.

Pyrites a Pyr quod eſt ignis, & a vulgo Focarius lapis appellatur: nam cum calibe percutitur ignem emittit: Ab aliquibus vero dicitur Ypeſtionus. i. Vulcanus. Unde largo vocabulo omnes lapides mittentes ignem Pyrites dici poſſunt. Marchaſita etiam ex ignis productione dicitur Pyrites. Corallus quoque ex intenſa rubedine ab aliquibus Pyrites dicitur. Verus pyrites eſt qui ex celeri ictu ignem præbet, fulvi coloris, obtuſus nimis & ſpiſſus aſſidua maris percuſſione expoliatus admodum, & incultus ut tegula. Dioſcorides autem ponit æris colorem habere qui tritus ac digitis aſtrictus ſtringentis dextram adurit. Invenitur autem in multis locis. Ad multa medicinalia valere dicitur: & maxime in oculorum ægritudinibus, ac in multis aliis, ut a doctoribus habetur.

Phrygius a provincia ſui nominis in qua primo repertus eſt, nomen ſumpſit. In Cypro etiam reperitur. Cujus color pallidus ac mediocriter gravis, ut gleba punica: qui ter calefactus vinoque perfuſus rubeſcit, & ad tingendos pannos utilis exiſtit. In triplici ſpecie eſſe invenimus: Unam

jam

jam diximus. Altera similis est æri usto, & est fæx æris. Tertia licet non vera sit, quia artificialis est & fit ex pyrite per calcinationem in fornace usque quo sanguineum colorem acquirat: tamen in specie Phrigii computatur. Stiptica est virtus ejus, & excrescentes carnes in vulneribus æquat: Pascentia ac maligna ulcera curat, oculorumque fluores compescit.

Prophirites lapis est obtusus, ponderosus, ac durissimus, rubei coloris, distinctus, variis notulis albis, quem superius in capitulo Marmorum diximus, cum ejus sit species: in usu ædificiorum apud antiquos multum erat.

Podros ex candentibus gemmis est, qui candore suo principatum obtinet dempta margarita.

Panconus Cristallinum colorem habet, cujus magnitudo digitum non excedit, oblongam habens figuram: differt tamen a cristallo, quia angulis caret.

Punicus, binæ species hujus lapidis sunt, in insulis Æoliis reperitur: qui candidus est, perfectior existit ac ponderosus: Vis ejus in medicinis multum valet. Nam ustus, lavatus ac exsiccatus maxime oculis confert: Ulcera purgat, ac cicatrices replet: Ebrietatique resistit, si ante vini potum sumatur.

Præconissus lapis in colore quasi totus saphirinus, obtusus tamen & compressus

Cal-

Calcedonicis notis delectans oculos ex jucunditate sui ornatus.

Pavonius lapis, qui datus in potu cum modico sudore cogit in incendium amoris illius cujus est sudor.

Pumex omnibus notus lapis est, porosus, ac levissimus, & tener. Est autem plerumque lapis alchimicus, nonnunquam physicus: scriptoribus quoque non inutilis.

Paragonius duplex est, niger ac aureus, nigro utuntur ad metallorum cognitionem, ut sciunt aurifices, cum in eo metalla ducunt.

Pheonicites lapis est in similitudine ac colore glandis.

Philoginos idem quod Crisites.

Q.

Quirinus sive quirus præstigiosus lapis est inventus in nido upupæ. Virtus ejus est, si super pectus dormientis quis posuerit, cogit scelera revelare.

Quaidros idem quod vulturis, de quo infra.

R.

Radaim lapis est niger ac translucens. Invenitur in capite galli, quamvis aliqui dicant in capite Gatti maris, ut supra diximus, Capitulo Doriatides. Cum excidi-tur subito & ponitur ut formicæ carnem edant, consumpta carne reperitur. Gratiam ac honores gestanti præbet, & ad imperandum juvat. Ra-

Ranius, Rabri, Rami, Synonima. Idem quod Bolus Armenus secundum aliquos, sed a Bolo Armeno videtur differre: cum sublividus sit color hujus, & in album vergat cum luciditate. Ponderosus existit: virtus hujus est veneno resistere, ut bolus Armenus.

Rubinus species est carbunculi, ut diximus: nec ab eo differt nisi quantitate, ac similis virtutis est: cujus duæ sunt species. Una de qua diximus: altera vero obscurior, ac quasi nullius precii.

S.

Saphirus lapis est colorem habens flavum aut cæleſtem perspicuum ad instar purissimi azuri, & quanto intensior cum flaveitate ac transparentia: tanto perfectior. At ille precioſior existit, qui percussus sole, fulgorem quasi ardentem emittit, & nunquam quantumcunque imago minima sit, in eo ostenditur. Circa Syrtes Libycas reperitur. Sed Indici meliores sunt. Nonnulli gemmam gemmarum venustate, coloris ratione, appellarunt: sed aliqui non a colore: sed a virtute hoc nomen vendicare ajunt. Corpus vegetat: coloremque bonum præbet: libidinis ardorem refrigerat: & castum ac pudicum reddit: sudoremque nimium compescit. Oculorum sordes & frontis dolores tollit. Tortiones ventris cum lacte potatus sedat. Pacificum, amabilem, pium, devotum; gestantem

reddit: ac animam in bonis operibus firmat. Fraudes detegit. Terrores expellit. Ad artes quoque magicas multum deservit. Necromanciæ quoque operibus summam præstare dicitur efficaciam. Antraces solo tactu liberat. Tactis oculis in variolarum adventu illæsos conservat.

Smaragdorum quidem plura sunt genera. SedScythici inter omnes principatum obtinent. Adeo illorum viriditas est intensa: ut non modo subdita cuiquam lumini aut solaribus radiis, non hebetetur: sed potius omnem vigorem superans vicinum aerem viriditate sua inficiat: & ex hoc denominatur. Nam omne intense viride Smaragdus dici potest. Duodecim species a lapidariis reperio esse descriptas. Sed ut diximus Scythici percioſores ac nobiliores reliquis sunt, Brittannii subsequuntur, Ægyptii, Hermici, Persici, & qui in mineris æris inveniuntur: Hi tamen omnes transparentes, sed in densitate viriditatis differunt: Et adeo est delectabilis eorum color, ut fere nulla sit gemma oculis gratior refectio: Et cum est æquata ejus facies more speculi imagines reddit. Fertur Neronem Cæsarem Smaragdum habuisse miræ magnitudinis in quo gladiatorum pugnas spectabat. Sunt reliquæ eorum species diversorum colorum, ac notulis vitiatæ, quæ cacosmaragdi appellantur: quæ cum prædictis duodenarium numerum

rum complent. Sed tamen sex species supra nomiratæ in prædictis existunt: nec eorum mtgnitudo est maxima, sicut cacosmaragdorum, ut a Plinio habetur de obelisco quinquaginta cubitorum in altitudine. In altitudine ex una quatuor cubitorum, ex altera duorum in delubro Jovis apud regem Babiloniæ, ex quatuor smaragdis fuisse. Theophrastus narrat, vidisse Smaragdum quantitatis cubitorum quatuor. Fertur etiam Romæ fuisse quempiam magnum in templo Herculis. Sed ut diximus perfectorum non magna est quantitas. Est autem smaragdorum forma, ne eorum vitia tegantur planta in superficie, ut color æqualiter fulgeat, ac imagines imprimantur. Commodus est hic lapis illis qui castitatem diligunt: cum coitum non substineat, in virginis defloratione si gestetur frangitur, ut Albertus refert. Lasciviæ motus compescit: substantiam auget. Dæmonicas illusiones ac tempestates avertit: Emitriteum sanat: Placabilem hominibus reddit: Epilepsiæ casibus obsistit. Memoriam acuit, & vim dat Rhetoricis persuasionibus: ac commodus est eis quorum sollicitudo est in futurorum præcognitionibus. Visum defatigatum exintuitu restaurat: ac conservat. Venenosis morsibus, & maxime canis rabidi, leprosis, calculosis, ac venenatis, si tritus sumatur, maximum remedium est.

Succinum ex Gagatis specie, ut ante diximus, licet gummi sit: pulchritudine sua ac antiquorum usu inter gemmas annumeratur. Est ergo flavus translucens habens in se quandam cæruleitatem cum croceitate: &quantum apud antiquos in precio fuerit: a Plinio habetur. Fertur esse gummi arboris sui nominis habentis pini similitudinem. Constat autem non esse gummi populi, ut ex fabula Phaëtontis a Poetis ponitur. Ejus inventio in multis locis est, ut in Dacia, Anglia, Britannia. Sed maxime abundat juxta littus Oceani spectans Aquilonem ex opposito Gessariæ insulæ, quod idem apud Theutonicos Succinaria insula. Densatur gummi hoc sole, rigore, ac temporis diuturnitate. Sed cum multotiens cernimus inclusa esse aliqua parva animalia, festucas, & aliquando deceptores mollificant Succinum, & includunt aliquid extraneum. Cum in arboribus hoc gummi induratum existit: conquassatis arboribus ex ventorum flatu, cum propinquæ sint mari, in eo cadit: Ibique magis induratur, ac splendidior efficitur: demum maritimis tempestatibus in littora propellitur: ac retibus capitur. Et quemadmodum magnes ferrum attrahit, ita & Succinum paleas supercalefactum ex confricatione panni. Virtutes Succini eædem sunt ut Gagatis: sed potentiora ac plura juvamenta ei insunt. Ex natura fluxum ventris

tris inhibet. Omnibus gulæ ægritudinibus remedium efficax est: ut has evitarent antiqui ægritudines, mulieribus ac infantibus monilia ex Succino gestare præcipiebant. Veneno quoque resistit: si supra sinistram mamillam soporatæ uxoris positum fuerit, perpetrata mala confiteri facit. Exhibitus urinam provocat, menstrua accelerat, partumque facilitat. Commotos dentes confirmat. Ex ejus suffumigio venenosa fugantur: si detegere volumus an mulier corrupta sit, per triduum in aqua mergatur, eique exhibeatur: nam si corrupta fuerit statim eam mingere cogit.

Sardius sive Sarda inter ardentes gemmas annumeratur. Vilissimus tamen, in usu apud antiquos frequentissimus. Est rubei coloris sanguinei: obscurior tamen & obtusior Cornelio: ac si per vietas ingrederetur in rubeam terram. Sextum quoque habet quoad coloris distinctionem. Cum apud Sardos primo inventus sit, ab ipsis nomen accepit. Quinque ex eo annumerantur species. Omnes tamen Babilonicus excedit. Indicus succedit, demum Arabicus, Ægyptius, & ultimo Cypricus. In pluribus quidem locis ubi saxa excidunt, tanquam cor in medio existens reperitur, ut in Paro insula: Mares fœminis excitatius fulgent: nam fœminæ pinguiores sunt & crassius nitent. Onycem alligat, nam eo præsente nocere non potest.

est. Non finit videre timorosa in somno. Divitias auget. Hilaritatem inducit. Ingenium acuit. Sanguineum fluxum compescit: ac inimicos superare facit. Quidam putant Sardium esse Cornelium, quod falsum est.

Sardonix sive Sardonius compositus lapis est ex Sardio & onyce, plerumque etiam Calcedonio: nonnunquam vero distinctus tribus coloribus, nigro, Calcedonio, & Sardio, & quanto magis colores distincti sunt, tanto Sardonix melior existit. Olim apud antiquos Romanos in precio erat. Virtus ejus est compescere lascivos motus, hilarem ac amabilem reddere. In sigillis conficiendis optimus, cum ceræ tenax non sit.

Selenites, Strites, Siderites, synonima ejusdem lapidis sunt. Lapis est quem quidam dicunt esse transtucidum in candido mellinoque fulgore: continentemque lunæ imaginem seu nebulosæ stellæ. Rutilat in obscuro: & a loco inventionis nomen sumpsit. Variæ hujus lapidis species a doctoribus positæ sunt. Primam jam narravimus. Aliam in capitulo Celonites diximus, cum ex hac specie putent. Persici vero æmuli sunt in sua viriditate jaspidis, servantesque tempora lunaris motus, & tanquam damnis cœlestibus anxius crescente seu decrescente luna minuitur, ac crescit color. Hic potentissimus est in

recon-

reconciliatione amoris. Toto quoque tempore crescentis lunæ pthisicos juvat. Decrescente vero miros effectus exhibet: nam evenientia prædicere facit. In ore immisso lato prius aquæ, futura negocia cogitantur fieri debeant an non. Si fieri debent, adeo in mente figuntur, quod oblivisci non possumus. Si vero non, a corde cito evanescunt.

Samius lapis est dictus ab insula sui nominis, ab inventione prima ex quo artifices aurum tergunt: est albus, gravis, ac frangibilis. Virtus ejus est vertiginem ac mentis alienationem sedare. Si vero potu sumatur, abortum prohibet: si in sinistra geratur, ad antiquas oculorum lachrymas sistendas, ac etiam ad alias ipsorum ægritudines juvat: si cum lacte teratur ac oculis imponatur.

Smirillus lima ac serpens est omnium rerum, dempto adamante, omnia consumit ac corrodit. Est lapis ferruginei coloris ac durissimus: in multis ac diversis locis invenitur. Ad secandos ac æquandos lapides, & ad arma tergenda in usu existit.

Syrius a Syria dictus lapis est: nam dum integer est, aquis non mergitur: Comminutus vero fundum petit. Hujus effectus causa est cum in se inclusum aërem retineat: aëris levitate natat: fractoque lapide evanescit: aër & inde submergitur remanente tantum lapidis gravitate.

Solis gemma candentis coloris est, habens similitudinem berilli, & cum subjicitur solaribus radiis in orbem fulgentes spargit radios: & ob hoc nomen traxit: lapis est miræ virtutis contra potum lethiferi veneni.

Sagada sive Sadda coloris praſſii lapis est, cui tanta circa rates affectio, ut ex profundo maris sursum se jaculetur: & rati tenaciter adhæreat: ut nisi abrasa parte ligni cui adhæret, vix ab ea possit evelli.

Sandastros sive Sadasius lapis est igneæ claritatis, aureis quasi guttis aspersus, quæ stellæ videntur: & quanto magis stellatus seu guttarum numerum majorem continet, quæ intus micant, tanto preciosior habetur. Annumeratus est in numero ardentium gemmarum. Nomen vero a loco primæ inventionis sumpsit. Arabia quoque gignit: in Caldeorum cerimoniis in usu habetur. Mas ac fœmina ex eis datur, & colore dignoscitur. Nam blandior fœminis est flamma, Masculis vero fulvior ac austerior.

Sarcofagus lapis ex quo antiqui monumenta constructebant, & ex effectu nomen sumpsit. Nam Sarcos Græce arcam sonat, fagos comedere, unde Sarcofagus arca devorans corpora. Nam humanum corpus intus locatum devorat, demptis dentibus in quadraginta diebus, adeo quod nihil apparet: postmodum non tantum ex illo

lapide

lapide conſtructa, verum omnia monumenta lapidea Sarcofaga vocata ſunt: vivente quoque homine ſi hic lapis carni alligetur, vim habet corrodendi eam.

Siſinus cineritius in colore non durus lapis eſt, ad coquinariam artem commodus, ex quo lebetes fiunt: perunctus oleo in igne dureſcit & denigratur.

Siderites lapis non diſſimilis a colore ferri, virtus ejus ſi quo modo in malefiiis inferatur, diſcordias excitat.

Stuxites lapis contentus modico decore. Virtute vero non modica, nam tritus & latenter datus in cibo cum Satyrione magnam virgæ dat tenſionem, ſuſpenſus collo digeſtionem bonam facit, ac coeundi deſiderium.

Samothratia lapis eſt nigri coloris, ac levis in ſimilitudine ligni uſti: ab inſula ſui nominis dicta eſt. Reperitur etiam in montibus noſtris inter Fanum & Piſaurum ſub Catigliani monte: nam ſub monte eſt vena nigra in qua hi lapides continentur, & cum in igne ponuntur odorem aſpalti reddunt, in paſſionibus matricis ejus ſuffumigium valet.

Spinella ex ardentibus gemmis eſt, ut in capitulo Carbunculi diximus, cujus color eſt apertior ac clarior colore rubini: ſed virtute ſimilis eſt ei, & a quibusdam dicitur Rubin.

Sanguineus lapis idem quod Ematites.

Senochitem idem quod Galatides.
Spongius lapis idem quod Cysteolithos.
Sedeneg idem quod Ematites.
Sirites idem quod Saphirus.
Specularis lapis idem quod Phengites.
Sanctus lapis idem quod Saphirus.
Sarda idem quod.
Sinodontides idem quod Corvina.

T.

Topatius Sive Topasion exurentium cum glaucedine gemmarum splendidissimus ac egregius lapis est. Cujus binæ sunt species. Una flavi coloris ad aureum vergens cum aliqua viriditate: hæc orientalis est, & limam contemnit, ac reliquis precioſior. Altera vero occidentalis antedicto viridior habens remissum colorem auri, usuque consumitur, & a lima patitur, viliorque existit, & hæc species aliqui putant, quod sit Crysopteron. Inventio hujus lapidis primo fuit in insula Arabiæ, Chitis dicta; Nam cum Troglodite prædones huc pulsi a tempestate maris victu carerent, dum herbas ac radices pro victu effoderent, hunc lapidem invenerunt, & ab ipsa inquisitione vendicavit nomen: nam Topasion lingua Arabica idem quod inquisitio. Plinius vero his contrariatur de impositione nominis. Refert quod primo inventus est in insula rubi maris distante a littore per trecenta stadia, cum naturaliter proclivis sit & vaporibus semper ca-

li-

ſiginoſa: a navigantibus quæritur, cum viſione careant, & ſic ab hac inquiſitione Topazin nomen ſumpſit. Fertur Ptolomeum Philadelphum habuiſſe Topatium trium cubitorum. Dicunt ferventes undas cito tepeſcere, ſi jactus in eis Topatius fuerit, & ex hac tepeſcentia dicunt laſcivos motus frenari: noxios ac freneticos motus ſanat, Hæmorroidas mundat, Lunaticam paſſionem curat ac avertit, Divitias auget. Iram ac triſtitiam ſedat. Subitaneamque avertit mortem: ſanguis a vulnere fluens ſtringitur ſi ſuper alligetur; & geſtantem principum gratiam acquirere facit.

Turchion ſive Turqueſia lapis flauus in album vergens ac ſi lac pertranſiret in flavum colorem, viſui tamen placidiſſimus a regione nomen vendicavit. Eſt enim vulgaris opinio equitantibus utilem eſſe, ut quam diu ſecum habuerit equitans, equus ejus nunquam ſeſſorem fatiget, illæſumquæ equitantem a caſu reddat. Aſpectu viſum corroborat; ab extrinſecis ac nocivis caſibus geſtantem tueri dicunt.

Trachius lapis eſt, cujus binæ ſunt ſpecies: Niger ſonorus, & alter quaſi viridis, non tranſlucens.

Thirſitis corallo ſimilis eſt: ferunt ſi in potu ſumatur, ſomnum inducere.

Talc Alchimicus lapis eſt, lucidus, luminoſus in colore argenti, & ex eo per ſublimationem fit venenum peſſimum.

Tar-

Tartis lapis in colore pulcherrimus pavoni similis est, generosus, ac visu gratissimus, non minus virtute quam aspectu.

Tegolitus idem quod Cogolites.

Trapendanus species Piritis.

Telitos idem quod Tegolitus.

V.

Varach irreperibilis lapis est apud nos, virtutem habens compescendi omnem fluxum, loco cujus medici ponunt draconis sanguinem.

Vernix sive Armenicus lapis est, cujus virtus dicitur præstare juvamentum Melancolicis, Spleneticis, Hepaticis, & ad cardiacam quoque passionem subvenit.

Vejentana Italica nomen a loco sumens. Reperitur etiam in multis aliis locis, & ab his cognomen sumit. Niger lapis est cum lineis ac notulis candentibus.

Vulturis lapis ab ave sui nominis dictus est, capite repente abscisso in cerebro reperitur. Gestantibus corporis sanitatem inducit. Mulieribus vero ubera lacte replet. Petita ab impetrantibus in effectum deducit.

Virites idem quod Pyrites.

Vatrachius idem quod Ranius.

Unio idem quod margarita.

X.

Xiphinos idem quod Saphirus.

Y.

Yecticos lapis sanguineum colorem habens, durus ac obscurus, & in usu parangoni ad metalla discernenda ab aliquibus habetur.

Ydrinus & ab aliquibus serpentinus dicitur, reumatizantibus compatitur, & ab omni nimia humiditate humanum corpus curat. Hydropicorum corpora ad pristinum statum reducuntur: si per tres horas cum eo in sole steterint: nam fœtentissimam aquam per sudorem emittent. Dicunt caute utendum esse quoniam non solum extraneam humiditatem, verum etiam naturalem & complantatam ex naturali humido extrahit, venenosos vermes fugat, ac eorum morsibus remedium præstat. Sumptum vero dicunt lapidem vesicæ frangere.

Ysoberillus species berilli.

Z.

Zumemellazuli sive Zemech, Latine vero lapis lazuli. Color hujus lapidis flavus in colore cœli cum in maxima serenitate existit, non transparens, aureisque crepusculis nitet, ac ignem sustinet, & a sua pulchritudine cœlestis lapis sive stellatus lapis dicitur: præparatus ut medici ponunt melancolicas curat ægritudines. Ex eo quoque fit color vocatus azurrum ultramarinum.

Zarites similitudinem coloris vitri habet

bet. Ferunt; sanguinem sistere, si collo appensus est, ac mentis alienationem.

Ziazaa a loco nomen sumpsit, ex albo, nigro, multis aliisque coloribus simul permixtis, adeo quod nullus in sinceritate sua permanet: litigiosum gestantem efficit, ac terribilia in somno videre facit.

Zmilaces seu zmilanthis marmorei coloris cum glauco lapis est, invenitur in Euphrate, in medio habens quasi pupillam glauci coloris.

Zoronysios in Indo flumine ferunt inveniri, magorum gemmam esse narrant:

Et sic finem huic secundo libro imponimus.



CAMILLI LEONARDI.

De

LAPIDIBUS.

LIBER TERTIUS.

De Sculpturis Lapidum, & quomodo scientia earum difficilis est: sed tantum antiquis standum.

Cap. I.

REm mihi arduam ac difficilem, Princeps illustrissime, in hac ultima parte nostri libelli sumpsi: nec a multis pertractatam ob maximam ejus difficultatem, cum superius dominationi tuæ pollicitus sim, velle de sculpturis lapidum ab antiquis factis pertractare. Et licet Alberti magni dicta parum per me perterreant dicentis: Antiquorum enim sapientium sculpturam de sigillis lapidum pauci sciunt: nec sciri possunt nisi simul Astronomicæ, Magicæ, ac Necromanticæ sciantur scientiæ. Sed cum hæ scientiæ his temporibus ac elapsis per multos annos in paucis extiterint: Ideo de tali materia pauca reperiuntur. Et cum dictum jam diu divulgatum Commentatoris secundo Cœli & Mundi in mentem veniat dicentis. Melius est modicum scire de rebus nobilibus, quam de vilioribus. Ac etiam dictum Philosophi, quod melius est

ali-

aliquid scirè quam omnia ignorare: & licet his scientiis non summopere vacaverim: cum tamen ab aliquibus doctoribus tam antiquis quam modernis sparsim invenerim aliquid, decrevi insimul jungere, ne tot nobiles res pereant: ac a modernis omnia cognita fuisse appareat: Et hæc omnia ad gloriam & gratiam excellentiæ tuæ: cui me unice commendo & dedo.

Qui fuerunt primi sculptores, & quomodo ars succesſit, & qui hodiernis temporibus optimi sculptores ac pictores exiſtunt.

Cap. II.

Thetel summus ac vetustissimus doctor in libello suo de natura rerum, primos sculptores ponit fuisse Israeliticos dum essent in deserto, qui peritissimi Astronomicæ, Magicæ ac Necromanicæ scientiæ. nec minus in sculpturæ arte, lapides signarunt: quorum peritia non solum in dictis scientiis, verum in omnibus summa extitit: & tam suæ sculpturæ subtilis acuminis comprobantur, quod nullus ex posteris hujusmodi operis imitationem audeat attemptare. Et ut dictum est, cum summi in omni scientia extiterint, non dubium est, naturam seu lapidum scientiam non ignorasse: unde figuras sive imagines cum convenientibus constellationibus ac cum consimili natura lapidum, in ipsis lapidibus sculpserunt: ut simboleitatis ratione virtutes imaginum

ginum essent efficatiores. Magna fides adhibenda est verbis Thebit, qui ait: Imagines ac sulpturæ in lapidibus ab antiquis non ad decorem factæ fuerunt; cum multæ res extraneæ in incultis lapidibus sculptæ reperiantur: sed credendum est, quod lapides ex tali figura tunc sculpta virtutem recipiant ex cœli influentia: quæ virtus ex situ cœli planetarumque aspectu ac situ eorum multisque aliis requisitis, ut a doctoribus habetur, tempore quo lapis figuratur, infunditur, & sic in eo retinetur: ex usu vero eorum ut recipiatur illa cœlestis virtus in nobis viget. Post vero Israeliticos optimi sculptores Romanorum tempore extiterunt non imbuti necessariis scientiis ad hoc ut virtus illa cœlestis in sculpturis inesset, ut primi fecerunt: sed tantum voluntarie imperatorum, regum ac diversarum rerum imagines sculpserunt, ut a Plinio libro trigesimo septimo habetur de Pirgotele, qui imaginem Alexandri Magni adeo optime sculpsit, ut vetuerit se ab alio sculpi. Post Apolonides ac Crojus in gloria floruerunt: qui divi Augusti imaginem similem expresserunt. Vanum ac tædiosum foret, mi Princeps Illustrissime, tot sculptorum nomina enarrare, qui Romanorum tempore claruerunt, non inscultura Israeliticis inferiores. Sed quid de sculptoribus nostri temporis dicam: quos ante dictis postponendos esse non arbitror;

bitror: cum eorum opera per Italiam undique vagentur, nec ab antiquis dignoſcantur? Claret Romæ hodiernis temporibus Joannes Maria Mantuanus: Venetiis Franciſcus Nichinus Ferrarienſis: Januæ Jacobus aliter Taglicarne: Mediolani Leonardus Mediolanenſis. Qui adeo accurate ac laute effigies in lapidibus imprimunt: quod nihil addi aut minui poteſt. Unum apud modernos reperio de quo apud antiquos nulla extat memoria, de inciſoribus ſeu ſculptoribus in argento: quæ ſculptura Niellum appellatur. Virum cognoſco in hoc celeberrimum ac ſummum nomine, Franciſcum Bononienſem, aliter Fraza, qui adeo in tam parvo orbiculo ſeu argenti lamina tot homines, tot animalia, tot montes, arbores, caſtra ac tot diverſa ratione, ſituque poſita figurat ſeu incidit, quod dictu ac viſu mirabile apparet: Adeo quod non ſolum in his Italia noſtra illuſtrata eſt, verum in omni genere rerum. Nam in pictoria arte quis præſtantior Petro Burgenſi, Melozoque Ferrarienſi, qui pingendi regulas Geometricis, Arithmeticis, ac perſpectivis regulis miro ordine, induſtria, ac doctrina inſtituerunt? ut eorum operibus patet: nec etiam hoc ab antiquis tam ample pertractatum fuit. Penicillo quoque quis præſtantior Joanne Bellino Veneto, ac Petro Peruſino, qui adeo hominum imagines, animalium quoque ac rerum

rum omnium pingunt, ut ſolo ſpiritu carere videantur? Inter antiquos celeberrimus fuit Zeuxis qui uvas pinxit, ad quas aves volaverunt: qui ſuas picturas donare inſtituit, cum eas nullo ſatis condigno precio permutari poſſe arbitraretur. Fuere & Protogenes & Apelles, qui proprias imagines ac rerum formas pinxerunt. Et cum ad invicem certaſſent, exiles ac tenuiſſimas lineas ſupra ſe equitantes penicillo traxerunt, quæ ex exilitate ſua quaſi inviſibiles erant. Fulgura quoque ac tonitrua, & res quæ pingi non poſſunt, ſumma arte ac induſtria pinxerunt. Non minori laude ac admiratione Italia noſtra virum celeberrimum habet qui ob ejus excellentiam inaurati militis Ordini annumeratus eſt, Andream Patavinum, cognominatum Mantegnam, qui omnes regulas ac pingendi rationes poſteris aperuit: & non ſolum penicillo omnes excedit, verum etiam arrepto calamo ſeu carbone extincto in ictu, oculi hominum, ætatum, ad diverſorum animalium veras imagines ac effigies, diverſarumque nationum habitus, mores, ac geſta figurat: ut quaſi ſe movere videantur. Hunc non ſolum modernis, ſed antiquis præferendum eſſe cenſeo. Et maxime Panſio Sycionico, qui ex enclauſtro ſolum proprias imagines figurabat. Ac etiam Appelli, qui cum ad regiam cænam invitatus foret, interrogatus

a rege a quo invitatus fuisset, ignorato nomine ex improviso arrepto carbone ex foculari invitantis imaginem pinxit: & ex inchoato Rex agnovit. Quot pulchra opera ipsius Andreæ penicillo facta apparent Paduæ, Romæ, Mantuæ, ac in pluribus Italiæ locis? Ex quibus ipsius excellentiam propriis oculis cernere possumus.

Quæ sint imagines productæ a natura, & quæ non, & quæ virtutem habent.

Cap. III.

Longum sermonem deduximus de dignitate sculptoriæ artis: Nunc ad rem nostram redeamus, divisionem sumentes Alberti magni loco prælegato, dicamusque quod imagines a natura in lapidibus tripliciter accidere possunt. Primo modo & hoc dupliciter. Uno modo, cum proprium lapidis ex sui natura sit esse ex diversis coloribus ac lineis, & ex commixtione colorum seu linearum ad invicem concurrentium, ex quibus variæ ac diversæ imagines causantur, ut in marmoribus, achatibus, ac in multis aliis lapidibus diversorum colorum. Fertur quod Pyrrhus Rex Achatem habuit a natura productum, in quo figuratæ erant novem musæ cum Apolline pulsante liram. Achatem quoque vidi, in quo septem veluti arbores in planitie apparebant. Aliter hoc primo modo imagines in lapidibus formantur, cum

cum ex inusitato colore supperaddito lapidi, figuræ seu imagines causantur: ut ab Alberto fertur de lapide situato Coloniæ in capella trium regum, in quo bina candidissima capita super se equitantia, lineis tamen distincta sunt: in quorum frontem nigerrimus serpens elevatur. Adest etiam Æthiopis figura onycea veste, floribus ornata. Plinius quoque refert, imaginem Sileni esse repertam in sectione marmoris. Nonne in tabulis sectis ex columna diversorum colorum in quadam porta dominationis tuæ Pisauri variæ res apparent? Multi admirantur ex hoc & pro impossibili tenent, cum oculis propriis non viderint. Sed qui dictis philosophicis imbuti sunt, hæc & majora credunt: ut Albertus magnus super secundo physicorum recitat, ac etiam in libello de Secretis mulierum, quarto capitulo secundi Tractatus. Henricus quoque de Saxonia in commento dicti tractatus, ac multi alii philosophi narrant ac demonstrant, quod interdum tanta est vis specialis constellationis in producendo seu in formando aliqua, ut non solum in propria specie, sed in diversa producantur, quæ impossibilia apparent, ut ex dictis philosophorum apparet: de hoc ipsi tamen non admirantur, cum causam intelligant: nam admiratio ex ignorantia procedit; Dicunt enim, quod interdum tanta est vis influxus cœli ex planetarum aspectu, constellatio-

num, ac situ ipsorum, quod non solum ex humano semine hominum effigies producuntur: sed bruta ac partes brutorum multotiens concreantur. Et sicut hoc in animatis evenit ita & in lapidibus ac in aliis inanimatis accidere potest. Nonne ridiculum foret apud intelligentes credere Satyros, Centauros & similia monstra, fore producta ex commixtione venerei actus brutalis cum humano? nonne multotiens vidimus ex mulierum partu monstra fuisse producta? nec credendum est, ac absurdum foret, talia animalia dicere cum mulieribus concubuisse: sed ut diximus hæc & majora ex influxu eveniunt. Secundo modo lapides sculpti a natura videntur: cum portio alicujus lapidis adhæreat super superficiem alterius lapidis: seu ex eodem lapide aliquæ partes minuantur, ex qua additione sed minutione aliqua imago causatur, ut arte fit in chamainis: & sic secundum hunc modum possunt esse lapides sculpti a natura ac arte. Sed primo modo tantum a natura & nullo pacto ab arte. Tertio vero modo, ut in proposito nostro est, tantum lapides sculpti inveniuntur ab arte, & non a natura cum pars lapidis cum instrumento aliquo sit abrasa seu incisa: & in ipso lapide producta sit aliqua imago. Quarum imaginum aliquæ voluntariæ, aliquæ ratione sculptæ fuerunt: ut in principio hujus tertii diximus: quæ voluntariæ

riæ ac ratione carentes sculptæ sunt: & ex sculptura nullius efficaciæ sunt: sed tantum virtutem lapidis habent. Et hæ ut plurimum sculptæ fuerunt tempore Romanorum ac nostro. Quæ vero sculptæ sunt, ut in nobis aliquid imprimant, tam ratione lapidis quam sculpturæ, sunt quæ Israeliticorum tempore sculptæ fuerunt, ut diximus: Hi imbuti omni scientia eas sculpserunt: ac sculpi etiam possunt hodiernis temporibus a peritis viris: & forsan Romanorum tempore aliquæ sculptæ fuerunt, de quibus inferius virtutes ostendam: ac quomodo mediante tali figura astra in nobis influant: & an talis virtus impressa in lapide mediante figura perduret æterno ævo.

Quod virtus figuræ sculptæ in lapidibus virtutem particularem lapidis dearticulat, & quod ejus effectus ex ævo non totaliter deperditur.

Cap. IV.

Licet a materia nostra aliqualiter digressi simus, pro majori subsequentium declaratione hæc pauca adhuc dicenda esse arbitror, licet etiam pro parte ante dixerimus. Nil materiale a natura producitur, quin habeat propriam speciem & influxibus subjiciatur: ut in principio secundi hujus diximus, ac ab omnibus philosophis habetur. Sed cum lapides materiales sint a materia, virtutem habent ac etiam a forma specifica, cum hæ sint de ratione mixti:

& ultra hoc non absolvuntur ab influxu syderum cum in inferiorem mundum semper influant. Cum vero sculpuntur lapides a peritis ratione sub aliquo influxu, aliam virtutem cœlestem acquirunt, ut ita dicam, ac si ipsa sculptura animarentur. Et virtus lapidis tunc ducitur ab ipsa sculpta impressa ad unum aut ad plures effectus particulares. Quemadmodum similitudinarie dicimus hominis voluntatem esse liberam, & aliquando duci ratione ad determinatam ac rationabilem rem agendam, ad quam dempta ratione non duceretur. Pariformiter dicimus, lapidis virtutem esse coartatam ad determinatum effectum seu virtutem, ad quam forsan ante sculpturam non erat. Et si consimilis effectus quem intendimus a figura sculpta producere, prius esset in lapide ratione suæ essentiæ: Tunc simboleitatis ratione magis fortificaretur ac efficacior esset ex geminata virtute. Et ut ea quæ diximus magis innotescant ex exemplo deducamus, quamvis exemplum totaliter simile non sit, ut est de mente Aristotelis dicentis: Exempla enim ponimus non quod ita sint, sed ut sentiant addiscentes; tamen aliquam habent similitudinem: Dicimus: in homine duo esse: voluntatem & essentiam: voluntas quidem cum ab anima dependeat, mere libera est, nec ulli subjacet. Essentia. j. esse corporeum cum ex elementis sit, syderibus

bus subjacet. Rationalis ergo voluntas ducta ab anima est, quæ facit hominem aliquid bonum operari, & tunc talis operatio non subjacet syderibus : quamvis mediante corpore fiant : immo anima potentiam corporis dearticulat, quamvis corpus per aliquem influxum contrarium agere deberet. Et hoc est quod dicit Ptolomeus, Sapiens dominabitur astris. Si vero voluntas ab esse corporeo dependeat sine ratione ac discursu animæ : dicimus tunc hominem influxui subjacere. Et ex hoc Plato posuit pueros duci ab intelligentia non errante, cum ratione ac discursu careant. Nam quicquid agunt, solum ab influxu syderum dicuntur agere : cum in corpus vim habeant & anima a corpore inclinetur ad actionem. Similitudinarie ea quæ in exemplo dicta sunt in lapidibus deducamus Nam esse lapidis corporeum ab elementis est, ut in primo hujus diximus. Syderibus ergo subjacet ac ab eis aliquam virtutem acquirit ; Alia vero virtus eis ineſt ex specifica ac individuali ejus forma, quæ nunquam ab ipso lapide separatur nisi destructo lapide : quæ plures virtutes dat uni lapidi secundum esse complexionale ipsius lapidis : & sic plures virtutes in uno lapide esse possunt : sicut & plures voluntates esse possunt in uno homine secundum diversas rationes occurrentes in anima ipsius hominis. Sic & in lapidibus ex sculptura ratione

facta virtus lapidis dearticulatur ad particularem effectum magis: ut clare habetur ab his, qui de sculpturis scripserunt. Et quotiens virtus lapidis cum sculptura ratione facta consimilis erit, tunc potentior ac efficatior erit: ut ex physicis habetur. Unde concludamus, lapides sculptos potentiores esse in aliqua particulari virtute, quam non sculptos. Et licet Albertus magnus secundo mineralium dicit, quod virtus sculptarum imaginum in lapidibus non æterno ævo perduret, sed terminetur in certo periodo. Et hæc auctoritas tanti viri quasi pro indubitata conclusione ab omnibus habeatur: non tamen dicta aliorum doctorum spernenda sunt, & maxime Salomonis in libello precioforum lapidum. Cujus verba hæc sunt: Nisi lapis fractus fuerit aut figura deleta totaliter, virtus non deperditur. Nec mihi incongruum esse videtur: nec erubescimus dicere ea quæ rationibus ac auctoritatibus substentari possunt. Videlicet quod virtus figuræ sculptæ in lapide nunquam totaliter deperditur seu determinatur ad certum periodum: Et pro fundamento ad substentandam hanc opinionem dico, quod esse specificum alicujus individui a quo virtus dependet non removetur ab ipso individuo, nisi ipso corrupto, non sanæ mentis esset qui talia negaret. Tunc ultra dico, quod sculpturæ ut effectum habeant, fiunt per electio-

electiones, hoc est eligimus talem horam in qua viget influxus alicujus astri sub quo intendimus figurare lapidem : & sic per electionem influxus in lapide infunditur, & permanet in lapide durante tali figura. Si ergo talis virtus figuræ deficeret, sequeretur dicta Halii Zachis, Guidi Bonatti, ac omnium Astronomorum vana esse, cum per electiones instruant virtutes stellarum ac planetarum in rebus permanere. Et maxime hoc colligitur a Ptolomeo in secundo capitulo quadripartiti : ubi dicit quod virtus alicujus rei in principio infusa durat in re, quamdiu res illa perdurat. Concludamus ergo ex dictis horum doctorum, quod nec virtus specifica nec virtus figuræ sculptæ a lapide separatur, nisi fracto lapide ac deleta figura, quod probandum erat. Et si dicta ipsius Salomonis bene consideramus, vult, ac nos tenere debemus, quod virtus imaginum sculptarum in lapidibus aliquando remittitur ; Sed non totaliter deperditur : cujus remissionis perplures causas assignare possumus : quas brevitatis causa relinquimus : ut ab Astrologis manifeste apparet.

Quomodo in imaginibus virtutes dicantur universales, & quomodo particulares seu significativæ virtutum lapidum.

Cap. V.

Pertractatis his quæ ad universalem doctri-

ctrinam imaginum in lapidibus congrua erant. Nunc sermonem nostrum ad ea quæ magis particularia sunt, vertamus: sumentesque divisiones dicentes imagines ratione in lapidibus sculptas aut universales esse aut particulares, aut significativas virtutum lapidum. Voco enim universales imagines quæ in quocumque lapide sculptæ reperiuntur, propriam virtutem suam retinent, ut sunt Zodiaci signa. Nam Aries cum igneum sit, in quocumque lapide sculptus fuerit, caliditatem inducit. Verum est, quod sua caliditas augetur ac minuitur secundum lapidis virtutem, ut ante dictum est. Particulares vero imagines esse dicimus, ut planetarum ac constellationum cœli. His magicas imagines addere possumus, cum horum omnium virtutes ad particularem seu determinatum effectum tendant. Significantes vero lapidum virtutem in quibus sunt sculptæ bifariam dividuntur, cum aliqua nobis tantum virtutem lapidis denotent ex quadam conjectura: Aliqui vero sint denotantes virtutem lapidum, & habentes influxum a cœlo per constellationem; & sic cognita virtute constellationis in virtutem lapidis devenimus, uta Thetel habetur. Non dubium quod secundum virtutes gemmarum ab antiquis imagines sculpebantur in ipsis lapidibus, ut earum virtutes efficaciores essent: sed ut ultimæ imagines

significativæ lapidum virtutis innotescant: exemplum de Achate adducemus. Ex ante dictis in secundo libro Achatum species sunt plures. s. Siculus, Indicus, Creticus, ac Cypricus: & in qualibet specie virtus specifica alias excedit. Ideo in qualibet specie ipsius achatis diversæ sculpturæ reperiuntur, denotantes virtutem specificam illius speciei. Nam cum virtus specifica Siculi achatis sit, veneno viperarum obstare, ut denotetur suæ virtutis effectus: in ipso sculptam hominis invenies figuram viperam in manu tenentis: ut ex sculptura virtus lapidis innotescat. Si vero in ipso Siculo achate Serpentarius qui ex cœli constellationibus exiistit, sculptus esset, cui virtus est veneno resistere: nota constellatione virtus achatis duplicatur, & sicut in achate exemplum deduximus, ita intelligere possumus de omni lapide, cujuscunque sit speciei.

De sculpturis non Astronomicis, & quomodo in earum cognitionem devenire possumus.

Cap. VI.

Magicæ ac Necromanticæ imagines ab antiquis in lapidibus sculptæ nullam habent similitudinem signorum seu constellationum cœli: & ideo solum a peritis in dictis scientiis virtutes cognoscuntur. Verissimum tamen est, ut & in pluribus accidit, nullam in lapidibus figuram sculptam esse, quin pro parte effectus imaginis a vir-

a virtute lapidis cognoscatur. Et ex hac causa, cum in aliquo lapide diversæ sint virtutes: ita & in lapide figuræ sculptæ ex diversis animalium partibus sunt, quæ similitudinarie lapidis effectum ostendunt, ut in meo Jaspide apparet, in quo figura habens caput galli, corpus totum usque ad crura hominis torace tectum, in sinistra tenens clypeum, in dextra vero flagellum, & crurum loco ac pedum duæ viperæ supplent: quæ partes figuræ si bene considerantur, lapidis virtutem indicant, ut in capitulo Jaspidis diximus. Et cum hæ imagines magicæ ac necromanticæ magnæ sint virtutis, ac potentiæ, & a multis doctoribus hinc inde sparsim ponantur: Post cœlestes imagines decrevi annotare, prout a doctoribus ponuntur, ut earum virtutes agnoscas. Non credo tamen omnes posse colligere. Si vero dominatio tua plures invenerit: his addat.

Quomodo imagines sculptæ in lapidibus dicantur habere effectum.

Cap. VII.

ET ne verba mea a Catholica fide videantur discedere; advertat dominatio tua, cum dico aliquem lapidem cum tali figura habere virtutem producendi talem effectum in homine: non credas necessitari hominem ad illud agendum, quoniam erroneum esset, ut supra diximus: cum

cum hominis voluntas mere libera sit, nec influxui subjacet. Nec etiam intelligens cum dixero, gestantem efficit Imperatorem, potentem, victoriosum, & similia: quod absolute dicam, quoniam falsum etiam esset. Nam si quem ignobilis persona aut fœmina gereret: non verum esse videretur. Sed hoc sana mente intelligas: nam in quocunque statu hominem invenit, in illo extollit, ac in aliis potentiorem efficit: nam verba mea sic intelligenda sunt & non aliter.

Signa primæ triplicitatis.

Cap. VIII.

Aries, Leo, & Sagittarius: Cum hæc tria signa in qualitatibus tam activis quam passivis simul conveniunt: Astronomi unius triplicitatis esse dixerunt. Cum secundum ipsos nil aliud sit triplicitas, quam convenientia trium signorum in qualitatibus tam activis quam passivis, diviserunt-que Zodiacum in quatuor triplicitates, & quælibet triplicitas continet tria signa, & unamquamque earum uni elemento attribunt: Signis quoque ac partibus cœli, in quibus quodque ipsorum magis viget, ac triplicitati proprios dominos tribuerunt. Nam hujus primæ triplicitatis dominos in die esse dixerunt Solem, in nocte Jovem, in crepusculis Saturnum: eamque orientalem esse posuerunt. Cum ergo in lapide

Arie-

Arietis, Leonis sive Sagittarii figuram sculptam invenies, illam scias omnibus frigidis ægritudinibus valere: ut lethargiæ, paralisi, torturæ, ac hydropicis, & febribus flegmaticis opitulari: sed ob dignitatem dominorum suorum, ac ex eorum natura, dicunt gerentes tales figuras rêddi gratos hominibus: eosque facundos, hilares, ingenioſos, ac venustos fieri, & ad honores ad dignitates exaltari: & maxime leonis ob solis dignitatem, cum sit ejus domus.

Signa secundæ triplicitatis.

Cap. IX.

Taurus, Virgo, & Capricornus, secundam triplicitatem constituunt, quæ terrea dicitur, & meridionalis, habens frigidam ac siccam naturam. Domini hujus triplicitatis in die Venus, Luna in nocte, in crepusculis Mars. Cum ergo hæc tria signa sculpta in lapide fuerint, omnibus calidis ac humidis ægritudinibus auxilium præstabunt, ut in Sinocha, ac in omni putrefactione sanguinis. Et ex eorum natura ac dignitate suorum dominorum gestantes inclinant ad ruralia opera, ut plantare, seminare, inserere hortos, ac vineas ornare, & similia facere.

Signa tertiæ triplicitatis.

Cap. X.

Gemini, Libra, & Aquarius, tertiam co-

componunt triplicitatem habentem aëream complexionem, quæ occidentalis dicitur. Saturnus in die, dominus est. Mercurius noctem obtinet. Iuppiter crepusculum habet: ex eorum natura hæc signa sculpta in lapidibus ab omnibus ægritudinibus frigidis ac siccis, quæ ex humore melancolico dependent, liberant, ut a quartana, a corruptione memoriæ, canina mania, & ab illisci, ac his similibus. Et ex natura dominorum hujus triplicitatis ferentes tales lapides ad amicitiam, justitiam, ac concordiam inclinant: nec non leges diligere ac observare faciunt.

Signa quartæ triplicitatis.

Cap. XI.

Cancer, Scorpio, & pisces quartam ac ultimam conficiunt triplicitatem, quæ aquea dicitur: ac Septemtrionalis frigida & humida existit. In die Venus domina est: In nocte Mars: In crepusculis Luna. Ex sua complexione frigida & humida ab ægritudinibus calidis ac siccis liberat: ut ab Ethica, ab Hepatis inflammatione & ab omnibus ægritudinibus coleræ. Et ex propria signorum natura ac etiam suorum dominorum ad injustitiam, inconstantiam, & ad mendacia inclinat: & maxime Scorpionem ferunt Machometi fuisse signum: quia semper falsa ac mendacia instituit ac docuit.

Planetarum sculptura.

Cap. XII.

Saturni Figura sculpta in lapidibus hæc est, vir senex curvam falcem in manu tenens, habens barbam non multum pilosam. Si sculptam hanc figuram in aliquo lapido invenies, & lapis sit ex Saturni natura: virtus ejus erit reddere gestantem potentem cum continua potestatis augmentatione.

Iovis figura hominis est sedentis in solio seu in quadrupeda cathedra virgam in manu tenentis: In altera vero pilam: inveni etiam tenentem Idolum, Cancrum, seu Piscem, & ante pedes habentem aquilam: sed apud magicos aliter figuratur: hominis enim figuram insculpunt cum Arietino capite: rugosis calcaneis, ac subtili pectore. Si in lapide figuram istam sculptam invenies, & maxime in Kabrate lapide: scias gestantem fortunatum reddi ac amabilem, & quicquid optatur, faciliter acquiritur. Extollit vero hæc ad honores ac dignitates.

Martis imago multipliciter in lapide figuratur, interdum cum vexillo in manu: interdum cum lancea aut cum aliquo instrumento bellico: semper tamen armatus & aliquando equester reperitur. Hujus lapidis virtus sic sculpti gestantem reddit victoriosum, audacem, bellicosum, & in omnibus causis victoriam præstat: &

ma-

maxime si sculptum reperies in lapide habente consimilem virtutem.

Solis figura diversimode reperitur, interdum ad instar Solis cum radiis circumquaque: Aliquando figuratur ad formam hominis sedentis in solio cum capillis sparsis ac profusa veste: in curru etiam figuratur: ac si ab equis quadrigis vehatur: aliquando circa currum sunt signa Zodiaci: Virtus hujus figuræ, si in aliquo lapide inveniatur, est gestantem reddere potentem ac imperantem: & venationibus delectantem: substantiam quoque acquirere facit.

Veneris imagines multæ sunt, ut ex magicis habetur: tamen hæ in lapidibus sculptæ inveniuntur: ut mulier cum magna veste ac stola in manuque laurum tenens. Virtus est levitatem in agendis dare: ac omnia ad optatum finem deducere: timorem submersionis aquæ aufert: & potestatem accommodat.

Mercurii figura est homo gracilis pectoris habens pulchram barbam: & aliquando sine: cum talaribus tenens caduceam virgam: & multotiens cum gallo ante pedes: aut cum serpente sub pedibus. Ejus virtus est conferre ad scientiam, ac oratorem facere. Mercatoribus quoque magnum præstat auxilium in eis locupletandis.

Lunæ imagines variæ sunt: aliquando figuratur in propria figura lunæ cum cor-

nibus, ac si essent diminuta ultra medietatem. Interdum in curru ut puella cum cornibus, & pharetra. Interdum ut nimpha pharetrata cum canibus sequentibus cervum. Hujus imaginis virtus est præbere expeditionem in legationibus, ac ex eis bona & honores acquirere : dicuntque in omnibus agendis rebus celeritatem ac facilitatem præstare : & ad optatum finem omnia deducere.

De figuris sive imaginibus quæ similitudinem habent constellationum cœli, & ad quid valent.

Cap. XIII.

Hucusque diximus de sculpturis signorum ac planetarum : nunc sermo noster erit de imaginibus seu constellationibus cœli : talique modo procedamus : Ponendo primo nomen imaginis. Secundo quomodo figuratur a doctoribus. Tertio subjungemus in quo Zodiaci signo collocetur. Quarto an meridionalis aut septentrionalis sit. Quinto cujus planetarum sit naturæ. Ultimo quod a nostrum propositum pertinet, cujus virtutis erit talis imago : si reperiatur in lapide sculpta : & primo ab ursa initium sumamus ut astronomi sumunt.

Ursæ imago sic formatur : binas ursas insculpunt circumvolutas a serpente. Major ursa in capite revolutionis continetur : minor vero in cauda. Ex magnitudine

vero

vero tam draconis quam ipsarum ursarum cum apud Polum mundi arcticum ac a Polo Zodiaci non multum distent: quasi ab omnibus signis pro parte continentur capiendo signum pro naviculari umbra cujus extremum in polis Zodiaci terminatur per lineas transeuntes per principia signorum: & omnis constellatio quæ a lineis alicujus signi continetur, dicitur esse in illo signo: & sic omnis constellatio ubicunque sit in cœlo, in uno aut pluribus signis continetur: ut draconis ac ursæ sunt. Existit constellatio ista tota in septentrionali parte. Naturæ tamen earum variæ sunt. Nam majoris ursæ est Martis ac Veneris. Minoris vero Saturni. Draconis vero Saturni ac Martis: dicuntque omnes doctores, & maxime Magici, quod si hæc constellatio in lapide sculpta reperiatur, gestantem scientem reddit, versutum, cautum, ac potentem efficit.

Coronæ imago similitudinem coronæ regiæ cum pluribus stellis habet: interdum in similitudine regii capitis coronati, figuratur: Existitque in septentrionali parte ac in signo Sagittarii: estque naturæ Veneris & Mercurii: si hæc in lapide qui ad honores ac scientiam virtutem habeat, sculpta fuerit, dat gestantibus honores ac maximam exaltationem apud reges, & regiam gratiam acquirere facit.

Herculis quandoque incurvati imago fi-

guratur. Sic est vir genuflexus in manu clavam tenens interficiens leonem. Aliquando sic vir cum leonina pelle in manu seu in humeris cum clava. In signo Scorpionis collocatur: & in septentrionali parte: Estque naturæ Mercurii: Si sint in condecenti lapide, qui ad victoriam facit, ut in Achate, gestantem reddit in omnibus victoriosum & maxime in campestri bello.

Cigni sive Gallinæ imago in lapide sculpta si reperiatur, est Cigni figura expansis aliis & collo recurvato: Existitque in septentrionali parte. Natura ejus est Veneris ac Mercurii; si hæc in lapide inveniatur sculpta, gratum gestantem reddit populo, scientiam præbet, ac divitias auget: podagricos, paraliticos, ac quartanarios liberat.

Cepheus est homo habens præcinctum ensem cum brachiis ac manibus expansis: ab Ariete signo obtinetur: Saturni ac Jovis naturæ est, & septentrionalis. Lapis sic sculptus si gestatus fuerit, cautum ac scientem reddit: si sub capite dormientis ponitur, in somno res delectabiles apparere facit.

Cassiopeja mulieris imago est sedentis in cathedra, habentis manus porrectas ad modum crucis. Aliquando cum triangulo in capite. In signo Tauri situatur, & in septentrionali parte. Ejus natura est Saturni ac Veneris: Si hæc sculpta in convenienti lapide

pide inveniatur, virtus ejus erit hominibus ſanitatem præbere, infirma ac defatigata corpora reſtaurare, quietem ac tranquillitatem poſt laborem geſtantibus præbet, amænum ac ſuavem ſomnum præſtat.

Andromeda puellæ imago eſt habens crines ſparſos ac remiſſas manus: a Tauro continetur in ſeptentrione: Veneris naturæ eſt. Ejus virtus eſt, ſi in lapide ſculpta erit, rixas ac jurgia inter virum & uxorem ortas reconciliare, & ſtabilem amorem firmare, & a multis infirmitatibus humana corpora cuſtodire.

Perſeus enſem in dextra manu, in ſiniſtra caput Gorgonis habens imago eſt: locatur in Tauro & in ſeptentrionali parte: vim Saturni ac Veneris habet. Si in lapide ſculptus fuerit ab infortuniis geſtantem avertit, & a fulgure ac tempeſtate præſervat non ſolum geſtantem: ſed & loca ubi continetur: faſcinationes quoque ſoluit.

Serpentarius eſt hominis figura habentis ſerpentem cinctum, tenentis in dextra caput, & in ſiniſtra caudam. Eſt in ſigno Scorpionis, & in Septentrione, naturam habet Saturni ac Martis. Virtus ejus ſi in lapide ſculptus eſt, valere contra venena, venenoſorum animalium morſus curare: & ſi lotura ejus bibatur facit venenum evomere ſine læſione aliqua.

Aquila ſive Vultur cadens eſt imago aquilæ volantis cum ſagitta ſub pedibus, in

Cancro & in Septentrionali parte collocatur: Iovis ac Martis naturæ est. Sed sagittæ Martis ac Veneris: hæ constellationes cum in lapide sculptæ erunt, aut una ipsarum gestantis veteres honores conservat, ac novos acquirere facit, & ad victoriam conferre dicunt.

Piscis sive Delphinus est imago gibbosi. Piscis est in signo Aquarii & in Septentrione, Naturam habens Saturni ac Martis. Ferunt quod si lapis sic sculptus retibus alligatus fuerit, facit ipsa piscibus impleri: gestantem quoque fortunatum efficit in piscando.

Pegasus sive equus alatus: aliqui figurant medietatem equi cum alis. Aliqui totum equum cum alis & sine fræno. In signo Arietis, & in Septentrionali parte est, naturam habens Martis ac Jovis: si sculptus in lapide inveniatur, gestanti in campestri bello victoriam præbet, & velocem, cantum ac audacem reddit. Si vero collo equi suspendatur, aut in aqua ponatur ubi bibat equus, a multis infirmitatibus eum liberat.

Cæti est figura magni piscis cum curvata cauda ac magno ore: continetur a Tauro & in Meridionali parte: naturam obtinet Saturni. Cum in lapide hæc figura inventa erit, & supra dorsum habeat serpentem cristatum cum magna tuba; in mari gestantem fœlicitat, ac eum prudentem

tem & amabilem reddit, & ablata restaurat.

Orionis armati hominis seu inermis imago est cum ense seu falce in manu: collocatur in signo Geminorum & in parte Meridionali. Jovis, Saturni ac Martis naturam habet. Hæc figura in lapide sculpta gestantem reddit victoriosum, & de inimicis victoriam reportare facit.

Navis navi assimilatur cum retorta prora & elevato velo, & aliquando sine & cum remis. Continetur a Leone & in Meridionali parte. Est naturæ Saturni ac Iovis. In lapide sculpta securum reddit gestantem in agendis rebus: & non posse periclitari in mari aut aqua: nec ab aqua damnum capere facit.

Canis imago est figura Canis leporini cum caûda curuata. Existit in signo Cancri in parte meridionali naturam Veneris habens. Si in lapide sculpta inveniatur, ipsum gestantem vim habere dicunt liberandi lunaticos, Maniacos ac demoniacos.

Leporis ad similitudinem leporis imago est cum extensis auribus ac pedibus, ut si in cursu esset. In signu Geminorum collocatur, & in Meridiana parte. Natura ejus est Saturni ac Mercurii. Virtus hujus sculpturæ est freneticos curare, & contra dæmonum versutias valere, nec a maligno spiritu gestans poterit lædi.

Centauri est figura Tauri usque ad col-

lum, & ab inde supra hominis tenentis in sinistra manu hastam quiescentem supra sinistram spatulam cum appenso lepore. In dextra vero manu bestiolam resupinam tenet cum lebete appenso. In Libra & in meridionali parte situatur. Est naturæ Iovis ac Martis : virtus hujus sculpturæ est reddere gestantem constantem ac sanum perpetua sanitate : & ideo aliqui fabulose dicunt Centaurum fuisse Achillis magistrum, eo quod hunc lapidem insignitum Centauro continuo secum gerebat.

Canis alabor est canis imago sedentis in Cancro, & in meridie locatur. Est Iovis naturæ: si in lapide sculptam inveneris, tecumque portaveris, hydropem non timebis, & a peste aca morsu canis liberaberis.

Sacrarii turibuli sive putei est figura aræ seu putei cum accenso igne, A Sagittario & in Meridionali parte continetur: Naturamque habet Veneris ac Mercurii : fertur si in lapide sculptus erit, habilem gestantem ad convocandos spiritus efficere: ac in eorum conversione esse, & ei obedire. Dicunt etiam gestantem reddere ornatum perpetua virginitate, cum castitatem inducat.

Ydræ seu serpentis imago est serpentis figura habentis supra se urnam circa caput, & corvum circa caudam : Situatur in Cancro, in Meridie: est Saturni ac Veneris naturæ: virtus ejus est efficere gestantem divi-

vitem ac abundantem in omnibus bonis, astutum, cautum, ac prudentem: & a nocivis liberat: dicunt resistere omni nocivo calori.

Coronæ australis figura imperiali coronæ assimilatur, eam in Libram ponunt, & in Meridie: naturæ est Saturni ac Martis. In augendo divitias ejus virtus est, & hominem hilarem ac jocundum facere.

Agitatoris sive aurigæ imago est hominis figura in curru tenentis hircum in spatula sinistra. Collocatur in signo Geminorum, & in Septentrione, naturam habens Mercurii. Hæc figura in lapide sculpta facit gestantem venatorem ac fortunatum in capiendo animalia.

Vexilli imago est in similitudinem vexilli expansi in extremitate hastæ. Situatur in Scorpione, & in australi parte. Hæc in lapide sculpta efficit gestantem in militia præesse: ac victorem esse in bello campestri.

De imaginibus magicis: & primo de his quæ a Ragiel positæ sunt.

Cap. XIV.

Expediti de imaginibus astronomicis, nunc ad reliquas positas a diversis doctoribus, quæ magicæ sunt, descendamus: nec de ipsis ullam rationem reddere possumus. Sed tantum Doctoribus credendum est: cum his scientiis hodiernis tempo-

poribus careamus, quæ antiquis temporibus claruerunt: ac multi de ipsis scripserunt: & maxime ille summus Ragiel in libro alarum, in quo perfectam artem tradidit, & sine quo in magica arte nullus perfecte scire potest. Nam in prima ala sui operis ponit has imagines, & dicit multas habere virtutes cum sculptæ in convenientibus lapidibus inveniantur: quæ tamen portari ac custodiri debent cum magna reverentia.

Draconis formosi ac timorosi imago, si in Rubino sive in alio lapide consimilis naturæ ac virtutis reperta est, scias virtutem ejus esse in augendo bona hujus sæculi: & hylarem ac sanum gestantem efficit.

Falconis imago si in Topatio reperiatur, ad acquirendam benivolentiam Regum, Principum ac Magnatum facit.

Astrolabii imago si in saphiro sculpta fuerit, virtus ejus erit augere divitias, ac futura prædicere.

Leonis bene formati imago si in granato sculpta fuerit, virtutem habebit præservare honores, sanumque reddere gestantem ab omnibus ægritudinibus: honores quoque præbet & ab adversis casibus in itineribus gestantem custodit.

Asini imago si in Crisolito sculpta inveniatur, virtus ejus erit futura pronosticari ac prædicere.

Arietis sive capitis hominis cum barba imago si in Saphiro sculpta erit, Virtutem

habet

habet ſanandi ac liberandi a multis infirmitatibus, & a carcere, & ab omni preſſura. Eſtque imago regia cum dat dignitates & honores, ac in altum extollit.

Ranæ figura ſi in berillo ſculpta erit, virtutem habet inimicos reconciliare, & amicitiam inter homines ponere, ſi diſcordes erunt: ſi cum ea ipſos tetigerit.

Camelli capitis vel duarum caprarum inter myrti arbores imago ſi in onyce reperiatur, virtutem habet convocandi, congregandi ac conſtringendi dæmones: ſi ſecum quis portaverit: & in ſomno facit terribilia videre.

Vulturis imago, ſi in Criſolito reperiatur, virtus ejus erit Dæmones ventosque conſtringere, frenare, ac congregare, defendit locum in quo ponitur a malis ſpiritibus, & ab eorum infeſtatione: & ſi quis ſecum portaverit dæmones ei obedient.

Veſpertilionis imago ſi in Elitropia ſculpta erit geſtanti potentiam dat ſupra dæmones: & ad incantationes valet.

Griffonis imago ſi in Criſtallo reperiatur ſculpta, virtutem maximam habebit replere ubera lacte.

Hominis bene ornati imago ac habentis aliquid pulchri in manibus: ſi in Cornelio reperiatur, virtutem habet ſtringendi ſanguinem & ad honores confert.

Leonis ſive Sagittarii imago, ſi in Jaſpide reperiatur, ad venena valet, ac a febre liberat.

Ho-

Hominis armati cum arcu ac sagitta imago, si in Iride reperiatur, virtutem habet custodire gestantem, ac loca in quibus erit, a malo.

Hominis imago cum ense in manu si in Cornelia reperiatur, virtutem habet præservare locum in quo erit a fulmine ac tempestate, & gestantem a vitiis ac fascinatione custodit.

Tauri imago si in Prassio reperiatur, ad maleficia juvare dicitur: & in magisteriis gratiam præbet.

Upupæ figura cum dragontea herba ante se si in berillo reperiatur, erit virtus ejus invocare aquaticos spiritus ac loqui cohibere: Mortuos quoque notos ad se revocare ac de quæsitis ab eis responsa recipere.

Hyrundinis imago in Celonite reperta virtutem habet pacem ac concordiam inter homines ponere ac conservare.

Hominis imago cum dextra manu erecta ad cœlum, si in Calcedonio reperiatur, virtus ejus erit, vincere civiles lites ac gestantem reddere sanum, & itineribus & a causis noxiis præservare.

Dei nomina in ceraunio si sculpta reperiantur, virtutem habebunt præservare loca in quibus erunt a tempestatibus: ac potentiam & victoriam dant gestantibus contra inimicos suos.

Ursi imago si in Ametisto reperiatur, fugan-

gandi dæmones virtutem habet: & hominem ab ebrietate defendere ac præservare.

Hominis armati imago si in magnete reperiatur, ejus virtus erit conferre ad incantationes & gestantem in bello victorem reddere.

Imagines seu sigilla Chael.
Cap. XV.

Chael unus ex filiis filiorum Israel antiquissimus doctor cum in deserto esse, vidit ac sculpefecit multas figuras signorum ac planetarum, & maximum effectum in eis agnovit: & ut hæ imaginum virtutes posteris paterent, hunc librum composuit in quo per ordinem multæ virtutes ponunt, ut patebit: sitque benedictus Deus qui terris tales virtutes dedit in salutem humani generis.

Hominis figura sedentis post aratrum, cum longa barba vultuque longo ac supercilijs curvatis, in cujus collo sint quatuor homines jacentes: & qui teneat in manibus vulpem, ac vulturem: si talis lapis in quo hæc erunt, collo suspendatur: ad omnes plantationes valet, & ad inveniendum thesauros: nam si sub cervice dum in lectum ibis, impones: in somno videbis thesauros ac modum extrahendi. Est & alia ejus virtus, conferre in ægritudinibus brutorum, cum aquam biberint in qua hic lapis lotus fuerit.

Ho-

Hominis imago habentis ad collum clipeum, & in capite Galeam, tenentis in manu gladium, ac conculcantis sub pedibus serpentem in jaspide rubeo sculpta, si collo suspendatur omnes gestans superabit inimicos in prælio, & maxime si commissum fuerit die Martis.

Equi imago habentis crocodillum super se in jacinto sculpta virtutem habet reddere gestantem victorem in civilibus causis: & ornatum ac morigeratum efficit: & amabilem reddit: debet in auro ligari, quoniam ex auro virtus ejus augmentatur.

Hominis figura sedentis, ac mulieris stantis ante eum cum capillis sparsis versus renes, & viri sursum aspicientis, si in Cornelio sculpta reperiatur, virtus ejus erit, quod si quis tactus fuerit cum ipso lapide, ducetur ad voluntatem ac obedientiam tangentis: & ex omnibus benivolentiam acquiret: sub lapide cum signatur debet apponi parum ambræ ac terebintinæ.

Equi spumantis ac fervidi super quem niger sedeat cum sceptro in manu figura inventa in ematite sculpta: regnandi potestatem præbet ac amissam gratiam restaurat debetque in æquali pondere auri ac argenti ligari.

Hominis sedentis cum accensa candela in manu imago si in crisolito sculpta reperiatur, gestantem divitem efficit, debetque in purissimo auro ligari.

Ce-

Cerui seu Venatoris, aut Canis, aut Leoparis, figura si sculpta reperiatur, virtutem habet frenandi dæmones, lunaticos, ac freneticos: & qui in nocte militant.

Mulieris imaginem habentis in una manu avem & in alia piscem, si sculptam invenies, scias, ipsam virtutem habere capiendis piscibus ac avibus: debet in argento ligari: valet his qui tale exercitium exercent.

Cornutæ figura quæ sic formatur: Nam anterior pars est equi, posterior vero capræ, si in aliquo lapide sculpta reperiatur dat habitum in alendis ac armandis animalibus sive bestiis omnium generum: debetque in plumbo ligari.

Mulieris sedentis cum tuba super equum, seu militis currentis cum cornu ad collum, ac cum arbore ante se figura si sculpta reperiatur in aliquo lapide, venatoribus venandi gratiam præstat, si secum portaverint.

Hominis flexis genibus sursum respicientis ac tenentis pannum figura, si in lapide sculpta erit, ac tecum portaveris: dat gratiam ac divitias in rebus emendis ac vendendis.

Vulturis imago cum ramo olivæ in ore: si in Pyrite sculpta erit, tecumque portaveris in argenteo annullo, ad multa convivia vocatus eris: & cum in his fueris, omnes te aspicient commestione dimissa.

Scorpionis ac sagittarii figura ad invi-

cem pugnantium, si in aliquo lapide reperta erit: & cum ipsa ceram impresseris: & cum ipsa aliquos tetigeris malivolos ac discordes, benivolos efficies: in argento ligetur.

Arietis ac Leonis medietatis figura, si in aliquo precioso lapide sculpta erit, si discordes cum ea tetigeris, amabiles ac concordes efficientur: debetque in argento ligari.

Mulieris in superiori parte, in inferiori vero Piscis figura: si in Jacinto sculpta erit, quæ in manu speculum teneat, & in altera ramum: Eam in annullo aureo liga ac digito tene. Cum vero invisibilis esse volueris, volue lapidem dicti annulli versus palmam manus, & eam claude, & invisibilis eris.

Hominis armati figura habentis supra dexteram crucem cum stellis, si in aliquo precioforum lapidum inventa erit, scias ad fruges ac messes valere: & in qua regione erit, ibi tempestas nocere non poterit.

Basiliscí seu Syrenes, cujus pars una est fœminæ, inferior vero serpentis figura, si in aliquo precioforum lapidum inventa erit, virtutem habebit fugandi animalia venenosa.

Basiliscí pugnantis cum dracone figura & desuper sit caput hominis, si in Cornelio reperta fuerit, & ad collum suspendatur:

ille

ille habebit virtutem ſuperandi omnem beſtiam tam terrenam quam marinam.

Hominis nudi inflati figura cum altera hominis figura bene induti, ac tenentis in una manu ſcyfum, in altera vero ramum herbæ, ſi in Gagate lapide inventa erit, virtutem habere ſcias liberandi omnes febricitantes, ſi per triduum ſecum portaverit.

Hominis ſtatuam habentis caput bovinum, & pedes aquilæ ſi in aliquo lapide ſculptam inveneris, tecumque portaveris, nullus de te male loquetur.

Hominis imago ſculpta in diadoco ſtantis ac magnæ ſtaturæ tenentis in manu dextra obolum, & in alia ſerpentem, ſitque ſuper caput hominis figura Solis, & proſtratum ſub pedibus teneat leonem, & poſita fuerit in annulo plumbeo cum modico Arthemiſiæ ac radice fœnu græci, cum tecum habueris in ripa fluvii, & vocaveris malignos ſpiritus, ab eis de quæſitis reſponſum accipies.

Hominis figura ſtantis ac tenentis faſciculum herbæ appenſum collo cum groſſitie renum, ac amplitudine ſpatularum, ſi in viridi jaſpide ſculpta erit, ſcias ipſam auxilium præbere febricitantibus, ac a febre liberare: & ſi quis artem medicinæ exercet, ſecumque portaverit, in diſcernendis ægritudinibus ac cognoſcendis medicinis ac herbis, in dandisque potioni-

bus maximam gratiam præbet: In hæmorroidibus ac menstruis, & in omni fluxu sanguineo auxilium præbet, & in instanti compescit.

Turturis marini imago si in lapide nigro, de quo parangones fiunt, reperta fuerit, & in annulo plumbeo ligata feratur, non poterit lædi ab aliquo, & a senioribus ac dominis terrarum diligetur.

Aquarii figura si sculpta fuerit in viridi jaspide, & quis secum potaverit, lucrum præbet in emendis ac vendendis rebus, & ab eo mercatores consilium quærent: ac in suum domicilium merces portabunt.

Avis quæ in ore suo folium tenet, & in ejus conspectu sit caput hominis respicientis ipsam avem: si in lapide parangoni sculpta inveniatur, eamque in auro ligaveris ac tecum portaveris, dives eris ac locuples & ab omnibus venerabilis.

Jovis figura, quæ est hominis sedentis super cathedram quadrupedem, & sint ibi quatuor homines stantes ante Jovem, sintque manus Jovis erectæ versus cœlum, & in capite habeat diadema; Si in jacinto sculpta erit ac in auro ligata, & quis talem annulum secum portaverit, seu figuram hujus annuli impressam in cæra collo suspendat, a regibus ac sapientibus quicquid voluerit impetrabit.

Hominis imago habens vultum leonis, & pedes aquilæ, & sub pedibus ejus sit dra-

co

cò biceps, & cauda sit extensa. In manu vero ipsius hominis sit baculus, cum quo percutiat capita draconis: si in cristallo sculpta erit, aut in aliquo precioso lapide, & ligata sit in auricalco, & sub lapide sit muscus & ambra; si quis fert secum talem lapidem, uterque sexus omnium inclinabit sibi: ac spiritus obedient ei: & facultatem augebit ac maximas divitias accumulabit.

Hominis sedentis super aquilam, ac in manu virgam tenentis imago, si in efestide lapide seu cristallo inventa erit: & in annullo æreo seu cupreo ligata: si quis hunc annulum in die solis ante ortum ipsius aspexerit, omnes inimicos suos vincet & superabit. Et si in die Jovis aspexerit, victor belli erit, ac libenter omnes homines ei obedient. Sed oportet gerentem vestiri albis vestibus, ac columbina carne abstinere.

Hominis figura equitantis ac tenentis in una manu frenum, & in alia arcum tensum ac habentis gladium cinctum, si in pyrite sculpta erit, & in annullo aureo ligata, & quis secum portaverit, eum victorem reddet in præliis, nec quis ei resistere poterit.

Mulieris imago habentis crines sparsos super mamillas, & in ejus conspectu sit vir quasi adveniens, faciensque ei aliquod amoris signum, si in Jacinto seu cristallo sculpta erit, ac in auro ligata, & sub lapide

sit ambra, aloes, & herba quæ polium dicitur: Ferenti hunc lapidem in annullo omnes obedient, & si mulierem cum eo tetigeris, voluntatem tuam faciet: & capiti tuo suppositeris, cum vadis dormitum, quicquid volueris in somno videbis.

Hominis imago sedentis super Piscem, & super caput hominis sit pavo, si in lapide rubeo sculpta erit, & ipsam sub tabulam in convivio posueris, nemo comedens cum dextra satiabitur.

Hominis nudi stantis figura, & a dextra ejus sit puella stans, cujus capilli sint ligati circa caput, & vir teneat dexteram suam super collum puellæ, & siniſtram super pectus: & vir aspiciat vultum ejus, & ipsa aspiciat in terram: Si in aliquo lapide sculpta erit, ac in ferreo ligata annullo, & sub lapide sit parum linguæ passeris ac upupæ, mirræ, aluminis, sanguinisque hominis æqualiter parum, qui hunc annullum portaverit, invictus erit, nec ullus poterit ei resistere, nec fera aliqua ei nocebit. Epilepticis quoque valet, si ceram rubeam signaveris cum eo: & si ad collum canis ponatur, latrare non permittit.

Hominis imago tenentis in manu flores, si in cornelio sculpta erit, ac in annullo stanneo posita, & annulus fabricatus fuerit die Lunæ vel Veneris, in prima, octava vel duodecima hora: Postea tange quem volueris cum dicto annulo & obediet tibi.

Ho-

Hominis barbati figuram habentis vultum longum, superciliaque curua: sedentis super aratrum inter duos tauros, habentisque vulturem in manu, si in lapide sculptam reperies, scias virtutem habere in plantatione arborum & in inventione thesaurorum, ac victorem in prælio efficere. Serpentes a facie gestantis fugantur. Epilepticos sanat: & omnem timorem ac vexationem malorum spirituum liberat, debetque in annulo ferreo ligari & gestari.

Hominis tenentis falcem in manu super caput suum figura, & sub pedibus crocodillum, si in lapide sculpta erit, ac in annulo plumbeo ligata, & sub lapide sit parum radicis squillæ: qui secum hunc annulum portaverit, ab inimicis securus erit, & in itinere a latronibus.

Hominis figura tenentis gladium in manu ac sedentis supra draconem, si in ametisto reperta erit, ac in plumbeo annulo ligata vel ferreo, & in digito feratur, ei omnes spiritus obedient & revelabunt ei thesauros ac quæsita qualiacunque fuerint.

Aquilæ stantis figura si in ethice lapide sculpta erit, ac in annulo plumbeo ligata, virtutem habet qui secum portaverit capiendi multos pisces, nec ulla fera ei nocebit, & ab hominibus diligetur.

Hominis stantis ac tenentis in manu mucronem figuram, si in onychino sculptam invenies, scias virtutem habere si quis se-

cum portaverit honorari ab omnibus dominationibus ac principibus, & similiter ab omnibus hominibus.

Leporis figura sculpta in Jaspide præservandi gerentem a dæmoniaca umbra vim habet, ne ei noceat.

Hominis habentis in manu palmam figura, si in aliquo lapide sculpta erit, reddit gestantem gratum ac amabilem potentibus ac principibus.

Auctor iste Chael ponit etiam imagines astronomicas, sed quia ante positæ sunt: non repetam.

Imagines seu sigilla Thetel.

Cap. XVI.

THetel, ut supra diximus, vetustissimus doctor tractans de sculpturis lapidum, dicit, quod si hæ sculpturæ: quæ inferius dicentur, in convenientibus lapidibus reperiantur, maximam virtutem habent, & Primo.

Hominis imago in Jaspide habentis scutum in sinistra, & in dextra idolum, vel aliquid bellicosum: & loco pedum sint viperæ: & loco capitis hominis sit caput galli sive leonis: & cum torace, hic lapis sic sculptus virtutem habet contra inimicos, ac victorem gestantem reddit, & ad venena valet. Sanguinem quoque stringit a quocunque loco fluat.

Hominis figura habens fasciculum herbæ

bæ in collo, si in Jaspide reperiatur, virtutem habet discernendi seu cognoscendi infirmitates. Sanguinem a quocunque loco fluat frænat: dicunt Galienum hunc lapidem habuisse quem semper vehebat.

Crucem sculptam in Jaspide viridi dicunt habere potentiam liberandi gestantem a submersione aquæ.

Fœmina habens in una manu avem & in altera piscem, si sculpta erit in crisolito, ad negociandum multum valet.

Lupi figura si sculpta in Jaspide reperiatur, contra versutias valet, ac insana verba prohibet proferre.

Cerui figura in lapide sculpta virtutem habet sanandi ac liberandi lunaticos & freneticos.

Agni imago si in lapide sculpta erit: gestantem efficit securum a paralysi ac a quartana febre.

Venatoris figura in jaspide sculpta gestantem efficit habere virtutem sanandi dæmoniacos ac freneticos.

Imperatoris figura in jaspide sculpta cum capite erecto gestantem reddit amabilem ab omni creatura, & quid petierit obtinebit.

Virginis figura cum veste profusa tenentis in manu laurum si sculpta in jaspide reperiatur, gestantem efficit securum a submersione. Nec a dæmone vexabitur, facitque potentem ac impetrantem omnia.

Hominis figura habens palmam inscriptam in manu, si in jaspide inveniatur, potentem reddit gestantem, ac principibus gratum.

Sculpturæ seu imagines Salomonis.
Cap. XVII.

Vetustissimum inveni librum de sigillis lapidum, cujus titulus talis erat sine auctoris nomine: Credo tamen fuisse Salomonis quia in eo libro multa opera Salomonis erant.

In nomine domini hic est preciosus libellus quem filii Israelitici in deserto fecerunt, secundum nomen tuum Domine & secundum cursum stellarum.

Hominis sedentis super aratrum figura quæ habet collum parvum, & prolixam barbam: & quatuor homines jaceant in suo collo: & teneat in manibus vulpem: & in alia vulturem: scias istud sigillum si collo appendas, ad omnes plantationes valere: & ad omnes thesaurorum inventiones. Probationem istius an valeat sic facias: accipe lanam nigram puram sine tinctura, & involve lapidem, & inter paleas tritici pone, & super ipsum jace cum capite, in somnis videbis omnes thesauros de regione in qua eris, & quomodo illos habere poteris. Amplius aliam habet virtutem, quoniam sanat omnes bestiarum langores si aquam in qua lotus fuerit bibent.

Ho-

Hominem sculptum in jaspide viridi qui habeat clipeum pendentem collo, & super caput galeam & gladium erectum: & pedibus serpentem calcet: pone ad collum & non timebis ullum inimicum: tamen iners non sis: in omnibus rebus erit victor, & maxime valet in rebus martialibus, debetque in ære ligari.

Equum gerentem supra dorsum calchatricem seu crocodillum: si in jacinto albo invenies, scias valere in placidis ac loquelis omnibus, & illico ab omnibus hominibus ac bestiis eris amabilis, debetque in auro ligari.

Hominem sedentem & mulierem stantem ante eum habentem capillos extensos usque ad femur, & quod fœmina levet oculos sursum: si in cornelio sculptum invenies, scias virtutem ejus esse, quod omnis homo vel fœmina tacta ab eo sigillo obediens erit tibi ad omnem voluntatem tuam: debent in tanto pondere auri ligari quantum lapis ponderat, & subtus poni herba betonica & ambra.

Equum spumantem & supra se sit vir tenens sceptrum in manu, si in ametisto sculptum reperies, scias istud sigillum prodesse ad omnes res quas habet qui illud fert, & omnes Principes ac primates obedientes erunt ei. Debet ligari in auro vel argento in duplo ad sigillum.

Fœminam tenentem in una manu avem

& in altera piſcem: ſi in criſtallo ſculptam invenies, ſcias valere ad capiendum aves: debet in argento ligari.

Cornutum animal quod equum ſubtus ſe ferat, & equus retro ſe ducat medietatem capræ: ſi ſculptum inveneris in aliquo precioſorum lapidum, ſcias valere ad domandum omnes beſtias: debetque in annulo plumbeo poni.

Militem ſuper equum currentem cum cornu ad collum, & ſit arbor ante ſe: ſi ſculptum in aliqua precioſa petra invenies, ſcias valere in omnibus venationibus.

Hominem flectentem genua & ſurſum aſpicientem, & unum pannum teneat, ſi in turcheſia ſculptum invenies, ſcias valere ad emendas ac vendendas res, & caſte fer.

Fragulæ figuram quæ in ore ferat ramum olivæ, ſi in pyrite ſculptam invenies, & in annulo argenti eam poſueris, in conviviis ab omnibus invitatus eris, & qui ibi erunt non comedent. Sed omnes te aſpicient, ſi in dextra manu in convivio portaveris.

Scorpionis & Sagittarii figuram inter ſe bellantium ſi in aliquo lapide invenies, pone illum in annulo ferreo, & ſi vis cognoſcere illius vigorem, comprime figuram in cera, & quoscunque cum illa palpaveris inter ſe ſtatim diſcordes erunt.

Arietis figuram cum medietate bovis ſi

in

in aliqua gemma invenies, liga in annulo argenteo, tange quem vis & eris concors.

Fœminam sculptam & medium piscem quæ in una manu teneat speculum, & in alia ramum, si in jacinto marino inveneris pone in annulo aureo, & cooperi sigillum de cera, & feras in digito. Et quando volueris ire quod nullus te videat, tene petram intus palmam stricte, & habebis effectum.

Hominis arantis, & supra illum sit manus domini faciens signum, & juxta illud sculpta sit stella: si in aliqua gemma figuram invenies & honestissime tuleris: in qua regione eris a tempestate non peribis, & fructus terræ similiter in illa non peribunt.

Caput & collum sculptum in viridi jaspide si inveneris liga in annulo argenteo vel æreo, feras illud & nullo modo peribis: & in annulo scribe istas literas. B. B. P. P. N. E. N. A. & salvabitur corpus tuum ab omni infirmitate & maxime a febre vel hydropisi, & ad capiendum aves dat magnam gratiam. Et eris rationabilis ac amabilis in omnibus rebus. In præliis ac placidis summus eris: fœminas ad concipiendum juvat, ac ad parturiendum: pacem ac concordiam & plura bona dat illis qui eum tulerint: tamen justissime ac honestissime feras eum.

Basi-

Basiliſci ac Sirenis maris imaginem, cujus ſuprema medietas eſt fœminæ, inferior vero ſerpentis, ſi in aliqua gemma inveniens: fer tecum, & poteris tangere omnia venenoſa animalia ſine aliquo nocumento.

Basiliſcum & draconem inter ſe hæſitantes ſi in cornelio inveniens ſculptos, ſitque ibi caput bovis: Pone illum ad collum, ſi vis bellare cum aliqua beſtia ſilveſtri vel marina, cito erit victa.

Hominis nudi inflati & coronati qui teneat in una manu ſcifcum, & in alia ramum herbæ: ſi in Gagate imaginem ſculptam inveniens, pone in annulo cujusvis metalli: & omnis homo qui habuerit febrem, ſi illum ferat, ſtatim ſanabitur.

Hominis ſtantis, cujus caput ſit bovis, pedes vero aquilæ, figuram ſi in aliqua gemma ſculptam invenies: Illam figuram in cera comprime, & eam fer tecum, & non invenies hominem tibi male loquentem.

Hominis erecti ac magni figuram qui in una manu teneat obolum, & in alia ſerpentem, & ſupra hominem ſit ſol inſculptus, & homo ſub pedibus teneat leonem: ſi in diacodo ſulptam invenies, illam pone in annulo plumbi, & ſubtus pone radicem arthemiſiæ, radicem fenugreci. Fer tecum ſuper ripam aquæ, & voca quemlibet malignorum ſpirituum, & habebis ab eis reſponſum de omnibus rebus quæſitis.

Homi-

Hominis ſtantis figuram, & habentis humeros magnos ac renes, & in collo onus herbarum, ſi in jaſpide viridi ſculptam invenies, fer tecum, & liber eris a febre acuta. Sed ſi fueris medicus gratiam habebis in medicando. Sed ſi petra fuerit guttata, pone in annulo argenti, quoniam hæmoptoicos, ideſt vomentes ſanguinem, ſanat.

Turturis figuram ſi in parangone inveneris ſculptam, & ponas in annulo plumbeo, qui fert, nunquam vulneratus erit nec malum accipiet. Sed ab omnibus hominibus honorabitur, & maxime a ſenioribus.

Avis tenentis folium in ore & in ejus conſpectu ſit caput hominis aut vulturis, figuram, ſi in parangone aureo ſculptam invenies, liga in annulo qualiſcunque fuerit, locuples ſuperfluis divitiis, ac acceptus & veneratus eris ab hominibus.

Aquarii figuram ſi in viridi turcheſia ſculptam invenies, qui eam fert ex omnibus quæ vendiderit ac emerit lucrum acquiret. Ita quod emptores inveſtigabunt eum.

Viri juvenis tenentis in capite coronam & ſedentis ſuper thronum quadrupedem, & ſub quolibet pede ſit vir ſtans retinens cathedram in collo, ſitque circa caput ſedentis circulus, & manus ejus ſint erectæ ad cœlum: ſi hanc figuram in jacinto albo ſculptam reperies: pone hunc lapidem in

argen-

argenteo annulo in æquali pondere ad lapidem: & sub lapide pone de mastice & & terebintina. Fac sigillum in cera, & da cuivis, & gerat ad collum vel supra se annulum seu sigillum, & vadat ad regem, vel potentem, vel ad sapientem pura mente, & caste impetrabit ab eis quid voluerit.

Mulieris figuram habentis crines sparsos vel mamillas nudas: & in ejus conspectu sit vir imminens ac cernens ejus faciem: si in jacinto, granato vel cristallo inveneris sculptam & ligaveris in annulo aureo tanti ponderis ut lapis est: & sub lapide sit ambra, lignum aloes, & polipodium, ferens erit placabilis omnibus, & obedient ei, & si supponatur capiti in somnis quæ voluerit videbit.

Viri sedentis super piscem figuram si in jaspide rubeo sculptam invenies, si in panno alicujus hominis imponatur, in conuivio cum dextero brachio comedens non saturabitur.

Viri barbati tenentis florem in manu figuram si in cornelio sculptam invenies, ac ligaveris in annulo stanneo, & fiet annulus in revolutione lunæ, vel die Veneris luna prima, vel octava, & tange quemcunque volueris, veniet ad voluntatem tuam.

Serpentis figuram habentis supra dorsum virum & super caudam corium, si in aliquo lapide sculptam invenies, qui hunc lapidem supra se portaverit, omnibus abundabit & erit astutus. Vi-

Viri ſtantis ac tenentis falcem in manu ſupra caput ſuum, ſub pedibus ejus ſit crocodillus, figuram ſi in aliquo lapide ſculptam invenies, mitte in annulo plumbeo, & ſub lapide pone parum radicis ſquillæ. Portans eum ab omnibus inimicis ſecurus erit: & ſi eis obvius fuerit, non erit qui loquatur malum.

Viri ſtantis ſupra draconem qui in manu teneat gladium, figuram ſi in Emathite ſculptam invenies: pone in annulo plumbeo vel ferreo, & obedient ei omnes ſpiritus qui in tenebris habitant, revelabuntque ei theſauros levi carmine, ac extrahendi modum oſtendent.

Leonis vultus vel draconis habentis duo capita cum cauda delicata, vel viri in cujus dextra ſit baculus, & percutiat caput leonis ſeu capita draconis, figuram ſi in criſtallo ſculptam invenies: in auricalcho pone, & ſub lapide ſit muſcum, & ambra: tecum porta, & omnes obedient tibi, & facultatem ampliabis. Sigilla cum eo ceram, & da cuivis, & habebit eandem virtutem.

Viri equitantis ac tenentis in manu ejus frenum, & in alia arcum cum gladio cincto, figuram ſi in pyrite ſculptam invenies, & in annulo aureo ligetur: geſtantem victorem reddit in prælio cui nemo reſiſtere poterit. Et ſi quis hunc annulum in oleo ſubmerſerit muſcato: & unxerit

vultum ſuum cum dicto oleo muſcato, omnes metuent qui eum videbunt, necei reſiſtere poterunt.

Viri ſtantis ac habentis loricam indutam, & in capite galeam, in manu vero gladium evaginatum, figuram ſi in aliquo lapide ſculptam invenies, & in annulo ferreo tanti ponderis ligaveris, ferenti hunc in prælio nemo reſiſtere poterit.

Viri ſtantis, qui ſit nudus, & a dextris ejus ſit puella nuda ſtans, & ejus capilli ſint ligati circa caput, figuram ſi in magnete ſculptam invenies, & vir teneat dextram ſuam ſupra collum puellæ, & ſiniſtram ſuper pectus, & vir aſpiciat vultum puellæ, & ipſa aſpiciat terram: pone in annulo ferreo tanti ponderis quanti eſt lapis: & mitte ſub lapide linguam upupæ, Mirram, alumen, & de ſanguine hominis quantum lingua avis ponderat. Ferenti annulum nullus inimicus poterit reſiſtere in conſpectu ejus, ſive in bello, ſive alibi: nec latro nec fera nocens poterit intrare domum in qua prædictus lapis fuerit. Et ſi epilepticus aquam biberit in qua lotus fuerit, ſanabitur. Sigilla cum eo ceram rubeam, & pone ad collum canis, & quandiu ibi fuerit, nunquam latrare poterit: ſi quis poſtea dictam ceram tulerit, inter latrones & canes ac inimicos, nullum ab eis damnum accipiet.

Viri barbati habentis longum vultum & cur-

curvata supercilia, sedentis super aratrum inter duos tauros, bajulantem culturam in manu, & in collo ejus sit caput hominis, & caput vulpis, figuram si sculptam in aliquo lapide inveneris: Ad plantationes ac ad omnes culturas valet, ad inveniendum thesauros, & ad bellandum: convertit inimicos in caritatem, ac in multis infirmitatibus valet. Et si quis eum portaverit, fugient serpentes a facie ejus. Epilepticos quoque sanat. Et si infans eum portaverit ad collum, timorem ab eo expellit, ac vexationem malorum spirituum, & si eger portabit, sanitatem recuperat, ut majorem virtutem habeat, debet poni in annulo ferreo in duplici pondere ad lapidem.

Aquilæ stantis figuram, si in Ethice sculptam invenies, & in annulo plumbeo pones, gerens eum erit acceptus ac amatus ab hominibus, & animalia obedient ei: & si in eo sculptus fuerit piscis, & portans eum vadat ad piscandum, multos capiet pisces.

Viri tenentis in manu mutationem, figuram si sculptam in euchilo invenies, pone in quovis annullo. Gerens erit timoratus ac veneratus, & dominationes ac principes eum honorabunt.

Arietis & semileonis figuram, si in aliquo precioso lapide sculptam invenies, & in argenteo annulo ligaveris: si cum eo

discordes tetigeris, statim in concordiam venient.

Equi alati qui Pegasus dicitur, figuram si in aliquo lapide sculptam invenies, optimus est militantibus, & in campestri bello dat audaciam, ac velocitatem bellantibus: & dicitur liberare equos ferentes hunc lapidem ab infirmitatibus futuris.

Ursi ac serpentis circundantis ursum figuram si in aliquo lapide sculptam invenies, astutum ac in proposito permanentem efficit.

Herculis figuram tenentis in dextra clavam interficientis leonem, seu aliud monstrum, si in aliquo lapide sculptam invenies: scias dare victoriam gerenti in campestri bello.

Arboris, vel vitis, vel spicæ figuram si in aliquo lapide sculptam invenies, gerentem in victu ac vestitu abundare facit: & principes sibi benivolos ac placatos efficit.

Mars armatus, vel Virgo stolata cum circumflexa veste, tenens in manu laurum, si in jaspide inventus fuerit, potentem gestantem efficit ad omnia perficiendum, & a morte violenta ac submersione aquæ liberabitur, & a casibus adversis.

Martis figura si inventa fuerit, quæ est militis cum lancea, in aliquo lapide, audacem, animosum ac bellatorem invictum gestantem reddit.

Jovis figura quæ fit in forma hominis,

& arietinum habeat caput, in quocunque lapide fuerit gerentem efficit amabilem ab omni creatura, & cito obtinebit quicquid petierit.

Capricorni signum sculptum in cornelio, aut in aliquo alio lapide, in annulo argenteo ponas ac tecum porta: Nec in persona, nec in ære ab inimicis læsus eris. Nec judex contra te sententiam injustam feret. In negotiatione ac honore abundabis, & amicitiam multorum acquires, ac omnes fascinationes quæ contra te factæ erunt, destruentur: & in prælio nullus inimicus quantum cunque fortis fuerit, tibi resistere poterit.

Sigilla seu imagines Hermetis.

Cap. XVIII.

Hermes in libello quadripartiti quindecim narrat imagines: quia possibile est ipsas invenire, de ipsis mentionem facio.

Capitis hominis cum longa barba ac parum sanguinis circa collum, si in adamante reperiatur imago sculpta, scias ad victoriam ac audaciam conferre: & corpus ab illæsionibus præservare. Valetque ad impetrandum gratiam a regibus ac principibus.

Virgo, ut puella, vel lampas, in cristallo sculpta si inventa erit, scias virtutem habere custodiendi oculorum lumen.

Hominis litigantis figuram si in rubino sculptam invenies, ad honores, ac divitias confert.

Hominis volentis in instrumentis ludere similitudo in Saphiro si sculpta erit, hominem exaltat, ac gratiosum omnibus reddit.

Canis leporini figuram in berillo sculptam, scias valere ad maximos honores & famam ac benivolentiam acquirendam.

Galli imago vel trium puellarum si in Achate reperiatur: hominem gratiosum apud homines efficit, & in aeris spiritibus dat potentiam, & in magica arte valet.

Leonis vel murilagæ figura si in granato sculpta erit, divitias ac honores præbet, cor lætificat, & tristitiam expellit.

Cervi aut colubri imago si in onychino sculpta erit, scias gestanti animositatem præbere, Dæmones fugare, ac constringere & congregare: nocivosque ventos compescere.

Hominis figura in similitudine mercatoris portantis merces ad vendendum: Aut hominis sedentis sub centurione si in smaragdo reperiatur: divitias dat, victoremque reddit, & ab angustia ac a malo sublevat.

Tauri seu vituli imago si in magnete reperiatur, secum portans secure pergere poterit

terit in omnia loca absque molestia : valet etiam contra omnes incantationes, & fictitia, ad commovendas de loco uno ad alium locum.

Equi aut lupi figura si in jaspide reperiatur, febres fugat, & sanguinem stringit.

Hominis figura sublimati aut coronati si in topatio figurata erit, gestantem efficit bonum, morigeratum, ac dilectum coram hominibus, honores ac dignitates præbet.

Hominis armati cum ense in manu, si in Sardio, sive Ametisto sculpta reperiatur imago, gerenti acquirere facit bonam ac perfectam memoriam, ac sapientem reddit.

Cerui seu hirci figura si in calcedonio reperiatur sculpta, erit in virtute augendi divitias, si in capsa pecuniarum conserveatur.

Sigilla seu imagines reperta hinc inde a diversis doctoribus, quæ sigilla hic apposui, & si plures reperiantur hic addere poteritis.

Cap. XIX.

Cervi seu leporis imago in jaspide cum cane, seu sit canis solus impressus: Talis lapis potentiam habet lunaticos, melancolicos ac freneticos sedandi, & illos qui in nocte hinc inde vagantur.

Leporis imaginem in jaſpide quæ non ſit ſecundum formam ſigni cœleſtis, ſi tecum portaveris, ab ullo dæmone ſeu ſpiritu lædi non poteris.

Locuſta marina in berillo ſculpta rixas conciliat, ac matrimonium in amore conjungit.

Imperatoris imaginem habentem caput erectum in lapide ſculptam ſi quis ſecum portaverit, diligetur ab omni creatura, & ſi quid ab aliquo petierit obtinebit.

Virgo ſtolata cum veſte profuſa ſculpta in jaſpide, tenenſque laurum in manu, geſtantem potentem reddit, ac facile ab omnibus impetrantem, nec in aqua ſubmergetur.

Hominis armati, ſeu virginis tenentis in manu laurum cum veſte circumflexa ac ſtolata figura, gerentem ab adverſis caſibus liberat, & maxime a ſubmerſione: dico ſi in ſaphyro ſculpta fuerit.

Hominis cum enſe in manu imago geſtantem victorioſum in bellis reddit.

Hominis armati in equo cum lancea, figura ſi in ſmirillo ſculpta erit, geſtantem victorioſum in campeſtri bello reddet.

Nocticoracis figura, cum avis ſit Palladis, ſi in lapide qui ad ſcientiam facit, ſculpta erit, hominem facit ſcientificum ac eloquentem.

Pavonis imago ſculpta in decenti lapide

ad

ad divitias, virtutem habet reddere geſtantem divitem.

Mars armatus in ſaphiro geſtatus ſubmerſionem aquæ prohibet.

Hominis figura interficientis leonem, aut beſtiam cum gladio, aſtutum, potentem, victorioſum, ac amabilem geſtantem reddit.

Mulieris figura ſedentis cum corona in ſolio, ac flexis manibus, alacrem geſtantem reddit.

Venatoris aut cerui ſeu leporis figura ſculpta in jaſpide, vim habet vexatum a ſpiritibus, ſeu freneticum liberare.

Hominis tenentis laurum ſeu palmam in manu dextra imago, portantem efficit cauſarum ac præliorum victorem, amabilem, ac potentem in regione ſua efficit.

Hominis alati figura habentis ſub pedibus ſerpentem, ac tenentis caput ejus in manibus, divitem, prudentem, & amabilem ab omnibus geſtantem efficit.

Hominis figuram cum hircino capite loco ſui ſcias ad acquirendam gratiam ac divitias valere.

Formicæ trahentis ſpicam ſeu granum in aliquo lapide ſculpta imago ad divitias acquirendas valet.

Galli figura tenentis in roſtro coronam ſeu zonam in duello, victoriam dat, & maxime ſi in gallinaceo fuerit.

Falconis seu asturis figura sculpta in cornelio, gestantem victoriosum reddit, ac agilem in agendis rebus.

Aquilæ figura in Kabrate sculpta, seu in Christallo, gestantem divitem, victoriosum, ac eloquentem reddit.

Equus alatus si integer in aliquo lapide erit sculptus, & maxime in Achate, hominem in bello victoriosum, ac providum in omnibus agendis rebus reddit.

FINIS.



SYM-

SYMPATHIA SEPTEM METALLORUM, AC SEPTEM SELECTORUM LAPIDUM ad PLANETAS.

Doct. PETRI ARLENSIS, De Scudalupis, Hierosolymitani Presbyteri.

Præmium.

Cum superioribus tribus Libras satis curiositati sit indultum, & de modo quo lapides seu gemmæ in terræ visceribus procreantur, nutriuntur, & indurantur: de virtute & substantia eorum: tandem ad sculpturæ methodum ex Astrologiæ principiis perpauca sint sparsim spatiata & disserta, quæ potius tacta & mota, quam demonstrata & producta; Non ut Author in omni Philosophiæ genere versatus aliqua ex ignorantia reliquisse dicatur, sed tempori & occasioni deserviens, posterisque ansam

ansam relinquens, ut quæ investigatu digna censeantur, pro eorum libitu & hutu aliis demonstrent. Sunt in hujusmodi lapidum & gemmarum genere multa investigatione dignissima, & curiosis apta adeo, ut si ad eorum cognitionem saltem per particulam aliquam devenire potuissent, procul dubio Magiæ naturalis ostium, nobis occultatum & clausum, non apertum tantum, sed dilatatum & notissimum extaret. Quæ virtutes, quæ proprietates, quorum occultæ causæ in lapidibus non insunt; quæ in illis non sunt clausæ rationes & effectus; In coloribus, in formis, in transparentiis, in claritate, in opacitate, in duritie, in splendore, in accidentibus denique multis? Quid de Opalo? ut de aliis prope infinitis taceam? satis enim abunde & diffusius ab Authoribus multis de illorum essentiis & qualitatibus per libros varios fuit disputatum, ab Alberto Magno, a Plinio, a Marsilio Ficino, a Hironymo Cardano, ab Agrippa, a Petro Messina, ab Auctore nostro, & ultimo loco anno elapso ab Anselmo Bossio Tractatus copiosissimus, doctissimusque editus fuit. Aliqua de Opalo, pauca ex summo mei in talem lapidem (nescio si potius gemma) affectu inferam, cum tam admirabili virtute sit præditus, ut nescio quid divinum in illo reluceat & micet: Naturam in illius productione omne suum posse exercuisse credibile tenetur, tam cla-

ra,

rá, tam nobili forma & pulchritudine est honoratus, ornatusque, ut omnes vires extendisse, & suam potentiam in opere tali demonstrasse videatur. Quilibet, licet ignarus, statim ac oculos ad contemplandum injecit, anhelat, cupit, loquitur, interrogat, tandem impatiens ad laudes illius canendas prorumpit, & forte nesciens loquitur, tantum ab interno afflatus numine. Merito alios lapides ad se trahere fabulose de illo prædicatur, cum hominum corda violenter, virtute quadam occulta ad se trahat. De lapide Pentaura in Apollonii Thianæi vita talia somniantur, sed similitudo Opali ad Pentauram unde devenerit, adhuc est incognitum, cum Opalus sit per se notus, & Pentauram adhuc nullus confiteatur se vidisse. De Opalo merito allegorice alios lapides trahere dicunt: nam cum omnes fere aliorum lapidum colores in illo apareant, virtutes quoque possidere censetur. Nam lapides a colore distinguuntur, qui tantum septem numerantur, Albus, Flavus, Rubeus, Viridis, Cæruleus, Vinosus, & Niger, qui omnes ad septem Planetas referri possunt, Albedo ad Lunam, Flavedo ad Solem, Rubedo ad Martem, Viriditas ad Mercurium, Cæruleus color ad Iovem, Vinositas ad Venerem, & Nigredo ad Saturnum. Nam Lunæ Albedo ex Christallo inest, Flavedo Soli ex auro, Rubedo Marti ex tinctura a ferro proveniente: Viridi-

riditas, ad Mercurium ex mixtione duorum colorum devenit, seu etiam ex argento vivo quod in viriditatem resultat, dum ad generationem disponitur: Cæruleus color ad Iovem ex qualitate æris & stanni, quæ præparata ad lapides conficiendos cæruleitatem acquirunt: Vinositas ad Venerem, quia rubedo illa mista sanguine ad Ametistum pertinet, qui lapis Veneri dicatus exstat: Nigredo merito ad Saturnum ex terrestri opacitate illi propria. Ab his septem coloribus alii misti colores deveniunt, puta subflavi, subrubei, subalbi, ferruginei, pallidi, & alii multi, ut in quolibet lapide apparet, & aliquando misti visuntur. Si igitur color dat distinctionem lapidibus, colorem ergo dare lapidibus esse, fatendum erit: Si colores varii in Opalo dant illi esse omnium lapidum, necessario & virtutes ac proprietates. Quapropter si de illius particulari virtute investigationem facere volumus, illam solam quæramus, quæ diffusiva in omnes lapides reperitur. In Opalo septem illi colores quasi mire conspiciuntur, nec tamen omnes alii misti colores adsunt: sed cum ab illis septem cæteri oriantur, eminenter omnes mistos continere dicimus, & ideo omnes virtutes, proprietates, & qualitates, non totaliter tamen, & absolute in ipso censendæ sunt. Rubini, seu Carbunculi rubedo, viriditas Smaragdi, Flavedo Jacinthi,

cinthi, Cæruleitas Saphiri, Vinositas Ametisti, Claritas Adamantis, & Albedo Unionum seu Perlarum. Isti colores apertissime in perfecto Opalo videntur. Modo infero, si per colores lapides noscuntur, & distinguuntur, accidentia illorum essentiam dabunt, quod cum sit absurdissimum, negandum venit: nam nullum accidens est prius sua substantia. Dicendum ergo colores non esse de essentia virtuali & qualitativa lapidum, sed de compositione humidi & terrei, ut in Tractatu præcedenti ab Authore nostro diffusius fuit disputatum. Opalus vero cum tot tantisque coloribus rutilare videatur, virtutibus aliquibus occultis & manifestis præditum esse credendum est, non ut colores illi efficaciam aliquam illi præstent, sed præeminentiam donant, & virtutes, proprietatesque signant, & demonstrant, ut illius lapidis proprietas cujus color apparet, virtutem etiam illius inesse significet: Rubedo namque Rubini sive Carbunculi, ibi eorum virtutes denotat, & operando effectus producere, sic de aliis coloribus qui in aliis lapidibus conspiciuntur. De mistis affirmare non auderem, nam cum in Opalo mistio appareat, est tamen mistio adeo distincta & perspicua, ut nulla distinctione distinctior. In Jaspide multorum colorum collectio videtur, tamen confuse: ideo proprietatem istius lapidis in Opalo non credo

credo inveniri, cum experientia id nunquam demonstraverit. Sic de aliis mistis idem affirmandum censeo.

Colores varii in Opolo ad visionis oblectamentum conferre multum valent, imo ad corda & interiora alteranda efficaciam maximam præstant, & mirantium oculos summopere oblectant. Unus præ aliis ad meas pervenit manus, in quo tanta pulcritudo, decor, & venustas elucebat, ut vere lapides omnes ad se vi trahere gloriari posset, cum aspicientium corda indefiexe, & indesinenter everteret, deverteret, ac alligaret: Grossitie unius avellanæ ab Aquilæ aureæ miro elaboratæ artificio unguib. strictus erat, coloresque tam vividos & varios habebat, ut tota cæli pulcritudo in illo conspiceretur: Decor ex illo exibat, Majestas ex fulgore prope divino erumpebat. Radios tam claros & graves emittebat, ut aspicientibus terrorem incuterent. Quid plura? virtutes & proprietates a natura sibi insitas deferenti concedebat: nam corda aspicientium invisibili jaculo jaculabatur, oculos cæcutiebat: pectora licet animosissima fortissimaque concutiebat, totum denique astantis corpus terrore replebat: ad amandum, honorandum & colendum fatali quadam coactione impellebat. Vidi, expertus, & coram Deo testificor, vere talis lapis summo & inæstimabili pretio æstimandus erat.

Non

Non omnes Opali talibus sunt præditi qualitatibus, & prope divinis virtutibus, cum una altera melior species reperiatur, qui non nisi in aspiciendo alia pollent virtute, neque optimos verosque emittunt colores. Perfectissimi tenentur qui omnino diaphani existunt, absque ulla opacitate, & veram iridem imitari elegantissimè conspiciuntur. In ista namque specie omnes supra numeratæ virtutes & proprietates adesse censentur, & Indi dicuntur. Sunt etiam alii multi in aliis mundi finibus innati, coloribus onusti, sed non perspicuis & distinctis, ideoque parui valoris & nullius virtutis. Orientales cæteris præstant, ideo magno tenentur precio. Si talem Opalum aliquis possidere cupit, ad veram illorum speciem ut accedat oportet, & omni jocunditate cum saturitate replebitur, & non tantum a supra numeratis lætitiam accipiet, sed in aliquibus infirmitatibus juvamen sentiet, & ad cordis hilaritatem tuendam, & conferendam, & locorum contagia, ad melancholiam ad omnes denique malos corporum affectus adjuvari poterit. Unum refero, quod Venetiis cuidam amico meo contigit: Tali oculorum rubedine adeo cruciabatur, ut nullo linimento, nulla refrigeratione levamen sentiret, ex tactu tandem veri Opali singulis diebus per tres hebdomadas ita sanus evasit, ut non tantum perfectam & pristinam sanitatem recuperaverit, sed visum valde

corroboratum & fortificatum acquiſiverit: Nam ex tactu & viſione illorum colorum oculi recreati & hilares effecti per virtutem intrinſecam, & propriam qualitatem lapidis, ad internam oculorum virtutem per neruorum opticorum foramina & meatus ita penetrarunt, & humores illos lucem præbentes ita roborarunt & vivificarunt, ut nova virtute acquiſita, calorem ex nimia cerebri humiditate in ſalſedinem defluentem expulſerint, & viſum acutiorem reddiderint.

Hic igitur lapis ab omnibus qui deferre voluerint, talis eligatur, ut ad perfectionem accedens, virtutes ejus ſentire & frui valeant, & in ſeipſis ſemper experiantur.

Cæterum quæ de Lapidibus & Gemmis longa ſerie ab aliis multis Authoribus ſcripta & teſtata fuerunt, nobis referre non licet, tantum quæ ad Aſtrologiæ & naturalis Magiæ uſum ſpectant, pauca in ſequenti Tractatu, poſteris monumentum relinquimus, ut voluntati potius quam oſtentationi deſerviamus. Conabor tamen omnimode ſic adnotare, ut quæ via lata omnibus patere debent, non omnino ſilentio involuam, ſed ſilentio verbis pleno reſignem. Quæ ſcitu digna cenſentur, omni amoto ſilentio & ambage, libere perſcribam, non ut curioſos paſcam, ſed ut doctis morem geram. In hoc imprimis obnixe incumbam; illi iſtis gratias agunt, & illos & iſtos, me excuſatum ut habeant, rogo. Nam

li-

liquor, quem possidet vas, profertur, non equidem pretiosus multum, non rarus, non ex quisitus tandem: qui potest & valet, judicet: qui nescit & ignorat, sileat: audiat, & doctoribus credat.

De septem lapidibus Planetariis.

Cap. I.

Multos Authores de Lapidibus & Gemmis scripsisse & multos alios de Metallis idem fecisse reperio perpaucos tamen de illorum particulari denominatione rationem reddentes vidi: non enim casu aut voluntarie nomina Metallis a Planetis imposita fuisse credibile erit. Quæ ab Authore nostro in 1. Tractatu de Lapidibus & Gemmis dicta tam in particulari quam in universali, tam in sculptura quam in plano, ad Astrologicas observationes etiam accommodari possunt, ut æquali gradu & pondere inter utrumque æquiponderare videantur. Nam ex omnibus tam lapidibus quam metallis ad septem Erraticas spectare & nominari conspiciuntur. Septem igitur lapides seu gemmæ ab Astrologiæ studiosis, ad illam investigandam sapienter ut reor, selectæ fuerunt. Balemis Arabs in suo Tractatu Astrologico, libro 2. c. 8. differens quonam pacto Astra vim activam in subterraneis etiam influere valent, conatur probare Metalla & Lapides non posse vegetare, nisi vis fluxiva, (Seilen proprio vocabulo) a peculiari Pla-

neta sit illis tributa & concessa. Ideo septem selectissimi tantum lapides, & septem illa metalla tribuenda esse Planetis asserit, & sympathiam inter eos esse, adeo ut simul positis, & omnibus bene observatis effectus mirabiles producere valent. Nos illorum vanitatem illudentes, qui necessitatem in productionibus tenent, demonstrabimus ab Astris aliquam vim coactivam nullo pacto neque in vegetabilibus, neque in quibusvis sensibilibus devenire posse. Tamen ad placitum Balemis summi equidem Philosophi, de septem Lapidibus, & de septem Metallis aliqua demonstrabimus. Posteris contradicendi, illudendi, & veritatem prægnoscendi ansam damus. Nihilominus Arabicam doctrinam summopere laudantes, quid sentiant adnotabimus. Via tamen ordinaria & Aristotelica ab elementis tanquam ab universalissimis principiis omnia annectemus, & suo loco brevissime elucidabimus quomodo unum ab alio dependeat, & quæ Sympathia inter ea existat Physice demonstrabimus.

Lapides igitur Planetarii juxta Balemis sententiam sunt, Turchesia, Corneolus, Smaragdus, Saphirus, Ametistus, Magnes, & Chrystallus. Adamantem quoque esse Solarem autumat. Septem igitur Lapides istos, & Gemmas septem præcipuis Corporibus cælestibus convenire asserit. Saturno nempe Turchesiam, Jovi Corneolum,

Mar-

Marti Smaragdum, Soli Saphirum (Adamantem quoque) Veneri Ametistum, Mercurio Magnetem, & Lunæ Christallum. Rationes adductas ab illo, tanquam superstitiosas non referemus: sed demonstratione Physica id facere conabor.

Similiter de septem Metallis nomina Planetarum possidentibus idem ipsemet Author testatur, & conatur probare cuique Metallo proprium & productivum Planetam convenire, non ratione qualitatis, sed productionis, acsi natura productrix extraneis mediis indigere conspiciatur, quasi qualitas & essentia per unionem utrique conveniat. Saturnum dare Plumbum, Iovem Stannum, Martem Ferrum sive Chalibem, Solem Aurum, Venerem Cuprum, Mercurium vivum Argentum, & Lunam Argentum, & easdem qualitates essentiales illis inesse, absolute defendit, cum non Metalla ex nominibus antiquitus impositis existant. Et tali præditus doctrina annulos fabricandos esse asserit, talibus constitutis actionibus & observationibus, ut aliquos effectus supranaturales producere possint. Finis sapientiæ Arabicæ ad res impias tendit, cum ex Metallis & Lapidibus quicquam supra vires Naturæ minime possit provenire. Tabellam annulorum inferemus, ut trina illa antiquissima Sympathia videatur, cum in sequentibus illam quomodolibet via naturali elicere conabimur.


TVRCHESIA.
PLVMBVM
CORNEOLVS.
STAGNVM.
SMARAGDVS.
FERRVM.
ADAMAS
VEL SAPHIRVS
AVRVM
AMATISTA
CVPRVM.
CRISTALLVS
ARGENTVM.
MAGNES.
VIVVM ARGENTVM.

De septem Lapidibus eligendis.

Cap. II.

Supradictus Author Arabs volens omnimode Astrologiam Magiæ accommodare, differens de electione supradictorum Lapidum & Gemmarum, illos certo loco & tempore eligendos esse consulit: nempe dum Planeta Metallo sive Gemmæ peculiaris sit in certo aspectu, & ascendenti conjunctus, & aliis vanitatibus apparentia quædam connectens, dicit tempori & loco parendum esse, locus nempe sub dio, in remotiori, & similia vana & ridicula, ac si virtus alicujus agentis intensive esset in aliena virtute, & extensive in unione utrorumque. Hi vero tali observatione non tantum Magica, vana, & superstitiosa, sed puerili & ridicula, rejecta, tantum naturaliter agentes lapides sic eligendi sunt, ut in sua specie perfectissimi existant, ut si quæ in illis virtutes existant, libere & sine impedimento exerceri & demonstrari valeant. Lapides naturales aliquas virtutes possidere non negamus, sed supra naturales, aut conjunctas alicui supposito, majorem vim & posse habere, adeo absurdum apparet, ut demonstratione nulla indigeat. Arabes licet in tali genere ex eorum antiquitate alicujus doctrinæ & valoris apud peritos existant, in tali tamen opinione ex summa illorum ad Astra potestate credentes, in errores plurimos immersos esse fatemur. La-

pides igitur ſi ad aliquam naturalem operationem eligere deſideramus, eo modo eligantur, prout Ars ex illorum perfectione demonſtrat. Quod ſi tantum illi ſeptem Aſtrologici deſiderantur, illos non propterea majores virtutes poſſidere citra naturales firmiter tenendum eſt, & ſi cum Metallo & Planeta fuerint conjunctæ, ſimiliter non poſſe alterari in eorum eſſentiis, ſed tantum ex miſtione aliarum cauſarum: virtutes nempe unitæ ad invicem mutuo ſe corroborant, adeo ut quæ metallo ineſt, lapidibus communicetur, & pari modo quæ in lapide, cum metallo juxta ſuum poſſe participet: ambo vero ad qualitatem illius Planetæ reducuntur, ut ſuo loco manifeſtabitur.

Primo igitur, cognitis accidentibus propriam perfectionem lapidis impedientibus, ſi quæ ſunt in lapide, rejiciantur, & omni labe carens perfectiſſime in ſuo genere habetur, & pari via de Regionibus in quibus nobiliores inveniuntur. Turcheſiam primo etſi Saturno dicatam eſſe perhibent, non plus tamen illi quam aliis Planetis affirmarem: ſolummodo ſympathia aliqua iſtius lapidis & aliorum cum Planetis non abſolute negari poteſt, ſi phyſicis rationibus ad comprobandum utamur. Quæ vero & qualia ſunt, quando de peculiari ſympathia tractaturi ſumus diffuſius demonſtrabitur. Illa igitur bona & perfecta

fecta est quæ magis ad suum denominativum colorem tendit, ad cæruleum nempe cum albedine aliqua crocea, licet minima, sine interceptione alicujus paruæ lineæ, quia tunc signum erit non habere continuam virtutem ex terreo humore intersecante, & ideo non valide suam virtutem exercere valebit.

Corneolum dicunt esse lapidem Iovi dicatum. Electio ejus sit talis, ut de optimo undequaque eligatur, Orientalis puta. Indi nobiliores & preciosiores omnibus in isto climate existunt. Qui in Italia, aut in quovis alio Europæ loco, illis non æquipollent. Et quamvis Orientales Sardios appellandos esse censent, tamen a Corneolo non distant: credo potius non differre specie, sed accidentibus, puta perfectione & bonitate: nam ex coloribus aggregatis & vigorosioribus differentia agnoscitur. De Corneolo sive Sardio, ex Provincia Babylonis eligendum esse censeo: isti namque colore, qualitate & præstantia cæteris præstant: virtutem maximam tenent, & particularem contra dolores cerebri & nervorum demonstrant. Nitidus, ab omni labe alienus, & lucidus juxta suam qualitatem esse debet, mediam nempe naturam obtinet, puta de semidiaphanis. Colorem meliorem crederem, qui inter rubeum, & putridum sanguinem extat.

Smaragdus Martis lapis. Quæ de isto

lapide Arabes tenent non recensebo, tantum ad perfectam electionem demonstrandam me accingo. Nam cum ad praxim ultimo loco devenietur, vera perfectio in istis septem Lapidibus cognosci poterit. Orientalem de Provincia Maucma perfectissimum esse tenent & de veteri rocca, tales enim a natura omni pulcritudine & amœnitate sunt præditi, & viriditate ita clara ornati, ut prata semper virentia repræsentare videantur. Magnitudine prout haberi possit, nitidus, non glacialis (tales namque gemmæ raro absque glacie inveniuntur, præcise si magnæ existant) & oculis appositus reflexionem mittens, aliorum aciem consolidare & corroborare possit & valeat. Et cum ex se duritie maxima sint præditi, maximas quoque possident qualitates, ex quo merito fortissimo Planetæ dicantur. In ore retentus, caliditati natura resistens, propriam naturalem frigiditatem conservabit, & in hoc suæ perfectionis exemplum ostendet, quod ad solis radios appositus propriam viriditatem conservare valeat, quod in cæteris gemmis haud eveniet.

Saphirum Soli dicunt dicari, non equidem ut absolute a Sole suas qualitates recipiat, nam ex hoc omnes Lapides solares dicerentur, cum, etsi a Sole non totalem & absolutam vim & virtutem recipiant, tamen aliquas per concomitantiam ab illo

possi-

possident: non enim virtutem generativam omnino a Sole excludimus. Nam cum Sol non absolute in productione Mineralium & Lapidum agat, sed mediantibus concurrentibus tantum per abstractionem a natura humida, quæ secundaria actio nuncupari quodammodo potest, licet viscositas terræ neque prima absolute dici potest, quemadmodum diffusius a nostro Authore in primo Tractatu ostensum fuit. Saphirus ergo gemma solaris est per proprietatem, non autem per essentiam, ut in sua propria sympathia ostendemus. In electione est advertendum, quod in omni specie sit omni perfectione præditus, & quæ ad suam propriam essentiam pertinere censeatur: Sed cum albi & violacei reperiantur, mares isti, femellæ illi tenentur: ambo tamen in electione boni erunt, si qualitates proprias in sua specie ostendant: accidentia aliqua, licet minima, virtutes illorum impedire valent. Si albus, tali sit præditus albedine, ut non pallescat, sed vivo colore niteat, adeo ut ad Adamantem potius tendat, quam ad Christallum. Si vero violaceus, talem colorem possidere debet, quod non adeo sit colore onustus, ut transparentiam amittat, & reflexionem imaginum repræsentare non valeat, sed colore vere violaceo contineat, claro, vivido, & læto. Orientales perfectissimi sunt, & particulari Provincia optima-

matum tenet Pegum: isti ad eorum virtutes exercendas ab omnibus perfectissimi habiti sunt. Quonam pacto, & quam sympathiam ad Solem habeat, & quomodo in Adamantem vertatur, & cur Adamas etiam Soli dicatur, rationes ad comprobandum suo loco demonstrabimus.

Ametistus Lapis ad Venerem spectare tenetur. Quomodo in illo aliqua perfectio inveniatur, & quonam pacto eligatur, breviter dicetur, rejectis opinionibus Magicis, cum virtus in lapidibus citra ordinem Naturæ nulla consistat, & supra ordinem nihil valeat. Nam si a Natura aliquid in rebus non fuisset insitum, quid valeret opus artis? In ente naturali addidisse ne minimum quidem nullus adhuc jactatus est, etsi multa incepisse visus sit. Ametistus lapis est perjucundus, & pulcher aspectu, persimilis multum Saphiro violaceo: attamen in cæruleo aliqua rubedo conspicitur. Orientales sunt ex se omni perfectione dotati, & adeo duri, ut Adamantibus æquipolleant, & ad illorum splendorem converti possint, prout in illius sympathia ad Venerem demonstrabimus. In electione observandum erit, ne maculæ, aut accidentia insint, quia maximi impedimenti essent, præcipue cum Veneri sit dicatus, quæ ad qualitates proprias perfectione omnimoda indigeat. Habet maximas virtutes, & proprietates amicabiliter a natura sibi concessas.

De

De magnete eligendo Arabes repetamus, qui in tali lapide virtutes & proprietates supernaturales credunt, quod si verum esset, forsitan nemo immortalis, quæ naturaliter possidet & experientia ipsa comprobavit credenda: quæ adhuc non apparuerunt, rejicienda: videntes & experientes enarrent, & demonstrent. Ex his aliquas suo loco recitabimus, & quanam via, & qua potentia suam demonstret virtutem, an via naturali, an virtute occulta, an per Sympathiam, conabor ostendere; & versa falsis connectendo, bonum in electione eligatur, malum in rejectione expellatur. Magnes an lapis sit, an metallum adhuc lis extat. Si metallum, profecto fusionem pateretur. Pro nunc sufficit nobis, ut lapis Mercurio dicatus extet, & ex variis illius actionibus & experimentis continue apparentibus merito Mercurio Planetæ conceditur, qui etiam ex sua natura similes joculatorias actiones demonstrare audet. Etsi virtus & proprietas in Magnete non ab Astris, neque a Planeta, sed a proprio & individuali principio recipitur, nihilominus in Physicis sympathiam non negamus, cum sympathia sit concursus causarum physicarum effectum ad invicem producentium. Cur ferrum trahat, cur propriam virtutem trahendi aliis communicet & concedat, cur denique tempus, horas, & loca demonstret, dicant alii;

Quod si vera, & non voluntaria dixerint, erunt in virtute magni Apollines. Quonam pacto, cum sit corpus porosum, (ut multi somniant) poros implere desiderans (a proprio principio coactus) ad se ferrum trahere nititur, ut quæ in se vacua extant, aliena operatione impleantur: & ideo ferrum per naturalem sympathiam attrahit, ut illius qualitatibus imbuat: quæ opinio quantum valida sit, in sequentibus apparebit. Si poros vacuos implere anhelat, cur potius ferrum, quam cætera corpora attrahit? dices, per sympathiam ad ferrum. Quænam sympathia dici debet? nam sympathia est ad utrumque, talis quæ in Magnete, talis & in ferro: si Magnes ferrum trahit, ergo ferrum id facere in Magnete debet, attrahere nempe Magnetem, ut multi tenent, & per consequens, ex primo assumpto corpus ferreum erit porosum. Si dices, virtus major attrahit minorem, in Magnete extat major virtus, & plures continet poros, ferreum vero non tantam continet virtutem neque tot poros: non deberet ergo ex altera parte illum expellere, nam si desiderat ferrum ut pabulum, idem desiderium est in una parte quam in altera, cum omnes partes sint homogeneæ, & porosæ. Quod si expulsio illa non ex Magnete, sed ex plaga devenit, eadem difficultas remanet: non ergo virtus in Magnete, & sympathia in illis negatur, & attra-

tractio Magnetis a ferro non comprobatur: Nam si Magnes ut metallum habeatur, & ferrum traheret, omnia ergo metalla ferrum traherent, tamen experientia contrarium apparet, nullum vidimus unquam metallum ferrum attrahere, neque a ferro attrahi. Si per similitudinem, quæ major similitudo ferri & æris, quam ut unum in alterum facillime convertatur? tamen nunquam unum eorum alterum attraxit. Si ferrum Magnes per se traheret, hæc virtus semper & ubique illi deberetur, sed experientia comprobat contrarium: nam Magnes senio confectus, vel malleo percussus, amittit virtutem trahendi (dummodo per artem denuo non acquirat.) Habeatur ergo de tali Magnete, & ferro demonstretur, videbitur non attrahere neque attrahi, licet perminima particula ferro approximetur. Quod opinantium errorem, nempe attractionem ab invicem fieri, reprobat. Nam virtus in ferro remaneret, licet Magnetis virtus per senectutem & percussionem abolita esset, Probatur idem experientia ferri a Magnete imbuti, quod aliud ferrum traheret. Imbuas ergo ferrum Magnete, & cognosces si vim attrahendi recipiet. Quod si possideret, non indigeret exteris, nam quod intus existit, non indiget similibus: potius ex intimo consensu ab essentiæ similitudine ad invicem habente relationem proficisci

cisci potest: quæ etsi ignota apparet, intime tamen investigans, aliquid scientiæ percipere possit, licet natura potius admirari quam percipi ambit. Magnes vero habet virtutem communicativam non solum per contactum, sed per diffusionem, quia etsi ferrum Magnetem non tangat, dummodo consistat in justa proportione illius virtutis, recipit qualitatem attrahendi, & mundi plagas ostendendi, quod de ferro prædicari non potest. Credo tamen quod Magnes Magnetem traheret, si in eo essent aliquæ partes ferri: aliter non posse trahere absolute dicerem. Verum opinio talis non satis tuta, neque alia, quæ Septentrionem tantum indicare perhibet, cum experientia constet, non magis unam ex quatuor mundi partibus, quam omnes quatuor indicare, & non minorem vim habere in una parte quam in alia, quomodo id fiat experientia te docebit. Nam si acus ferrea attrita leviter a Magnete in parte Septentrionali in massa existente, Septentrionem petet, eadem virtus erit in cæteris mundi Cardinibus, dum modo simili via acum tractaveris. Qua igitur ratione potius ad Septentrionem aut Meridiem, quam ad Occasum aut Ortum id faceret, quis judicabit? Constat tamen non mutari ultra æquatorem, & si mutatio appareat, tam parva videbitur, ut pro nihilo prorsus judicanda sit.

De

De miraculis a Magnete derivatis loqui pudet, cum ex tot tantisque Authoribus in omni genere doctrinarum versatis & absolutissimis Principibus constet non tantam praxim in Magnete reperiri, quanta ex Theoria prædicatur. Sunt equidem multa quæ solum ex illa vi attrahendi apparent, & dum variis diversisque modis fuit expertum, varia & mira de illo prædicantur. Modo namque partem ferri imbuti attrahit, modo idem ferrum expellit, modo majorem, modo minorem quantitatem, modo in abscondito, modo in aperto, modo una via, modo altera: quæ omnia ab efficacia majori & minori in lapide existente devenire fatendum est. Nam cum re vera virtus attrahendi in Magnete, a natura sit illi insita, certum erit, talem virtutem & essentiam illi semper & ubique inesse. Sed cum in omni genere datur magis, & minus, virtus & proprietas in qualibet re per modum recipientis extare dicitur, talis proprietas in Magnete non infunditur ad instans, sed introductio fit in tempore, tempus operatur per modum dispositionis: ideo dum virtus illa attrahendi introducitur in lapide, forsitan lapis ille non est adeo dispositus in una parte quam in altera, vel ex superfluitate, vel ex defectu materiæ, quæ omnia negant & impediunt perfectam introductionem, quemadmodum in quavis alia productio-

ne idem dici poteſt. Alia vero partinaſſæ, ſive materiæ, erit ſic diſpoſita, ut introductio non ſolum perfectionetur, ſed excedat & augeatur: & ſic videtur ſæpe ſæpius in una eademque maſſa plus perfectionis in una parte quam in alia ineſſe. Magnetem certiſſimum eſt attrahere, & expellere: attrahit ab Auſtrali plaga, expellit a Boreali, & talis virtus nullo medio poteſt impediri: attrahit enim medio vitri, ligni, & cæterorum, ut in pixide Nautica apparet, ſed de perfectiſſimo hæc experimenta videntur, nam de communi, & non optime ad receptionem virtutis diſpoſito, nullum eorum apparet. In Italia ad Albam inſulam Hetruriæ, perfectiſſimus invenitur, colore ſubrufo a parte exteriore, ſi vero frangatur intus invenitur colore ſubrufo obſcuro. Talis mirum in modum trahit, & maximam efficaciam demonſtrat, ponderoſior Argento, aut ſaltem Argenti inſtar. Tradunt in Montibus Æthiopiæ mineram ineſſe tali præditam qualitate & præſtantia, ut una pars unius unciæ partem ferri duarum librarum attrahat, & omnes partes mundi oſtendat: qui de tali habere poterit, forſitan aliquas operationes adhuc tacitas, ſed nondum inventas experiri poſſit, & præcipue quæ a Joan. Baptiſta Porta meo concive & amico promittuntur, puta de loquutione in diſtantia, quod experimentum ſæpe ſæpius

ten-

tentavi, instrumentaque accommodavi, nec tamen unquam ad finem pervenire potui, licet exactissime totum magisterium peractum fuisset: Ex defectu Magnetis id accidisse fateor. Non potui ex illo absolutissime perfectum recuperare, in quo verum Meridianum conspici potuisset, ut medio reperto ambæ partes æqualem portionem cum simili meridiano possiderent, & ab omni latere omnes mundi plagæ apparerent. Equidem a loco suæ nativitatis, expresse excavari oporteret. Quomodo reliquæ operationes in tali lapide conspiciantur a multis doctissimis Authoribus conscriptæ & coadunatæ, qui videre & legere desiderat, ipsemet Authores consulat. Sunt adeo notæ, ut iterum adnotare, superfluum foret. Aliqua pauca in Sympathia ad suum Planetam suo loco subinferam. Modo de ultimo lapide Planetario aliqua ad electionem demonstrabo.

Cristallum ultimum locum in lapidibus obtinuit, ideo ad Lunam pertinere dicunt: cum ista in ordine Planetarum, ultima sit, sic illud ultimum, & vilius cæteris gemmis æstimatur. Cristallum notissimum per se: nam ubique invenitur. Licet varias species teneat & repræsentet, ad nostram cognitionem tantum illam adaptamus, quæ in hexagonam figuram tendit, & Cristallum de Rocca sive montanum

communiter appellatur. Dicunt esse aquam in glaciem mutatam, & ex summa frigiditate in durissimam glaciem redactam, adeo ut malleum, ignitionem, & artem polimitam per belle sufferre valeat. Huic opinioni obstat turma Philosophantium non solum negantium, verum oppugnantium. Nam, quod extremum per extremitatem aliquam recepit, per oppositam extremitatem redimi valet: si per extremum frigus aqua in glaciem conversa extremum sui acquisivit, per aliud extremum frigiditati oppositum redimi debet, nempe per extremum calorem, puta validi ignis: sed hoc non patet, consequentia derivatur: præter hoc, si Cristallum aqua congelata esset, utique super aquas nataret, & fundum haud peteret, sed experientia docet Cristallum non natare, & fundum petere, erit ergo lapis. Si dixeris acquisisse ac contraxisse salseam naturam vetustate quadam, ideo fundum petere: ergo lapis, nulloque modo glacies, qui omnino diu durare in tali statu non potest, quin non revertatur in suum proprium & naturale principium. Quin & globi conficiuntur, a quibus sole medio ignis elicitur, & partes oppositæ uruntur. Si aqua condensata esset, nunquid ignis ex illa eliceretur? nunquid ex frigido & humido calor & siccitas generantur? elementa ergo inter se non repugnant, sed novum Chaos efficiunt. Cri-

stallum

stallum figuram hexagonam in mucronem desinentem semper repræsentat. Nam cum materia terrestris & supernaturalis separatur ab aquea, nititur in omni parte se simul unire, & quasi lineæ a centro ductæ circumferentiam petere videntur, & quia partes oppositas inveniunt, circulum perfectum minime complent, sed a lineis ductæ in exagonam figuram, circulum aliquando perfectum ducunt, dum ab oppositis non inficiuntur partibus. Rejecta opinione, ad perfectionem illius inveniendam properamus.

Cristallum verum & essentiale proprium est videri quod in exagonam figuram terminatur, & nullo prorsus imbutum est colore, sed vere aqueo diafano, transparens, clarum, & nitidum videbitur & conspicietur. In Bœmia sunt lapides qui & Cristallini dicuntur, tamen sunt colore onusti, obscuri, & in mollitie vento similes.

Eligatur igitur tali diaphanitate præditum, ut nihil prorsus in illo appareat: experientia præbebit demonstratione viam. Accipias Cristallum peroptime & perbelle nitidum, & arte polimita peroptime attractatum, clarum & transparens, habeas de hinc aquam similiter clarissimam & jucundam, ponas in vase fictili albo, vel melius in vase Cristalino, aut vitreo pulcherrimo, desine aquam residere & quiescere, ponas intus Cristallum jam præparatum, & con-

ſpicies: ſi peroptimum erit, nullæ prorſus apparebunt in aqua ſpecies Criſtalli, ſed confuſe cum aqua, miraberis utrimque diaphanitatem: ſin vero non perfectum erit, vel non adeo nitidum, ſpecies Criſtalli apertiſſime apparebunt.

De hujusmodi materia multæ operationes confici poſſunt, & variæ, quæ ob ſui oblectamentum reticeri non debent. Ideo dum ſympathiam quam ad Lunam habet recenſebo, aliquas ex illis jocundiores demonſtrabo, & quanam via mediante Lunæ claritate, litteras & epiſtolas a longinquo legere, & aliis pernoteſcere valeamus. Pro nunc ſufficiat, & huic parti finem imponamus, ut poſt Lapides ad Metalla pergamus.

De Septem Mineralium ſeptem Planetis correſpondentium præparatione.

Cap. III.

Taliter ſub brevitate lapides eligendos eſſe docuimus & demonſtravimus. Satis enim abunde & diffuſius multi Authores peracutiſſimi de hac materia ſcripſerunt. Nunc ad Metallorum cognitionem aliqua curioſa curioſis donamus, quæ etſi futilia apparebunt, non inutilia tamen omnino videbuntur. Licet enim talis materia a peritiſſimis fuit aliquando per inventionem demonſtrata, non tamen per inveſtigationem eruta. Quonam pacto,

cto, quave via Metalla tractanda, & accommodanda erunt, succincte discutietur.

Balemis Arabs in libro superius citato, cap. 10. demonstrans Metalla septem Erraticis convenire, obnixe suas vires intendit, ut probare valeat, Metalla non aliunde nisi a proprio & peculiari Planeta suo denominativo materiam sumere per qualitates illi insitas per similes in Planeta existentes, adeo ut qualitates quæ in quolibet Metallo extant, similes sint illis quas Planeta denominativus tenet: & ex hoc elicit quasdam conclusiones, licet doctas, non tamen omnino currentes, & probabiles, ut (juxta suam opinionem) si Planeta ad Metallum accommodetur, & Metallum præparatum, dispositumque Planetæ copuletur, mira, jucunda & supranaturalia producere conspicietur.

Opinio hæc non currit ambobus pedibus: nam non qualitates ad Planetas, sed Planetæ ad qualitates accommodantur. Metalla, sicut cætera mineralia suum principium non a Planetis absolute cognoscunt, aliter omnia generabilia non unum idemque principium, nempe humidum calidum haberent, prout suo loco inferius apertissime demonstrabitur cum ad particularem confutationem devenietur.

Nos eorum præparationem & selectionem rejecta confucata veram physicam, & experimenta docemus. Nam quæ Ara-

bes docent, potius Magica quam naturalia tenent principia: Magica inquam, suspecta & erronea. Si Magiæ Naturalis adhuc ab illis aliquid cognitionis nobis innotesceret, haud inanis labor, cum ipsi ex tribus compositis unum eliciunt, & illud summe perfectum in suo genere prædicant. Equidem tria in unum collecta, & unum per tria reductum aliquid boni & perfecti parare valerent: secretum in Algebra absconditum, adhuc plurimè notum. Monas in trino, & trias in Monade absque collexione radicis a paucis (nescio a quo) adhuc est cognitum. Quomodo de Planetæ, Metalli, & lapidis unione, aliquida nobis percipi possit, ignoratis veris principiis? Præparationes Metallorum ab Arabibus modo incongruo demonstrantur; nam observationes mutas docent, quæ sine origine existentes nunquam bonum effectum producere valebunt. Præparatio debet fieri (juxta illos) ut particulare Metallum in hora & die suo Planetæ congruum habeatur, quibusdam vanis ceremoniis adhibitis, & superstitionibus, quæ illorum stultitiam apertissime demonstrant, annectentes etiam observationes Astrologicas, ut tali operimento eorum impietas incedat, ut benigno illius syderis aspectu, absque casu & detrimento in exaltatione & mutua receptione, invicem succedentibus bonum vel malum effectum produce-

re

re valeant. Quid Metallum potest ex se? o hominum dementia! o hominum erronea exhibitio!

Metalla ad opus naturale, faciliori via, licet non omnibus nota, accommodari, præparari, & purgari possunt: ideo quam brevissime poterimus, demonstrabimus, non qua ad Magiam, sed qua ad Naturæ secreta detegenda, investigandaque utimur. Ad Plumbum præparandum, quoniam a Saturno denominationem obtinet, principium ab illo est sumendum. Plumbum a Philosophis Saturnus appellatur, qua ratione, quove studio infra suo loco demonstrabitur, & Simpathiam esse inter Planetas & Metalla Physic. rationibus comprobabitur: non ut Arabes docent, sed quomodo Schola Naturalium demonstrat: & istius & cæterorum Metallorum cum Planetis veram Sympathiam ostendam. Debemus ergo Plumbum simpliciter solum & per se vase ferrep fundere, & a scoriis optime purgare, deinde iterum liquefacere, & ad aquas Ammoniacas extinguere ter quaterque, in quibus aquis sint de succo serpili partes tres minus, albedinem maximam acquiret, & forte admodum evadet, adeo ut aliquas partes de suo principio perdidisse videatur. Iterum fundas ad Crucibulum congruum, & aquas validas communes, in quibus sint dissoluti Smirnii pulveres ad libitum, & ad aqua-

rum proportionem in partes subtilissimas redacti adeo, ut partes nullo medio appareant, & si opus sit, aquas iterum per Alambicum transire facias ad rectificationem usque, tertio extingas post indurationem ad succos herbarum Celidoniæ & Offifragæ, ponas ad ignem cum suo sulphure extracto, ut scis rege ignem regimine Physico cum infra scriptis aquis magistralibus, ut per tres digitos superent materiam: aqua erit de Cynapino minerali præparato, tutia, & sulphure ana: ignis lucernæ per circulationem. Tinctum Saturnum invenies, etsi in quantitate deficiat, & ad fusionem, ut sol, non resistat, opus terminabitur infra X. dies.

Aliam faciliorem & breviorem ostendam præparationem. Fundas Saturnum a scoriis purgatum cum pice Græca, quarta parte, tribus vicibus sequentibus semper ad aquas metallicas extinguendo: prima vice duntaxat picem ponas, duritiem acquiret mediocrem, habeas aquas fortes sequenti via destillatas, in quibus induratum Saturnum quinquies, vel pluries extinguas, vel quousque color ad tuum placitum erit. A quam sequenti via perficies, secunda salis ammoniaci, vitrioli tubificati, auripigmenti, tutiæ, & æris viridis ana, sed de duobus ultimis partem omnium mediam: fac aquas s. ar. sed antequam Saturnus ultimis vicibus extinguatur vigora aquas cum

cinabrio minerali ad proportionem, aureo colore prædito, ad fusiones Plumbum apparebit, sophisticum equidem, sed delectabile.

Stannum Metallum a Jove Planeta denominationem tenet, merito post Saturnum sequitur, cum Stannum similiter post plumbum appareat, ideo album Plumbum ab aliquibus nominatur, & aliquas partes Argenti continere quidam affirmant. Georgius Agricola in libro quinto de re Metallica, ubi hoc Plumbum in mineris Metallorum reperitur, ibi Argenti venas extare scribit, ideo a Chymicis cum succo porrorum præparatur: post purgationem perfectam a scoriis, & omni qua decet diligentia purgatum iterum extinguitur, & in succis herbarum, Salviæ & Verbenæ, cum ovorum albumine pro Metalli quantitate: tali medio stannum præparatum, accommodatum, & albissimum reperitur, immo Argenti instar absque parte stridoris quem si omnino aufferre desideras, ad oleum Martis ter aut quater extinguas, & totalem stridorem perdet, & citrinum habebis: sed ad quid? Aliam ostendam præparationem, ex qua non solum optimum Jovem videbis, sed Lunam ex ipso percipies. Habeas cinabrum commune, fac ipsum in oleo olivarum bullire per tres aut quatuor horas, habeas inde Jovem in calce, incorpora calcem cum albumine ovorum & de præ-

dicto cinabrio jam præparato bene super marmore molas, adeo ut una simul incorporentur, ad modum pastæ spissæ & duræ, de omnibus ana, compone pilam in orbiculum ad quantitatem materiæ, include pilam in luto sapientiæ ad spissitatem trium digitorum, desine optime desiccari & adeo per optime ut durissima evadat, & si opus erit, fac leniter, & suaviter ad fornacem coquere, ut omnino humiditatem perdat, include hanc pilam in aliam ferream omni ex parte bene & optime clausam, ponas ad fornacem reverberii per duos dies ad summum, extrahe & ponas ad Cineritium, & optimum Argentum habebis, licet non ad medietatem materiæ. Aliæ præparationes in Stanno inveniuntur: sufficiant istæ.

Mars tenet Ferrum: quonam pacto præparatur Arabes docent: sed eorum doctrina varia, nubilosa & penitus obscura, cum sub quibusdam constellationibus id faciendum esse demonstrent. Tali enim medio ferrum præparatum multæ efficaciæ extare vociferant. Relicta & neglecta eorum præparatione, naturalem & faciliorem ostendam. Accipiantur limaturæ ferri seu Chalibis, extinguas illas postea quam fuerint omnino rubificatæ, ad aquas communes, in quibus salis communis & tartari partes æquales misceas, ter vel quater iterando opus, dehinc limaturas siccatas sublimabis cum sulphure vivo ana, abluas sublimationes,

nes, & siccatas & ignitas extinguito in succis Aristolochiæ rotundæ & spina Crestiana, in aquis seu oleis tartari & salis ammoniaci ana: toties reiterabis opus, quousque albedinem vestierit per sex aut septem vices: Albissimum ad instar Argenti Chalibem habebis.

Aliam docebo verissimam & expertissimam præparationem. Fac oleum de ferro, s.a. reduc in sal, medio cujus Sol ana solvitur, misceas cum pulveribus sulphuris, ad fusionem addendo de sale ad competentem partem, & Antimonii Regulo in consumptione Martis gradibus æqualibus. Habebis Solem in suo Auge in sextili, & si bene operaberis in quadrato. Idem ad Lunam posse fieri dicunt: non adhuc sum expertus talem Martis præparationem: per optime tractanda erit operatio talis, in qua maximum gaudium in Astrologia videbis.

Aurum inter Metalla medium obtinet locum, quemadmodum Sol inter Planetas medium sortitus est consessum. Dicunt præparari deberi hora Solis, qua ipse in sua exaltatione a nullo maleficio offendatur, in die, & de minera oportere purum habere, adeo ut neque malleationes, neque ignem gustaverit, solum & per se, absque minima conjunctione mala, & purgatissimum: & multa futilia recensentes ad silentium nos cogunt, ne illorum vanitates & ludibria ad risum Saturninos provocent.

cent. Nonne ridiculum? nonne cachinnatio? Aurum novum & virginale a mineris petunt: Hoc a Provincia Peru expectandum erit, & mercatores illuc adeuntes rogandi, vel ut scintillam Auri puti puri & mineralis pro luxu nobis concedant. Equidem apud illos novum aurum & purum, non aliunde nisi a Mineris posse reperiri perdifficile existimatur, Chymicæ non vacant, ignorantia est insculpta, confitentur se de Chymica nescire: sit igitur pro Medicina confessio, transeat: secreta Naturæ quavis via investigare Philosophis erit proprium: per Chymicam plura nobis quæ in naturæ arcanis sunt absconsa, manifestantur & aperiuntur: Chymica ergo non detestanda.

Novum aurum habere, non adeo est difficile, ut ab India expetendum sit: ubique locorum & gentium, via non admodum abstrusa & absconsa invenitur. Si per aquas separationis aurum commune transire feceris, purissimum elicies, si tamen fidelitatem arti conjunxeris, ne cum auro aliquæ partes mistæ delabantur, prout aliquando cognovimus: tamen ad Cineritium examen reiterabitur, vel ad cimentum regale: & tali brevissimo itinere a Mineris domesticis virginale aurum accipies. Stultitia vana, & dementia obcæcata, aurum a Minera.

Nos vero non ut ad Magicas operationes

nes utamur, quonam pacto fieri possit naturaliter demonstrabimus: qua via novum aurum quasi a minera habeatur, facillima via extat. Si quis verum & purum Solem, Aurum nempe, conficere sciret, nihil amplius ab eo desiderari posset: actio equidem etsi omnino difficilis, impossibilis vero minime. Patres nostri Philosophi, hoc non semel, Deo adjuvante & regente, tentaverunt, sed ad optatissimum finem cum illius lumine pervenerunt, & Physicam transmutationem invenerunt: experientia adhuc viget, memoria non delenda. Si igitur aliquis ex sua optima sanctaque dispositione, puraque voluntate Deo gratus, transmutationem Metallorum inveniisset, tunc non auro indigeret minerali, quia ex se purum Solem possideret.

Homo Angelico intellectu præditus, abstrusa Naturæ indagans, aliquando nudam & absque velamine illam videt, daturque illi frui: vere philosophantibus, non sicofantis id permittitur. Nonne per projectionem id fieri potest? Nonne illum vidimus? Nonne id factum publice fuit? Non de illa Bragadina impostura loquor, non de aliis similibus. Finis enim illorum ostendit impostoram & falsitatem, & Bavaricas pænas tandem pro mercede & honore recipient. Non de alia projectione ab Angelo Siculo jam facta commemoro, cum falsam fuisse ipsemet in tormentis

fassus

fassus fuerit, nam de auri tinctura illam constare demonstravit, etsi multiplicationem ex illo pulvere posse fieri impudenter crocitabat. Tandem a clementissimo Principe vitam simul cum morte pro sua stultitia & arrogantia recepit, cum ad perpetuos carceres illum destinasset. Equidem aureo laqueo suspendi, condigne merebatur, cum plus quindecim millia aureorum in promissis non servatis, neque unquam ab illo fure servandis impendisset, vel potius surripuisset. Non denique de quavis alia falsa projectione variis in locis, & a variis personis demonstrata, recolo. De illa quæ anno elapso a Georgio Scoto publice, sine fuco demonstrata, loquor, & memoriam posteris trado. Non enim private, non intra muros clandestine, sed palam & in hominum cœtu aurum ex quovis Metallo ab aliis sibi exhibito conficiebat. Qui vidit, interfuit, & ab illo pulverem accepit, testimonio veritatem denuntiat. Et ne impossibilis transmutatio omnino videatur, & veritati fidem minuat, unum experimentum huc inferam, ut occasionem omnino incredulitati & infidelitati auferam: ut si transmutatio in aliqua parte Metalli, licet minima, facili via fieri potest, cur non in cæteris partibus, cum metalli partes sint homogeneæ & similares? & si de vivo Argeno Metallum conficitur, & ipsummet metallum

iterum in vivum argentum transformatur, cur de auro, argento, aut de alio Metallo id fieri nequit ? Natura viam demonstrat, Ars opus perficere debet : præcipue de illis quæ via physica peraguntur, non de tincturis sophisticis, non de multiplicationibus vanis, non de mineris absque metallo, non de solutionibus absque sulphure, non tandem de Chymicis actionibus, sed de vera, reali, & essentia Metallorum transmutatione attestamur : sive per projectionem, sive per cæmenta & fixationem, sive per quoduis aliud physicum medium, dummodo experientia veritatem demonstret, certi esse debemus.

Amalgama igitur Saturnum cum Mercurio in partibus æqualibus, deinc in dictam amalgamam proiice de sulphure croceo fuso ad instar totius amalgamæ, movendo cum baculo ne ignis accendatur, ideo paulatim in vas pro singulis vicib. projicias : finito postea per se refrigerari : super marmore materiam totam peroptime contento, ut simul partes uniantur, imbibas materiam vino acerrimo, ter desiccando, toties imbibendo : Tandem materiam in crucibulo fundito, tantundemque igni concedito, quousque partes sulphureæ evolent, proiice materiam in virgam, quæ frangibilis admodum optime erit, terito peroptime, cimenta cum pulueribus, argentum limatum partibus æquali-

bus. I. s. s. per duas horas ad summum cimentari finito, cum graduatione ignis fundas, & finito per alium dimidiæ horæ terminum, desine vas refrigerari, frangito, accipias materiam, ad cineritium ponito, & argentum purum elicies, quod ad aquas separationis de more ponito, & ex argento parte aliqua fixa in aurum, fundum petet, aurum verum, reale, & ad omne examen habebis: Dum cimentabis vas bene claudas, & per digitum superius pulveres vitri triti superponas, aut aliam materiam, ut virtus magis permaneat in se unita & vigorosior. Ecce realis & vera transmutatio, experiatur, & illa non sophistica cognoscetur, sed ejus veritas per pondera omnium ingredientium comprobabitur. Quonam medio omnes argenti partes in aurum convertantur, Philosophantibus per investigationem facillime patebit: si una pars erit talis, aliæ similes ab incepto desistere non valebunt, cum virtus in operatione non cesset aut debilitetur. Utrum aurum igne comburatur, difficiles extant variorum opiniones, nos in hac materia nihil inferemus, nisi memoriam vituli aurei per idolatriam a Moyse in deserto combusti: non enim cineres populo ad expiationem dati fuissent, nisi auri partes in cineres conversæ fuissent. De auro illo potabili, aut potius imaginario videant alii. Alias operationes & præparationes demonstrarem,

rem, sed ne curiosis noceam, pedem retraho.

Venerem Cupro præsidere dicunt, nescio qua ratione Æs Cuprum vocant: Cuprum namque Galaminæ confusum extat, æs vero purum: de Ære erit sermo. Arabes cum talia nugentur, quæ ad ludibria tendant, recensere in hac præparatione erubesco: reiiciantur, & ad naturalem æris præparationem accedamus. Habeatur æs minerale, quod pilosum sive de Rosetta vocant, subtiliter limetur, limaturæ cum acerrimo aceto bulliant usque ad quartam illarum consumptionem, accipias tartarum perfectum cum calce viva præparatum & alumine roccæ, ponas iterum ad ignem, & vigora ignem usque ad evaporationem & quartæ partis consumptionem, fundas, & ad oleum, sive ad aquas suæ nativitatis extinguas ter aut quater, & præparatum in prima operatione habebis adeo peroptime, ut albedo realis in illo consistere conspiciatur. Iterum reduc materiam in calcem mediante aceto acerrimo ignitionis & extinctionis, calcem ponas ad putrem foveam, s. a. per dies octo, insuper per tres digitos de oleo mortifero cooperias, auferas, & calcem per se deficcare finito, fundas, & in corpus reducito, dummodo in actu fusionis erit addas de Cane putrido, & de Felle viva ana, sed tertiam materiæ fusæ: desine usque ad evaporationem in-

gredientium, habebis album æs: sed ut ad ignem albedo teneat, sequere operationem, & iterum in laminas tenuissimas reducito, & cimentabis cum pasta communi de oleo mortifero, & tartari partibus mediis, & ad ignem reverberii finito per viginti quatuor horas, opus erit terminatum: sed ut pars illius Cineritium substineat, elabora, quia jam est in via, & proxima utique.

Aliam demonstrabo æris præparationem. Habeas de Ære, in subtilissimas laminas reducito, cimentabis cum sale communi & tartaro ana ad fornacem reverberii, fundas (post lotionem cum aquis calidis) & toties refundas, quoties tibi bonum videbitur, extinguendo semper ad succos herbarum Celidoniæ, Albi leandri & Malfani ana, in quibus immisceas de oleo tartari, & oleo mortifero duplum supradictorum, albissimus erit non semper ad ignem remanebit, sed per tres aut quatuor ignitiones albissimum apparebit, tandem maculas emittet, prima præparatio peroptima, non tamen omnibus cognita, nec facilis ad cognoscendum.

An Arabes tales præparationes noverint, procul scio, pro certo enim habeo, eorum præparationes non ad Philosophos, neque ad bonos Dei timore præditos pertinere. Inferius eorum finis audietur, & quorsum illorum nugæ tendant. Modo

do ad noſtrum Mercurium properamus.

Vere in præparatione iſtius Metalli (ſi tamen vere Metallum dici debet) nugationes, mendacia, & impoſturæ cernuntur. Haud Arabes talia nugaſſe crederem, niſi partim ex uno eorum audiſſem. Numquid per horas Aſtrologicas & obſervationes ſyderum, vivum argentum, fixari aut ſiſti poteſt? & ſi oculis id cernerem, potius opus præſtigii, quam naturalem operationem arbitrarer.

Argentum vivum cum ſit ſperma Metallorum absque exiſtentia definita & eſſentiali, verum corpus non debet neque dici poteſt, neque vere metallum, licet inter illa enumeretur: quod eſt in via non adhuc finem tangit, & finis attenditur in opere. Metalla jam ex ſulphuris partibus aggregata, ex eorum prima materia eſſentiam & ſubſiſtentiam recipere dicimus, tamen ſine ſulphure aliquam habere ſubſiſtentiam experientia quotidie in Chymicis per extractionem & ſeparationem apparet: in quibus bene operantibus materiæ ſeparatæ apparent, & inde nova metalla per multiplicationem cinguntur, quando ignis & pondus in datis proportionibus concurrunt. Mercurius ex ſe absque præparatione ſemper idem erit. Solus ad ignem applicatus, in fumum evolat, præparatus ſiſtitur. Igitur de illius præparatione aliqua

subinferamus : & cum ipse sit nihil & omnia ; nihil a geremus, si aliquid modice in istius dispositione non permaneamus. Principiis cognitis facilitas ad progressum tribuitur. Qui Mercurium per optime tractaverit, totam cælestem machinam revoluet.

Ad primam operationem accedens, naturam ipsius bene cognoscat oportet, nam cum ipse sit impurus, lubricus, & mixtus, omnes illius proximæ qualitates ab eo sunt removendæ, ut perfectus existens, obediens in magisterio reperiatur. Accipias ipsum in ea quantitate quam desideras, misceas peroptime (prius enim per Luthim transeat) cum Calce viva, sale præparato communi, & vino acerrimo, destillato, adeo ut massa mollis appareat, & super marmore molas tantundem, usque quo partes vivi argenti non appareant : accommodes materiam in Alambico ad sui capacitatem adeo peroptime lutato ut nulla via expirare & videri possit, coopertorium similiter addatur cum Zona, ut bene claudatur, & commissuræ arctissime jungantur, accommoda igni, & primo in primo gradu calor incipiet, deinde gradatim ascendet, donec in finem ignem ultimi gradus sentiat, emittet guttam clarissimam, in recipiente cum aqua, desine transire, & quando Mercurii guttam amplius non videbis, remove ignem, & refrigescet, & tertiam partem Mercurii egressam fuisse re-

reperies, in tantæ perfectionis statum, ut nullam terreitreitatem continere scias, Frange Alembicum, & in materia illa omnes scorias & impuritates reperies. Mercurius sic purgatus & præparatus facillime tractatur, & arte aliqua a paucis cognita sistitur. Tempora Tempera Tempore, & sic omnia prudenter agentur. Arguunt Arabes: Si vivum argentum per artem in aliquod Metallum mutatum fuisset, non amplius vivum Argentum dici posset, cum partes illius non apparerent, & ut sic non amplius Metallum Mercuriale, sed illius Planetæ cujus formam sumpsit, dici deberet: præterea, vivum argentum si alterius forma indutum tale diceretur, omne Metallum argentum vivum dici deberet, cum omnia Metalla per vivum argentum & sulphureas qualitates generentur, & ab humido calido ad eorum esse substantiale perveniant Possumus ad illorum objectionem respondere, vivum argentum, antequam a loco suæ productionis eruatur, habet alias qualitates & essentias, ab illis in esse suo postea acquisitis, tunc enim virtutem (tanquam terra viscosa) possidebat cum qualitatibus extraneis concomitantibus, & hoc illud metallum actuare & disponere, juxta dispositionem recipientis: Tunc sperma erat, & ut tale actuabat corpora disposita ad esse substantiale, & post formam productam suum esse specificum in alio in-

dividuo collocato mutabat, & vivi argenti partes, vel spermatis signa non amplius apparebant, & nomen specificum illius Metalli, in quod formam introduxerat, sortiebatur. Quando vero ante introductionem formarum a loco suæ nativitatis extrahitur, non ut sperma, non ut terra viscosa, sed partes sejunctas simul unitas demonstrat, & metallum (licet imperfectum) merito nuncupari potest. Patet assumptum: nam si iterum in terra propria, & loco suæ nativitatis reponeretur, nil ut prius daret esse alicui, neque ad formas in quodvis aliud Metallum introducendas esset aptum, neque per se, neque cum quovis alio concomitante principio: ratio patet, quia a suo principio intrinseco per abstractionem deputatum fuit, & vis ejus productiva, generativa & vegetabilis ipso ablato, dispersa & annihilata fuit, cum non tantum in illo, sed in loco suæ originis consisteret, nempe in situ, in ære, in sulphure, & in cæteris similibus: & si sulphur invisibile extat, virtus tamen illius non desinit suas exercere operationes: Tinctura, & Metallorum concreatio appellatur, sine qua Metalla ad suum esse specificum non pervenirent, naturam calidam & conglutinabilem communiter vocant, quæ etsi in Mercurio communi existat, diversimode exercet & demonstrat suum esse. Quando vero per aliquam Chymicam operatio-

rationem (ecce responsio ad aliud) fuit iterum præparatum & dispositum, ut ipso mediante aliqua productio effici valeat, non via productiva elicitur, quia jam non possidet, sed via dispositiva introducitur, qua introducta, illudmet quod in loco proprio naturaliter agebat, cumarte caloris & humidi idem demonstrare possit, tunc nova forma in illo introducta nomen illius formæ obtinet, in quam fuit transmutatus: non enim Mercurius diceretur, sed aurum vel argentum, si in talibus Metallis facta fuisset transmutatio: aliam formam recipiens mutatus a suo primo esse videtur: talis namque forma in illum introducta fuit non a radiis humidis, non a sulphure invisibili condensante, non ab accidentibus alienis, non a viscositate, non a partibus similaribus, non a Natura ordinante, non denique a materia præsente, sed ab omnibus in unum collectis & conjunctis ita dispositis & coordinatis, ut quæ una via naturali operabantur, modo eadem via, sed per artem idem demonstrent. Patet igitur Mercurium in visceribus terræ differre accidentaliter a Mercurio extracto, tamen remanentes formæ virtuales retinent operationes vegetabiles productivas, & vivificativas. Exemplum de semine. Utraque semina in matrice recepta habent omnes qualitates & essentias ad generandum, & producendum necessarias,

nempe virtus seu facultas naturalis, quæ a tempore generationis usque ad perfectum statum ejus quod generatum est, augmentando, & nutriendo, operatur, in hepate tenens locum, ut diffusive per venas in totum corpus se spargere valeat, tamen operative alteratrix in una parte vocatur, quia generatam substantiam seminis immutat, & in partes necessarias convertit: in altera vero parte ex mistis qualitatibus, & elementaribus facultatibus substantiam intendit, ut per calidum & humidum molliorem substantiam, puta carnem efficiat: per calidum & siccum, cor: per frigidum & humidum, pilos: per frigidum & siccum, nervos & ossa. Facultas vero formatrix ea operatur quæ effingit ad ejus similitudinem, unde suam attraxit originem, & quæ cavæ cavas, quæ vero solidæ solidas constituit & efficit, & omnia minutissima, & de quavis particula perficit, ita & taliter ut nihil vanum & otiosum ibi comperiatur. Sic & taliter in principio vivum argentum agit dispositive, in materia, ut concurrentibus aliis opportunis & necessariis ad formandum metallum disponatur, ita ut tales qualitates infundat, quæ præexistente materia evenire possent. In semine animalis aliæ concurrunt ex supra nominatis, nam post formatricem sunt & aliæ auxiliares facultates, nempe generatrix, auctrix & nutrix. Prima dat gene-

rato

rato formam specificam, sive per longitudinem, latitudinem, & similia. Secunda dat virtutem generato per mutationem ad augmentum & justam proportionem perficiendi. Tertia & ultima generat & fovet, ut tot ac tantis animalis partibus constituendis sufficiat. Concurrunt etiam aliæ quatuor, Attractrix quæ singulis partibus conveniens nutrimentum concedit & distribuit, veluti illarum instrumento calida & sicca facultate utens: Coctrix quæ mutat alimenti substantiam, calida & humida vi operans: Retentrix quæ purum nutrimentum retinet, frigidi & sicci ope utens: Expultrix, quæ superflua respuit, humidi & frigidi ope necessario gaudens. Eadem via in generatione Metallorum (cæteris paribus) cernitur, qualitates operantur, & quæ ad earum esse pertinent, jam operative agunt & disponunt ad formæ receptæ perfectionem: calidum nempe & frigidum in una materia, frigidum & siccum in alia, humidum in alia, & sic deinceps, prout dispositive agit, ut nihil otiosum, vanumque ad receptionem formarum ibi reperiatur. Et quemadmodum semen jam bene & peroptime ordinatum ad perfectionem pervenire non valeret, nisi residentia spiritus extaret, cujus beneficio & motu tota illa machina organizata tam in sensibus quam in virtutibus suas valeat exercere operationes, ideo

spiritus

spiritus necessario introducetur. Hunc dicunt subtilem quandam & aëream esse substantiam, quæ corporis virtutes continue ad suas peragendas actiones excitet: subtile corpus possidet caloris vi generatum, propter sanguinem in hepate scaturientem, per anhelitus & arterias attractus, indeque per venas ad omnia membra diffusus, corpora vivificans mediantibus nervis & musculis, promovendo motu. Hic primo ad hepar dirigitur tali medio, calore existente in sanguine ebullitio quædam fit in hepate, unde vapor quidam prodit, qui mox per venas subtiles depuratus, in subtilem quandam & aëream substantiam mutatur, & spiritus naturalis dicitur, qui sanguinem subtiliat, & inde ad singula membra dimittitur. Inde ab hepate per venas ad cor transit: ibi motu partium cordis mutua agitatione purior fit: & in naturam subtiliorem conversus, vitalis spiritus incipit esse, quia a corde per arterias ad totius corporis membra se diffundit, & omnem virtutem auget & adjuvat: A corde vero sursum per arterias ad cerebi cellulas penetrans, ibi in animalem spiritum, qui omnium est purissimus, transmutatur: unde per sensus organicos ad illorum fortificationem & confirmationem dimittitur. Non autem spiritus iste, anima illa a Deo Maximo homini infusa esse credatur, sed tantum instrumentum & vehicu-

hiculum ipsius. Utrum spiritus iste sit corporeus, an non, alia quæstio, & ad nostrum Mercurium minime spectans. Omnino corpore carere minime est credendum, cum ex illius operationibus contrarium visibiliter appareat, & idem Galenus & Aristoteles affirmantes, concludunt spiritum corporeum esse, summeque tenuem. Experientia ipsa demonstrat in ejectione sanguinis & seminis: nisi enim aliquod corpus cum semine & sanguine mixtum esset, quod sua levitate, tenuitate, atque mobilitate ea corpora quæ sua natura gravia sunt, impelleret, ac sursum elevaret, tanto cum impetu prosilire & erumpere non possent. Experimentum ab omnibus faciliter observandum: altero enim oculo clauso, conspicitur alterius pupilla dilatari, & mox eodem aperto, in suam naturalem magnitudinem redire: signum quod tenue aliquod corpus æqualiter dum aperti sunt utrique dispensetur, quod altero clauso ac constricto, totum ad illum apertum feratur, & pupilla alteratur in virtute spiritus residentis. Quæstionem hanc Medicis relinquimus. Ex semine igitur si in matrice, ordine servato prout diximus, animal producitur, naturaliter & via ordinaria id fieri certum est: Si vero extra matricem & extra suum locum ordo a natura haud observari potest, & veluti mortuum & inutile dicitur, tamen dispositive aliqua

ge-

generatio apparere potest. Ars naturæ imitatrix suas omnes intendit vires, ut quæ natura demonstrat, ea ipsa in quantum potest perficere valeat, & licet in productione animalis sit admodum difficilis, sunt tamen qui jactantur se feciſſe ex calore humido, prout in Iulio Camillo in Tract. de materiis legitur: licet de infusione animæ a summo Deo per charitatem creatæ, deinc infusæ, loqui non audeo, neque ulla via id fieri posse indubitanter credo.

Ad Mercurium redeo, a quo digressio forsitan necessaria. Vivum Argentum in terra tanquam in matrice existit, sulphure tanquam virtute effectrice concurrente, caliditate humida tanquam substantia illa aerea ad generationem Metallorum, in qua est dispositum, dirigente, & operationes exercente. Extra terram vero alias demonstrando productiones, alia via dirigere opus erit: nam quæ una via natura perficit, ars alio modo idem perficere nititur. Nonne dicimus per artem fuisse fixum Mercurium in Aurum vel Argentum? & quid sunt Metalla, nisi Mercurius congelatus, ut superius ostensum fuit? Applica igni quodvis Metallum, statim in Mercurium resolvitur. Quid est fusio, nisi resolutio compositi? & qui posset, aut sciret, dum metalla sunt resoluta, partes ad invicem separare, subtiliores a grossioribus, terram a sulphure, sine dubio totum fusum metallum in

suo

suo remaneret principio. Ideo veri Philosophantes antequam ad transmutationem accedant, prius Metalla ad esse sui principii proximum per calcinationem reducunt, a quibus separatis separandis, cum tartaro, ammoniaco, & vino acerrimo, per foveam calidam Mercurium extrahunt, qui in poris suæ materiæ existens, aliquod minerale invenire oportet, cujus auxilio & subtilitate poros penetrante inimicum expelli valeat: camphora præparata, & in subtiles partes redacta, hoc perfici posse credunt. De illius præparatione & subtiliatione alias dicetur. Opus ad minus quadraginta diebus perfici non potest: falso asserunt assertores per aquas magistrales trium dierum spatio id posse expleri, addendo Mercurium sublimatum ad opus. Illusio patet, nam per abstractionem Mercurii, non de Metallo a quo extractio fieri debet, abstractio fit, sed Mercurius sublimatus appositus resolvitur, fluit, & abstractio falsa appareret. Intellexi Philosophum peritissimum per sales magistrales Mercurium ab omni metallo brevissimo tempore extrahere: equidem authoritati tanti amici dicentis fidem habeo, sed in salibus illis magistralibus præparandis tempus non breve requiritur. Sunt equidem sales efficaciissimi, non solum ad solutiones, sed ad omnia opera Chymica agenda, accommodandaque: libenter tamen talem experientiam viderem, ut oculatus

latus testis potius quam auricularis extarem.

His sic stantibus & bene cognitis non adeo difficilis via ad Mercurium præparandum & fixandum: facile est adinventis addere, satis peritis, pauca indoctis: secreta non sunt adeo detegenda & propalanda, ut profanentur. In gratiam amicorum aliqua subinferam, & experimentum de Mercurio in Saturnum demonstrabo.

Fundas Mercurium ab omni prorsus scoria seorsum, & antequam omnino induretur, foveam in illo cum baculo ligneo facito ad materiæ capacitatem, reple foveam vivo Argento purgato ut scis, desine refrigerari, vel ad modicum calorem cum regimine ignis brevissimo, ex tempore totus Mercurius in verum & essentialem Saturnum convertetur, cum quo idem reiterabis cum alio vivo Argento: sic cum una libra Mercurii millies Saturni recipere poteris ad omne opus tam mechanicum quam Philosophicum aptum idoneumque, cum verum & reale Saturni metallum extet. In prima namque operatione nil de Saturno fuit Mercurio permistum: ex pondere plumbi ante conjunctionem, seu appositionem Mercurii experientia facti veritatem comprobabis: nam post extractionem vivi Argenti transmutati idem pondus reperies: Quod non de substantia, sed de qualitate Mercurio tribuisse cognosces. Ratio

per

per se patet: nam cum Saturnus sit Metallum ex humiditate Mercurio propinquius, ideo multum de illo possidere censetur, & de sulphure proprio.

Talis transmutatio nullius utilitatis & emolumenti extat, imo detrimenti: nec me hoc dixisse sine aliqua ratione credendum. Si enim (ut ita dicam) lapidem plumbificum facillima via habere possumus, cur non de aliquo nobiliore Metallo idem faciemus? via quidem diversa, sed materia eadem: neque hoc tam occultum, ut investigatoribus revelari non possit. Si pars Mercurii ex commistione Saturni in Saturnum sine sui diminutione convertitur, cur ex eadem materia in aliud Metallum id fieri non poterit? Adest visibilis multiplicationis modus, ars & natura simul junctæ quid facere non valebunt? Fermenta Metallum ad suum principium positum, applica humidum calidum, ut concoctió æquali gradu introducatur, & naturam imitaberis. Philosophos occulte scripsisse dolet: nihil apertius, nihil clarius. Sed & aliam congelationem & fixationem demonstrabo.

Habeatur de Mercurio peroptime purgato, purgatione superius demonstrata: in vase terreo ponas, duos digitos de succis herbarum Bonifaciæ & Perforatæ ana de super addas, da lentum ignem cinerum gradatim ad evaporationem succorum, erit peroptimum congelatum, non durum, sed

sic disposítum, ut fixationem recipere valeat. Congelatio namque cum succis herbarum melior, & præferenda etiam aliis cum odore metallorum congelationibus. Nam quæ per odores fit, ad fixationem nil valet, cum jam Mercurius illius metalli qualitatibus sit imbutus, ad cujus odores congelationem recipit: intus existens prohibet extraneos, & quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

Vivum Argentum mediis necessariis opportunisque per optime ordinatum per intrinsecam repugnantium separationem, quæ adeo illud opprimebant, ut viribus non valentibus operationem exercere, virtus illius summopere impediretur, si per odorem postea alicujus metalli alteretur, cum aptum ad omnes qualitates recipiendas reperiatur, faciliori via tunc imbuitur, quam si præparationem ullam habuisset. Succi herbarum sunt simplicissimi, naturaliter producti, calida exhalatione evanescentes, suas inde virtuales qualitates relinquentes, effectum pro illorum posse in materia bene disposita demonstrant. Succi herbarum Cicoreæ, Urticæ, Viminis, & aliarum vim congelandi Mercurium possident: congelatione peracta, accommoda ad fixationem si scias: sin autem, quæras, & invenies: a me equidem nil scire poteris, fixatio Mercurii a multis adhuc quæritur, si quis invenerit, non annuet sociis.

Alii

Alii cognoscentes Mercurii qualitatem ad summum frigidam conantur ipsum calefacere & ignire, ut frigiditate nudatus fixationem recipere valeat, in pila ferrea, spissa, peroptime clausa, ut omnino respirare haud possit, igni ad rubedinem tradunt adjunctis aliquibus pulveribus ad tempus, nempe per viginti quatuor horas, relinquunt. Refrigeratam postea pilam aperiunt, & vivi Argenti partes in veram puramque Lunam ad omne examen conversas inveniunt. Experimentum equidem æque bonum & verum, tamen periculosissimum admodum: Nam si casu pila vi & vigore Mercurii & ignis aliquando vel frangeretur, vel aperiretur, omnia obstantia in aerem elevaret, & destrueret, & laxabunda ædificia ruerentur. Aliam tutiorem viam tenendam arbitror, per pulveres nempe, & projectionem, ut volatilis illa Mercurii pars (si totum volatile illo pacto sisti possit) per abstractionem humidi fixationem recipiat. Aliqua in Mercurii operatione, inferius suo loco demonstrabo, dum de Lunæ præparatione loquemur. Sunt & alia secreta per alterationem, transmutationem & fixationem Mercurii, quæ via cum ad eundem tendat finem, illas recensere nequeo. Ostentationes & illusiones Chymicis relinquimus. Ad Lunæ præparationem accedamus, ut huic primæ parti finem imponamus.

Quomodo & qua via Arabes Lunam præparant, alii videant, illas neque transscribere neque recensere debeo. Physica præparatio, propior ad veritatem erit. Lunam sive Argentum bene per Cineritium validissimo examine ab omni prorsus mixtura purgatum, & in tenues laminas reductum, cimentabis cum pulveribus, ut infra dicetur: reduc in corpus extinguendo ter ad aquas sulphureas & vivificas, quæ ex igne palpabili & frigido, & ex aqua dura ana conficiuntur, color introducetur, & ex pulveribus cimenti fixationem recipiet. Pulveres fiunt ex servo pessimo amico domini sui per ejus mortem, & de inimico servi per illius potentiam, de primo duplum secundi: addas de misto duorum præparato quantum ambo. Præparatio fit ex igne palpabili, exibito Marte via certissima ad fixationem, sed adhuc occulta: nam non omnes partes Lunæ totalem fixationem recipient, sed adeo sunt dispositæ, ut via facilis quærentibus remaneat. Alia via adest, ut Luna nobilissima, & ad omne examen habeatur: quod opus etsi per quatuor menses terminetur, tamen nihil certius, cum per projectionem ad Mercurium fiat. Licet longum tempus requirat, in gratiam amicorum non reticebo. Habeas igitur de Mercurio a Luna noviſſime & sine additione extracto, via superius descripta, amalgama cum sulphu-

re

re illius a fæcibus exhibito, & cum Luna præparata ex Cineritio terræ, amalgamam ad Marmor siccando & imbibendo, ter iterando; desicca peroptime, desine per dimidium horæ spatium ad ignem cinerum, lentissime: addas de Mercurio communi purgato purgatione superius demonstrata, ponas ad putrefactionem cum essentia vini, ut quatuor digitis superet materiam, singulis quatuor diebus mutando calorem putrefactionis, ut semper æquali gradu consistat, durabit spatio viginti dierum, extrahe, & totaliter essentiam per declinationem a materia separabis, feldia quæ remanserunt misceas, totam materiam destillabis toties quoties opus fuerit, ut materia per alembicum transeat, iterando semper novam vini essentiam, si tamen materia non fuerit peroptime dissoluta: si enim optimam putrefactionem habuerit, tota in prima operatione dissolvetur. Liquore a materia accepto, in ovo Philosophico adapta, & ad calorem Attenoris colloca, adeo ut undequaque calorem æquali gradu sentiat: regas calorem peroptime, in hoc namque totum opus consistit, in fine videbis liquorem in massam redactum: fiet per mensem ad summum in quo temporis spatio colores per ovum transire conspicies: nigrum primo, flavum deinc, ultimo album, quod in Cineritium album postea commutabitur, in

quo quiescet. Rumpas vas, tere materiam in subtilissimos pulveres (erit massa facillima ad fracturam, digitis enim frangetur) quos ad projectionem supra Mercurium projicito, in quas partes cadat, experientia te docebit: si enim peroptime operatus fueris, una supra ducentos vel circa erit, sin autem, augmentum vel decrementum, ex bona, mediocri, & mala operatione proveniet. Aliquando non ex operatione, sed ex defectu ingredientium debilitas virtutis evenit, ut per experientiam aliquando cognovi. Hæc scripsi ex voluntate amici, doleo: tamen non tam facilis prout creditur, erit operatio.

Quomodo Luna non solum præparetur, sed ut de novo habeatur, usque modo quoad potui demonstravi. Quonam pacto de Luna aurum elicere possumus describam. Veram & expertam demonstrabo & conabor sic velare, ut non omnibus innotescat. Ex fæcibus Reguli Antimonii oleum ut scis elicias: eadem via facies, ut oleum sulphuris similiter habeas. De floribus sulphuris oleum extrahas. Lunam in aqua forti sequenti solutam & lapillatam habeas, ponas unciam unam Lunæ, & duas oleorum in vase vitreo, regas per viginti dies ad ignem trium parvorum luminum: videbis olea clarescere, & Lunam paulatim fixam & solarem fundum petere. Per inclinationem habeas olea, Lunam in

corpus

corpus reduc, non tota erit, sed majores lapillorum partes si opus per optime rexeris, non adeo male tractaberis. Aquæ fit Vitrioli Rom. rubef. salis petræ ana, cinabrii mineralis octavæ partis, adeo ut ad libram unciæ quatuor, sed libræ minoris ponderis æquipolleat pondus cinabrii.

Vidi aliquando Lunæ calcem vasa vitrea conficere: viam in gratiam curiosorum demonstrabo: non tamen necessaria, sed ut arti Mechanicæ & Chymicæ deserviam. Argentum per aquam fortem calcinetur, calcem per aquam salis recipito, misceas cum Crisocola vel suda ana: igni reverberii concedatur, & naturam vitri recipere cognosces: inde vas formare poteris, si diaphanitas & transparentia non placuerit, addas de alcali. Velis iterum vitrum in Argentum convertere? componas vas porosum, puta de cineribus ossium, aut ex alia materia simili, sit vas proportionatum ad modum vasis vitrei Argentei, in quo collocabis peroptime, adeo ut resideat: colloca vas in aliud grandius ad capacitatem proportionis, igni reverberii concedas, materia vitrea liquabitur, Argentum per poros in aliud vas purissimum transiet: fæces remanebunt.

Hæc sunt naturæ secreta, sicut de fusione Metallorum sine igne, ad omne vas, etiam in papyro, vidimus, & millies experti sumus: arcanum omnino non revelandum,

cu n curiosis nocere possem : ac eo magis cælandum, quod fideli amico mihi revelanti fidem meam astrinxi.

De præparatione Metallorum ad Arabum gratiam pauca, sed necessaria demonstravi, non ut Chymiæ omnino inserviam, sed ut Philosophis morem geram. Multa & prope infinita vel indies visuntur, & experimentis comprobanrur, tamen raro veritati correspondent. Incuriam causam esse credo, vel avaritiam potius, ne dicam iniquitatem. Multos multa decipiunt; rari visuntur. Aliquis si ob Dei Optim. Max. singulare beneficium ad aliquam cognitionem pervenerit, non solum ob timores nocturnos silere oportet, sed etiam, ob strepitantium ora, cum ad cogitationes malas vituperationem etiam addant. Libet hic optimam nactus occasionem, Elogium Chymicum apponere, a Reverendo Domino Constantio Monacho Oli. amico meo editum, perpulchrum equidem, & metaphorice illius essentiam ad amussim declarans. Religioso isti tam arcto amicitiæ vinculo sum astrictus, ut pars mei merito dici possit, vir omni curiositatis & doctrinæ genere imbutus, multa quæsivit, investigavit, cognovit, & possidet. Tale est Elogium.

Chymia animal monstruosum equidem, multa capita possidens, oculos similiter infinitos, dentes innumerabiles, licet nigerri-

gerrimos, manus plurimas dextrasque, septem tantummodo pedes, & hos debiles: Caudam solummodo unicam, longissimam tamen, ac totam mundi machinam cingere nitentem. Quid mirum si illius operatores talibus monstruosissimis membris amiciri continuo nituntur: non considerantes, (miseri) si absque velamine aspicere desiderassent, non Chimeram, non monstrum, sed veram & optatissimam Palladis filiam, non solum viderent, sed complecti & frui pro illorum nutu & voluntate daretur. Avari, versipelles, mendaces, & impostores, monstrum non solum cernunt, sed & ipsi tales evadunt. Modesti, humiles, Deo chari, & veraces, non monstruosam concipiunt artem, sed veritatem adeo vestiunt, ut una simul æternaliter gaudere concedatur. Quid circa plurima occupamini? unum tantum necessarium erit, minimum equidem, in vobis est, præ manibus tenetis, & haud agnoscitis. Recedite a Monstro ut claram lucem possidere possitis.

De Sympathia Mineralium cum Lapidibus.

Cap. IV.

Jam satis abunde, & diffusius de præparatione & substantia Metallorum dissertum est: nec non Arabicas vanitates intactas non reliquimus. Ratio nunc postulat, ut rationes audiamus, cur potius uni

quam alteri Planetarum & Lapidum conveniat, & quæ Sympathia dici debeat, si in rei veritate comperiatur, talem Lapidem sive Gemmam, & tale Metallum non solum nomine, sed re & facto, alicui ex septem Erraticis convenire, an potius talis Planeta uni eorum præesse videatur. Talis doctrina tam ab antiquis, quam a recentioribus diffusius fuit tractata. Aliqua tamen pro nostro arbitratu sub brevitate transcurrere liceat, tum ut Arabum doctrina innotescat, tum etiam ut videamus, cur Saturnus seu Plumbum a Saturno deveniat cum Turchesia, cur Stannum a Iove cum Corneolo, & sigillatim de singulis. Non enim sine aliqua adhuc occulta causa, Plumbum a Saturno, Stannum a Iove, Ferrum a Marte, Aurum a Sole, Æs a Venere, Vivum Argentum a Mercurio, & Argentum a Luna denominatur, & nomen obtinet: cum investigandum sit, an in nomine tantum, vel potius ab aliquo effectu nomina illis imposita fuerint. Sic etiam cur septem illi selecti Lapides septem Erraticis conveniant, Si influxus superiorum corporum per illas in inferiora decurrant & veniant. Investigemus pari via, causas essentiales generationis lapidum, utrum sit eadem virtus productiva, quæ in Metallis, ut tali cognitione habita. Sympathia ex illis eliciatur. Non tamen opinionem Arabum sequemur, qui à particulari Planeta,

parti-

particulari Metallo & Lapidi virtutem & productionem vegetabilem ineſſe dicunt: quæ opinio tanquam abſurdiſſima penitus ab omnibus rejicitur.

Ne tempus protrahatur, eandem cauſam productivam eſſe in Lapidibus & in Metallis reperio. De Lapidibus qui in terra & a terra producuntur, loquor: qui vero in mari, in animalibus, & in plantis, licet habeant fere idem principium, diverſimode tamen in via productiva deveniunt, ut inferius videbitur. Cum igitur unum idemque principium, originem, & effectivam cauſam, communem etiam habere ſubſtantiam fatendum eſſet, niſi humiditas unius a caliditate alterius aliquam accidentalem diſtinctionem demonſtraret: tamen in particulari ſubſtantia ſimul coaleſcunt & incidunt, licet in univerſali, ex quatuor nempe elementis, & diverſis illorum qualitatibus quodammodo in effectis variantur, ſed in introductione illarum ſemper effective in ambobus æqualiter concurrunt, juxta elementalem qualitatem & formam. Æqualem igitur primam materiam habere comperiatur, non in quolibet eorum in ſpecie diffuſivam: ſed in utraque virtute in genere congregativam, quemadmodum ſemen in matrice peroptime ordinatum ad femellam & marem producendum eſt diſpoſitum: Et tamen juxta materiæ diſpoſitionem talem producit, quale in ipſa introductione

ctione semen reperitur, calidius ex dextero (juxta Physicos) marem, frigidius ex sinistro femellam concipere credunt: cum dextera pars ex hepatis caliditate uberior, sinistra vero ex humorum defectu, frigidior, & debilior existat: nihilominus ab uno principio seminali utrumque advenit licet in ipsa productione varietur. Ita & taliter materia præexistens a primo principio diffusivo ad utrumque, nempe lapidem & Metallum producendum est parata: ratione tamen productionis & formæ introductionis differunt aliquando specie. Eadem materia ab una virtuali & diffusiva substantia concreatur: differunt ratione productionis, juxta concurrentium dispositionem. Metalla, licet habeant pro materia sulphur, & vivum argentum, sive terram illam viscosam: lapides terram illam condensatam (idem per diversa) a suo præexistente humido, ambo tamen a virtute humiditatis calidæ, tanquam ex semine derivantur, & procreantur, & ipsamet virtus humida est illa terra condensata in lapidibus, quæ terra viscosa in lapidibus nominatur. Fit enim ab humido præexistente, quæ substantia a pluribus qualitatibus activis denominari debet. Ecce harmoniam. Si igitur unum eorum similares partes cum altero habeat, quidni, si non sympathiam modo, sed & cognationem quodammodo habere dicatur? Mas non solum sympathiam,

sed

sed & cognationem ad femellam ex eodem semine productam habet. In Mineralibus & Lapidibus terra ex se sola respectu humiditatis, est causa generationis illorum: ita etiam ambobus incrementum tribuere fatendum erit, non Stellas, non Solem, neque quamvis aliam præexistentem caliditatem, quia si ita esset, ubique locorum & gentium Lapides pretiosi, Gemmæ & Metalla invenirentur: cum Corpora cœlestia eandem virtutem exercere possint & valeant in ista regione & in alia. Experientia demonstrat, quod preciosiores & nobiliores in una particulari parte procreantur quam in alia. Non ergo aliunde nisi ab ipsamet terra productrice, quæ feracior in uno loco quam in alio existit. Sed virtutem superiorum corporum non omnino excludimus: concurrunt enim, sed active & per se, juxta dispositionem recipientis: terra est disposita in ista parte, & non in alia, ideo illic semine plena conspicitur, in qua mediantibus novis introductisque caloribus, & propria humiditate, gemmas, lapides, & metalla producere potest & valet.

Cæterum, de his quæ in mari, in plantis, & in animalibus nascuntur, fere idem censendum erit, nempe in tali maris loco virtutem seminalem ad tales producendos Lapides esse: in talibus plantis esse virtutem intrinsecam vegetabilem cum opportuna dispositione. In animalibus vero non taliter

ter erit concludendum: sed ex concursu humorum, ex qualitatibus contrariis ad invicem repugnantibus, quæ ex innatis accidentibus legitimas causas impedire nituntur, quæ in unum a virtute expultrice, ut inde expellat, collecta, ab humoribus male ordinatis impedita, effectus minime sequi valet: hinc in unum partes grossiores coadunatæ, humido radicali, & calido naturali adjuvantibus, lapides generantur: quod ex dispositione mali humoris accidere solet. De Metallis idem dicimus, cum plura & nobiliora in una regione quam in alia reperiantur. Minera Plumbi in una parte, in alia Argenti, Auri in alia, & sic de singulis: & licet in una Minera aliquando alia mixta reperiatur, tamen abundantior & vegetior apparet in productione unius Metalli, quam alterius. Nam Minera Auri, licet sit de seipsa abundantior, reperitur tamen alia Minera alterius Metalli prope illam. Signum apparens, terram dispositam ad Mineras non unam tantum continere, sed plures: nam si materiæ productrices adsunt, non deficient etiam aliæ causæ ad producendum Metalla. Si deficerent, in totum deficere, non autem in partibus, oporteret. Si v.g. producit Aurum, signum erit, ibi terram esse dispositam magis ad Aurum producendum quam cætera Metalla, & magis idoneam esse ad talem productionem quam ad aliam: ideoque feracior de uno

Me-

Metallo quam de alio dicitur: licet aliæ concurrentes non sint alligatæ: ubi majores virtutes productrices, ibi major effectus productionis & generationis viget. De Lapidibus etiam idem affirmamus: nam sæpe, imo semper, ubi una species Lapidis invenitur, ibi & alia majoris perfectionis. Sed quod mirum erit, in Rocca unius gemmæ, simul conjunctæ adsunt gemmæ alterius speciei, ut vidi Pisis in una Rocca Agathæ decem Adamantes congenitos existere, tamen majoris & minoris perfectionis juxta locum natalem differre, ut diffusius Auctores multi demonstrant. Non ergo alia potissimum causa nisi terra esse dicitur, ut demonstratum est. Ecce qualitas in utroque non solum ex materia generativa, sed ex modo generationis & mixtionis quæ ex illorum Sympathia devenire videtur.

De Sympathia Metallorum ad Planetas.

Cap. V.

Dictum est & demonstratum quonam pacto Metalla & Lapides in causa generativa & productiva ad invicem connectuntur, ut ex illis propterea Sympathia elici possit. Nunc videndum restat, cur tale Metallum plus uni quam alteri Planetæ conveniat, & cur talis Lapis tali Planetæ dicatur. Iam enim diximus Planetas nullam prorsus absolutam causam in qualis productione habere, & si haberent, non

alii

alii quam Soli daretur. Demonstravimus etiam æqualem materiam Lapidibus & Metallis extare. Primo igitur Sympathiam Mineralium sive Metallorum ad Planetas quæramus, deinc aliam de Lapidibus inveniemus. Investigatio etiam perdifficillima, cum de Naturalibus non agitur. Si enim Physica esset quæstio, ad nostram prorsus intentionem omnia accommodanda fuissent: licet secundas causas Physice aliquando agere, in eorum effectibus non semper id facere experientia demonstrat. Licet Philosophi ad aliquam necessariam causam omnia accommodare nituntur, ut per causas res omnes cognoscere videantur: non tamen illorum ad Physicas rationes extensio æquali gradu incedit, claudicat aliquando, & ambobus non currit pedibus. Conabor juxta meum posse (debile equidem) ad aliquas apparentes rationes illorum Sympathiam reducere. Multi de hac investigatione multa adnotarunt. Convenit ergo primo sub brevitate ex illorum opinionibus aliqua præscribere: dehinc quid moderni dixerint audiemus.

Primo igitur Balemis Arabs in loco superioribus Capitibus citato, cap. 12. post multas disputationes ad suum peculiare Axioma decurrit, quæ opinio licet sit nobilioris investigationis, non tamen ad triplicem illam armoniam spectat cum de

Ma-

Metallis, Lapidibus, & Planetis sit sermo. Dicit ergo ille doctissimus Philosophus, Quemlibet Planetam pro suo posse & virtute unicuique Lapidi & Metallo taliter influere, ut non solum effectum ad se pertinentem producat, verum etiam ille Lapis & tale Metallum sic sint in suo absolutissimo dominio & posse, ut simul junctis & aliquibus observatis, quicquid Planeta per se solus potest & valet, trina copulatione efficacia & vis in eorum dominio per ad invicem Sympathiam extet, adeo ut plurimorum effectuum productiones ex illorum copula videantur. Corroborat suam opinionem ex influxu secundarum causarum, quæ motu & lumine in inferiora influentes, multa ex motu & calore illarum continue nobis apparent: nam peroptime motus orbium cælestium observati, facili via perfectionem in effectibus demonstrant. Et cum ex suo Axiomate quilibet Planeta habeat vim in peculiari materia, ideo absque ulla probabili ratione suam defendit opinionem, quæ quanti valeat, & cujus sit momenti, docti judicent, cum millies dictum & conclusum fuerit, potentiam & esse Planetarum non extendi ad particularem actionem, nisi juxta eorum qualitates & naturam, nec absolute & per se solum, sed cæteris necessariis adjunctis. Quod si vera esset Arabis opinio, quælibet sublunaris species & individuum non

perfectiorem vitam ageret, cum motus Planetarum non æquali temporis spatio terminetur: triginta enim annis in materia & specie sibi propria Saturnus suum perficeret opus: & quæ sub Saturno (juxta illum) vegetant, tardissime vegetarent: & e contra quæ sub Mercurio & Venere citius: citissime vero quæ sub Luna, quæ in viginti novem diebus suum terminat orbem. Non debemus ergo tribuere Planetæ vim absolutam generandi, producendi, & fortificandi, cum hoc non tantum apud Philosophantes, verum etiam apud Astrologos absurdissimum appareat. Astrologi tantum Stellis tribuunt, quantum pro influentiis illis debetur, nec Planeta habet aliquam vim in hæc inferiora generativam vel productivam. Idem in aliis eorum significationibus fatendum erit, aliter absurdissimum ac impissimum foret, Corpora superiora non agere inevitabiliter sua significata, Ptolemeo teste in primo Quatrip. c. 4. Opinione Arabum recitata & impugnata, aliam audiamus.

Quidam Rabinus Hebræus, Joseph nomine, in suo Tractatu de Tenebris in Lucem, lib. 3. cap. 12. nititur probare non tantum rationibus Gabalisticis fere illudmet quod ab Arabibus dictum fuit, sed etiam addit quod Plumbum ideo a Saturno nominatur sicut alia Metalla ab aliis Planetis, quia unum quodque non tantum in colore, &

pro-

proprietate, alicui proprio assimiletur: sed etiam in fortitudine & virtute. Affert rationem de singulis. Saturnus Planeta humidus, melancholicus & terreus. Plumbum similes qualitates habere videtur: molle, ecce humiditas ex nimia illius aquei humoris abundantia: melancholicum, ecce qualitas ab humido derivans: colore etiam terreo, & ponderosum, quod ab humore aqueo illi provenit: terreum, quia multam scoriam possidet, imo fere totum in scoriam quasi in terram crassam resolvitur. Idem de secundo Planeta confirmat, de Jove nempe, cui Stannum tribuitur, qui cum sit prope Saturnum merito Stannum prope Plumbum in ordine naturæ collocatur. Stannum enim non solum ex mollitie de terrestreitate Plumbo persimile, sed ex iisdem qualitatibus fere compactum: assimilatur etiam Jovi ex albedine & qualitatibus permixtis, non autem ex absolutis. De Ferro Marti proprio Hebræus faciliori via suam astruit Sympathiam cum Planeta belli Præside. Ferrum merito ad se traxit Mars propter qualitates ferri suis similes, puta calidum & siccum: & ad qualitates omnimode suam accommodare Sympathiam demonstrat, quemadmodum Aurum ad Solem: cum Sol sit moderatæ caliditatis & siccitatis, merito pro Metallo aurum iisdem qualitatibus dotatum illi conceditur: Sol totus luminosus,

moderans & distribuens, aurum tales tenere proprietates dicit. Venus possidet ex Metallis Æs, quod ei ex accidentibus aliquibus assimilatur: cum enim Venus prope Solem extet, merito tale Metallum tali Planetæ dicatum fuit, quin etiam ex qualitatibus idem esse censetur. De vivo Argento multa adnotavit, tandem ex inconstantia & mobilitate illius similitudinem cum Mercurio suo peculiari Planeta elicere nititur, cum ex qualitatibus non adeo fere illi concedatur. Nam Mercurii qualitates non bene cum vivo Argento coincidunt. De Argento ad Lunæ similitudinem & denominationem deveniens, præter qualitates quæ similes omnino videntur, demonstrat etiam albedinem Lunæ, Argenti albedinem denotare: quæ non ut accidentia, sed essentialiter & per se illi inhærent.

In tali sua opinione comprobanda multa scribens, & notatu equidem digna, monumentum suæ doctrinæ aliis reliquit: tamen nos Sympathiam, non similitudinem quærimus. Si vero (ut non absolute transeam) per qualitates ad Planetas Metalla illis competant, multa sunt & prope infinita in ente Naturæ, quæ easdem qualitates possident, & magis propria Planetis, similia ex illis dici possunt, tamen non dicuntur. Sin autem per qualitates denominatio aut similitudo deveniret, utique po-

potius ab elementis ipsis quam aliunde denominatio fieri deberet, cum elementis proprie per se & non similitudinarie insint: & quæ in aliis sunt qualitates, in Elementis dicuntur formæ. Metalla tales qualitates habentia stricte ad Elementa tanquam ad illorum formas essentiales reduci deberent, non autem ad Planetas, qui etsi possident, non tamen sunt illorum formæ & essentiæ, prout in Elementis. Præterea similitudo dicit communicationem, Sympathia vero effectum: accidens illud, substantia istud, quæ ab invicem differunt. Quæramus ergo aliunde Sympathiam. Nihilominus in tali investigatione doctrinam Hebraicam, optimumque investigandi modum summopere laudamus.

Caldæi aliam demonstrant Sympathiam, vel potius denominationem. Siranus Caldæus in sua Astrologia lib. 8. cap. 16. quem in tali opinione Melchodius Syrus, & David Egyptius sequuti sunt. Syrus in Epitome ad Plagas Orientales, in principio, prope finem primi Capitis, differens de Mineris in Oriente extantibus, citat opinionem Sirani. Egyptius vero in Navigatione Asiæ, in descriptione secundæ Tabulæ, demonstrans, quibus infirmatibus Metalla sint propria, (non enim satis perbelle doctrinam medicam Paracelsicam demonstrat) tangit opinionem Sirani & citat eundem locum & Capitulum. Sira-

nus ergo loco prædicto quærens denominationem Metallorum a Planetis, cur nempe Plumbum Saturnus, Stannum Jupiter, Ferrum Mars appelletur, & sic de cæteris: longo verborum circuitu Planetarumque examine, concludit ex motu situationis & ordinis illorum, Sympathiam, sive potius denominationem oriri. Saturnus enim primo situatur, tardeque movetur: tarditas, dicit ille, a gravitate provenit, Plumbum similiter gravissimum extat: non immerito igitur assimilatur Saturno, & illius nomen sortitum fuit. Saturnus ad hæc primus in ordine cæterorum Planetarum, quia Pater ab Astrologis nuncupatur. Plumbum etiam primum ex Metallis, quia a primo principio parum distare videtur, & in productione primum extat, cum ex mixtione terreæ qualitatis in concoctione nil obtineat de qualitate ignea. Stannum similiter Jovi peculiare, cum motus istius Planetæ distet a motu illius primi, puta Saturni: Stannum distat a pondere Plumbi. De cæteris pari passu incedit, adeo & taliter ut per motus Planetarum denominationem sive sympathiam Metallorum extrahere voluerit. Praxim non acceptam, & nullius considerationis demonstrat. Si enim a motu Erraticarum Metalla essentiam haberent, Argentum a Luna deveniens parvi, aut certe nullius valoris esset, cum Luna non diu in proprio motu consistat:

sistat: Plumbum e contra majus omnium diceretur, & tali illius demonstratione tota rerum machina confunderetur. Motus enim cælestium corporum absolute nullo pacto, neque per modum essentiæ, neque per modum subsistentiæ, valent alicui concedere quid minimum. Tali opinione a nemine concessa, ad alias demonstrandas properamus. Ex Neotericis multos vidimus Autores, & fere omnes ex qualitatibus elementalibus sympathiam eligunt & denominationem, & tales sunt omnes a Schola Paracelsica egressi, qui cum Medicam profiteantur artem, ab illis omnino recedo: nunquam enim Medicinam cognovi, illam præcipue quæ in Metallorum confectione versatur. Ideo cum alterius sit disceptationis illos recensere non valeo. Libet hic tantum opinionem Domini de Stella Medici acutissimi, meique amici jucundissimi, apponere, qui non taliter a Schola Paracelsica aberrat: ut quid illius in Sympathia nostra reluceat. Audiamus illum ore proprio loquentem.

Quamvis de corporum cælestium sympathia cum inferioribus, quomodoque illa in hæc influant, hæc vero illorum influentias recipiant, supra dictum sit: ad majorem tamen illorum quæ proposita sunt & clariorem intelligentiam, non inutile fortasse aut a ratione alienum fuerit, exactius paulo philosophari, & pervicaciori

mentis acumine causas & effectus naturæ perscrutari. Neminem esse arbitrantes qui non credat formas inferiores a formis superioribus affici, nullumque animal, nullum movens, nullum sentiens aut vegetans sub hac Lunæ Sphæra posse reperiri, quod non aliquam intelligentiam, aliquam stellam sibi præpositam, & quasi præsidentem, a qua vires suas, virtutes & proprias facultates sortiatur, obtinuerit a prima mundi creatione: quod ut clarius eluceſcat, rationes aliquas in lucem liceat nobis producere. Constans, firma & altis defixa radicibus in Astrologorum mentes inhæret opinio, unumquodque Zodiaci signum alicui corporis humani membro præesse, signis vero Zodiaci aliquem e Planetis: Exempli gratia Arietem cælestem capiti humano, Arieti vero Martem, hunc autem Ferro inter Metalla. Sic Taurum collo, Tauro Venerem, Venerem Cupro, & cæt. Hanc Sympathiam & harmoniam qui perfectius exploratam notamque habuerit, is demum quæ remedia unicuique corporis membro conveniant, quæ sumenda, quæque admovenda sint, quando purgationi, quando sanguinis missioni locus fuerit, sagaci & prudenti judicio assequetur, morborumque & affectuum tam internorum quam externorum causas, origines, signa, nec non remedia specifica & maxime propria adinveniet, præsertim

si

si salium diversam variamque naturam, formam & proprietatem noverit, ab ipsa potius experientia quam ratiocinatione dubia & incerta petendam. Sic enim intelliget in tota rerum natura nihil corrosivum reperiri præter salia: quorum ut diversæ sunt species, sic etiam diversi & varii mirandique effectus, inter quos (majoris notitiæ gratia) in medium si liceat producere aliquos: Quis aquarum stygiarum (quas vulgus fortes appellat) stupendos & omni admiratione dignos effectus non mirabitur? Quis aquam regiam auri corpus & solidius & longe perfectius in aquam liquidam dissolvere suspicabitur? Argenti vero substantiam intactam & integram relinquere: licet aurum tanto sit præstantius, magis fixum & constans ipso Argento, quanto Sol ipsa Luna præcellat? Et contra quis non mirabitur aquam separationis Argentum & Cuprum in aquam reducere, Auri vero (quatenus purum fuerit) corpus nec aggredi nec dissolvere? Quis præterea sine stupore (solifici fulminis seu fulminei solis, hoc est bombardici pulveris auro purissimo sale Armeniaco & sale tartari conflati) violentum contra naturæ motum & fidem omnem superantem effectum intueri poterit. Qui omnes effectus cum a diversa & repugnante salium inter se & unicuique propria natura procedant in majore mundo, quis illam in-

minore, hoc est, homine non agnoscet; quandoquidem non absque ratione microcosmus dicatur, necesseque sit, eum majori in partibus suis respondere, si in toto respondeat: certoque constet illius excrementa, sudores, urinas, lacrimas, &c. salis naturam referre, quod fieri nunquam posset, si nulla in ipso salis potestas delitesceret: Cujus tam diversæ & variæ species reperiuntur potentia in hominis corpore, quam sunt in terra & aqua, a quib. in illo tot cutis apertionum, pustullarum, erosionum, Ulcerum denique species excitantur & producuntur, quam diversa sunt membra, diversæ & variæ Planetarum in illa influentiæ, & signorum Zodiaci dominia: quæ qui minus perspecta habuerit, is unum idemque remedium omnibus Ulceribus profuturum & admovendum credet, atque sic toto aberrabit cælo, vixque ulla curabit Ulcera, quod illis non propria, specifica & constellata remedia assumserit. Hoc nobis illustrandum exemplis. Diximus Martem capiti humano præesse, fingamus, aliquem noli me tangere cruciari, ejusque nasum totamque faciem luxuriante illo, corrodente & serpente ulcere exedi: Maligni hujus ulceris causam efficientem & materialem ad humoris melancolici exuperantem & sævientem malignitatem uno consensu atque ore referent Medici, quam (si subtilius philosopharentur

peni-

penitusque in naturæ penetralia introirent aut pervicaciori animo utriusque mundi inter se sympathiam atque harmoniam perviderent) ad salis Martis (quod Marti caput subsit humanum) separationem a suo balsamo, sulphure & Mercurio referendam judicarent, ab eoque curandi rationem & methodum auspicarentur, sicque icto a Scorpionib. ab iisdem remedium peterent, cum illis notum foret Ulcus hoc a sale calibino (hoc male Calepinum suum consultus Herardus, Dorvecis Calepinum vocat) procedere. Aliud si lubet adducamus, Ulcere (quem lupum plerique nominant) alicujus fibræ erodantur, undenam quæso efficacius, convenientiusque remedium petemus quam a Jovis sive Stanni oleo balsamoque dulci & constellato? quandoquidem Jupiter Sagitario, Sagitarius tibiis, Stanno Jupiter præsit? his paucis admonitus prudens minimeque malevolus lector, omnium Carcinomatum, scrophularum aliorumque Ulcerum curandorum rationalem minimeque fallacem methodum adinveniet, si salium a suis Metallis extractionem, eorumque cum signis Zodiaci, & signorum Zodiaci cum corporis humani membris sympathiam calluerit, sicque statim atque Ulcus aliquod offeretur, inspecta parte cui inhærebit, illico cui signo Zodiaci pars illa, cui Planetæ signum illius subsit, cui autem Metallo hic

Planeta

Planeta dominetur, qualeque tandem sal eligendum admovendumque fuerit, animo concipiet, atque Ulcerum curationem non temere, non eorum originis ignorantia, non remediorum confusione prudens aggredietur, capitisque Ulceribus & pudendorum olea Martis & Veneris, inter quos tanta est benevolentia, ut vix mente possit concipi: Colli & Ventris Ulceribus Veneris & Martis lacertorum vero & toracis Mercurii & Lunæ, tibiarum & pedum Jovis, & Saturni olea convenire percipiet, omnium autem corporis partium ulceribus, vitriolum & sulphur auri mederi: hujus enim tot tantasque virtutes sola testabitur experientia, ut vel solo tactu & illitu Ulcera quævis quantumvisque maligna, & quasi viva enecet, atque sanitati recipiendæ disponat.

Equidem ad Medicas artes, Metalla & eorum sales doctissime accommodavit, & sic Astrologiam Medicinæ connexuit, ut sorores uno eodemque partu egressæ conspiciantur. Tamen ad alia pergamus. Concedatur mihi inter tot tantosque viros quid ab aliis percepi hic apponere, & in re tam difficili & nova, curiosis aliqua donare. Certum est nomina Metallis imposita novissima non extare. Nam qui ab origine seculi nomina rerum imposuit, non casu, non absque lumine id fecisse credibile. Pater noster Adam rebus omnibus nomina concedens

cedens a divino afflatus spiritu subsequentis rei nomina propria omnibus tribuit, ut in singulis nominibus singulis impositis id considerari liceat. An Adamum etiam Metallis nomina imposuisse facillimum sit credere, cum Opificem universalem ob mundi ornatum, necessitatemque etiam Metallica semina terræ concessisse credatur. Si in ente Naturæ erant, prout revera erant, nomina illis ab eorum essentiis & proprietate imposita fuisse, & juxta Naturam ptopriam effectus deinceps demonstrasse tenendum. Opinio ista â quibusdam Hebraicis Rabinis non absolute defenditur, qui in temporis spatio ab effectibus aliqua nomina ætatem aptasse dicunt, Adamumque universaliori-bus tantum, puta in genere nomina imposuisse, à quibus cætera tanquam ab illis formata deveniſſe tenent. Patres opinionem talem omnino rejiciunt, & negant. Nam si Deus Adæ injunxisset, ut generalia rerum nomina tantum imponeret, nil illi injunxisset, cum in illarum productione id factum fuisse ex sacris libris habeatur. *Produducat terra herbam virentem lignumque &c. Maria pisces:* & de singulis idem factum fuit: quæ cum ex se generalia nomina haberent, sequitur Adæ mandatum fuisse, particulare nomen, puta specificum, imponere, nempe ad divisionem rerum specificam (in genere animalis) dare specificum nomen, verbi gratia, equi, bovis, elephanti; ad herbas speci-

ſpecificum etiam, Cicutæ, Dictamni, Nardi, & ſic de cæteris. Minerale, nomen generale erat. In creatione univerſali tale genus extabat, Adam dividendo in ſpecies diviſit, puta Plumbum, Aurum, Argentum, & ſimilia juxta naturas eorum & qualitates: qui dehinc ſeqvuti fuerunt, nomina impoſita ab experientia comprobarunt. Tubal pater Canentium Cythara & organo peroptime in talibus Muſicalibus inſtrumentis componendis cognovit Metallorum eſſentiam & proprietatem. Tubalcain malleator & faber in cunctis ferri & æris operibus ſimiliter mixtionem Metallorum agnoviſſe fatendum: ſic & cæteros in mundi illo exordio ſequaces feciſſe creditur: Cum interioris naturæ ſecretis usque adeo quærendis & penetrandis vacarent. Et quid dubii quin Adam à Deo omni ſcientiarum genere imbutus etiam Metallica ſecreta ſciverit? Aſtrologiam etiam, Aſtronomiam, & cætera? Ante diluvium Aſtrolog. vigebat. Tertio vero poſt diluvium anno Jonicus 4. Noe filius (poſt egreſſionem ab arca filios habuiſſe ex ſcriptura ſacra apparet) Aſtronomiam revocavit, & futura multa Nembrotho prædixit de 4. Regnorum ortu & occaſu, eique modum regnandi demonſtravit: cujus doctrinam & inventionem ſequuti ſunt Aſſyrii, qui ex naturali ſitu ſuæ Regionis cælum nudum & undique apertum (ubi ſyderum motus recte videbant) obſer-

observaverunt, inde Caldæi & Ægyptii. Ideo naturam Planetarum & eorum qualitates observantes, interiorem investigationem facientes, facillima fuit illorum ad inferiora exacta cognitio, & quæ ad Metalla esset cognatio repererunt, quæ postea longa temporis serie sub velamine posteris reliquerunt. Hebræi, Caldæi, Ægyptii, Arabes, Græci & cæteræ Nationes multa de Metallis adnotaverunt, multaque sub illorum Metaphoris de Planetis scripserunt. Ægyptii in illis Columnis sub Hieroglyficis sacrisque litteris secretiora occultabant. Græci & aliæ Nationes Ægyptias figuras non tutas omnino cognoscentes viam aliam tutiorem & secretiorem repererunt, qua mediante sub figuris & parabolis loquutiones extantes extra aliud quam intus audientibus appareret, ita occultarunt, ut videntes non viderent, & audientes nil audirent: qui occultandi modus usque modo fere apud Patres novissimos nostros perduravit, ut in Platonicis scriptis apparet. Quid avis multis coloribus ornata & aëre onusta ab Ægyptiis in Hifilii Praxiomata notata, nisi Metallorum Metamorphosis? Quid Pisces mortui in propria aqua revivificati ab Hersilio Athenienſi in sua Metamorphosi, nisi Metallorum constructio? Quid denique aqua ignem comburens, mortuosque vivificans apud Raybatem Indum in itinere quadraginta septem Hebdomadarum, nisi

corru-

corruptio & vivificatio Metallorum? Ecce sapientes illos sapienter agentes nomina Metallorum sub velamentis & occultis nominibus occultasse videmus. Quæ vero noviſſima & vulgaria apparent, nonne idem demonstrant & innuunt? Quid fabulosa Martis & Veneris conjunctio, quos Sole nuntiante Vulcanus ferri reticulis prehendit? Secretum ibi in Chymicis notiſſimum apparet. Quid Aurei Velleris acquisitio? Quid cæteræ hujusmodi fictiones in vulgatiſſimis libris extantes? Videmus jam Metallorum a Planetis nomina non noviſſima esse, neque Chymisticum figmentum. Quænam ratio cur à propriis Planetis nominentur, quærendum, ut veritate comperta veram illorum Sympathiam eliciamus.

Plumbum à Saturno nomen accepit, qua causa? modo quæramus. Saturnus Planeta, cæteris altior, & primus post octavam Sphæram, multum à centro terræ distans, in motu tardus, parum de suo influxu aliis tribuere valet, gravis, tristis & niger existit, filios devorans, senex & infortunium majus ab Astrologis vocatur: difficulter enim semper operatur. Quæramus similitudinem cum Plumbo, ut inde Sympathiam eliciamus. Plumbum cum sit Metallum imperfectiſſimum, non vere & proprie Metallum dici potest, quia nondum in suam perfectionem per sufficientem concoctionem devenit. Ita à Chymicis appellatur. Multa

enim

enim humiditate illud abundare conſpicitur, ideo ponderoſius cæteris, auro & vivo Argento exceptis. Tardum propterea in quavis operatione apparet, colore ſubcinericio, triſti, ac prope terreo præditum. Filios devorat, nempe cætera Metalla deſtruit & rodit, Argento & auro exceptis: nam Saturnum ſolos maſculos devoraſſe fabulantur. Aurum & Argentum, licet non totaliter fœminina natura prædita ſint, tamen gemellos vocamus, cum Soli & Lunæ ſint dicata: Sol enim & Luna uno eodemque temporis momento fuerunt producti, duo Luminaria, majus & minus fecit Deus, in qua productione non apparet differentia temporis, ideo gemelli à ſecretis Theologis vocantur. Saturnus omnes Planetas conturbat & confundit, quando illis eſt conjunctus, Sole & Luna exceptis: tamen bonam illorum naturam deſtruere conatur & cupit, impeditus tamen non omnino deſtruit, ut in cæteris, ſed ne totam bonitatem demonſtrent, impedit: fortis exiſtens, non impedit tantum, ſed illos inficiendo, partes debiliores in aſpectibus deſtruit. Plumbum applicatum Auro & Argento, ſi validum in examine extat, & ſi totales illorum partes deſtruere non valeat, aliquas tamen partes intactas non relinquit. Saturnus majus infortunium ab Aſtrologis nuncupatur, quia in quovis cœli cardine exiſtens, aliis Planetis mixtus, ſemper malam demonſtrat

qualitatem & naturam, insuper aliorum bonam impedit & destruit. Plumbum, Metallum impurum & noxium à Chymicis tenetur, quia cuicumque associatur nunquam bonam operationem efficit & bonam Metallorum naturam occupat & destruit, immo ex summa illius humiditate, ubicumque miscetur aliquo artificio, inde extrahi non potest adeo complete, quin aliqua parte suæ imperfectionis alia imbuat. Saturnus similiter ubicumque existit, haut impediri potest, quin omnino malas operationes demonstret. Plumbum cum aliis Metallis privative & nihilative agit: pari passu Saturnus cum cæteris Planetis suam malignitatem exercet. Præterea, ut aliqua non communia simul annectamus, Saturnus Terræ filius nuncupatur, quia inter Saturnum & Terram multæ numerantur similitudines: cæteris relictis plumbi colorem tantum pro nostra Sympathia elegimus, si ex Plumbo colorem habet, quid mirum si ipsummet Plumbum Saturnum appellamus? Saturnus crassior & tardior cæteris Planetis, Plumbum cæteris Metallis crassius & impurius extat. Si Saturnus Marti configuretur, nonne odiosa ista configuratio? eo magis in Signis violentis domibusque cadentibus. Plumbum mixtum ferro (a Marte denominationem tenenti) amarissimam illam compositionem a Chymicis maledictam appellatam efficit: de-

ſtructio nempe metallorum exiſtit: magis vero ſi igni vehementiori addatur, omnia Metalla in ſcoriam & cinem confundet. Et ut huic ſimilitudini finem imponamus, & Sympathiam eligamus, addam, quod cum Saturnus ex Signis Zodiaci Aquarium & Capricornum poſſideat, quorum unum calidum & ſiccum extat, alterum vero humidum & frigidum: in illo gaudet, in alio minime: primum opponitur Leoni ſigno Solis, ſecundum Cancro ſigno Lunæ: quæ ſimilitudo ſimillima. Nonne enim Plumbum ex humiditate & frigiditate Aquario, ex qualitate Sulphuris continentis Capricorno correſpondet? Duæ iſtæ Plumbi qualitates duorum aliorum Metallorum contraponuntur qualitatibus, & eis officiunt. Nam cum Aurum Soli, Argentum Lunæ correſpondeat, Si Plumbum ex qualitate frigida & humida Soli contrarias qualitates poſſidenti miſceatur, confundit & deturpat. Si ex qualitate frigida & ſicca Lunæ, contrarias, nempe humidas & frigidas tenenti unitur, peſſimam facit mixtionem, immo deſtructionem demonſtrat. Quid plura? Si Saturni ſidus a plumbo ſuum colorem mutuatur, nonne Sympathia ex ſimilitudine judicanda? Similitudo namque generat amorem, amor vero ex mutata benevolentia Sympathiam gignit. Concludendum ex Plumbi mollitie, quod cum inter Me-

talla sit facillimæ fusionis, imo subitæ, & absque ignitione, a suo Planeta talem naturam accepisse fatendum. Nam Saturnus filios tantum mares devorare dicitur, femellas vero conservare: nam individua corrumpens, in terram redacta maternis visceribus concedit. Quid subita illa Plumbi fusio, nisi propriæ speciei resolutio? Tamen suum principium, terræ nempe partes, semper intactum demonstrat.

At aliam quærendam similitudinem properamus & Sympathiam. Stannum Jovi assimilatur, & similitudo talis Sympathiam demonstrat. Tale Metallum ex aliquibus qualitatibus parum a Plumbo elongatum, merito Jovi immediate post Saturnum existenti assimilatur. Alchimistæ Plumbum album, Stannum appellant, cum ex mollitie parum a Plumbo differat, licet scoriosum non persimile videatur. Jupiter ex ærea qualitate albus extat, immo ejus stella non rubicunda, sed potius ad albedinem tendit. Jupiter Saturni filius in Græcis allegoriis appellatur: nihilominus filius Patri restitit, bellum gessit, superavit & ejecit. Stannum ut a Plumbo ex qualitatibus deveniens, semper illud in quavis Chymica operatione oppugnat, & resistit, imo ambobus simul unitis Stannum suas vires majores demonstrat, & Plumbo obest. Jupiter benignus extat, non malignam habet Naturam ubi-

cum-

cumque in Cœli configuratione reperitur, semper bonum & majus fortunium nuncupatur. Tamen si per copulationem alterius noxii occupatur, non destruitur: solummodo debilitatur. Imo si junctus Saturno suas vires omnino debilitat, malam illius qualitatem mitigat: Si vero etiam fortior illo conspicitur, destruit. Quæramus in Stanno & Plumbo tales similitudines. Stannum semper in Chymicis bonum effectum producere videtur. Immo si peroptime tractatum fuerit, operationem omnino perfectam pariet. Et quod Plumbum per suam imperfectionem destrui apparet, per Stanni conjunctionem reparatur, ut in aliquibus mixtis operationibus Medicinalibus via Paracelsica conspicitur, prout in cordatis pulveribus per alterius operationem præparari aliquando conspexi. Jupiter numquam alios Planetas lædit immo in illorum situatione adjuvat & auget. Stannum in Metallis eundem effectum producit. Tandem (ne palinodiam recensere videar) idem & semper in similitudine Astrologica & Chymica apparet: nam quod Jupiter cum cæteris Planetis demonstrat, idem per similitudinem Stannum cum cæteris Metallis producere videtur. Illud non tacendum per similitudinem experimento comprobatam. Jupiter junctus Lunæ, vel in quavis configuratione illam aspiciens, qualitates

illius & radiationes conatur auferre, destruere, vel saltem per contrarias oppositas qualitates mitigare, ut ex illorum contrariis qualitatibus considerati demonstrabitur. Stannum ex se perfectissimum in suo genere extat, junctum in quavis minima quantitate Lunæ sive Argento, adeo ipsum confundit & alterat, ut omnino tractari haud valeat. Ecce ex qualitatibus, ex accidentibus, ex operationibus multis, similitudinis demonstrationem. Videamus modo si ex dictis per allegoriam & occultam Philosophiam aliqua altioris considerationis percipere valebimus. Danaes mixtionem consideremus, & Jovem in aurea pluvia descendisse, æquali passu Stanno convenire reperiemus. Saturnus, si Solem aspexerit, ipsum lædit, Jupiter illum exaltat & fortificat. Plumbum aurum destruit, Stannum illud purgat, & nitidius reddit. Tali namque demonstratione Danes Allegoria innotescet. Quid conjunctio Lædæ par Cycnum, nisi Stanni cum Argento? Sed clare demonstrando, quæramus particularia.

Talem occasionem nactus breviſſime me excusare desidero: nam si aliquis nasutulus odorem Astrologiæ nauseabundus senserit, vereor ne me culpæ latæ insimulet & accuset: cum in terminis Astrologiæ diu me immorari conspiciet, Planetarum testimonio in cœlorum figuris utendo,

Equi-

Equidem talem culpam revoco, non enim Astrologiæ fidem omnino absolute præsto, nec illius testimonio ad mea scripta utor, nisi prout ad similitudinem Metallorum aliquam Sympathiam percipere possum. Quanti Astrologiæ judicium apud me valebat, ultimo loco Cap. ex illius confutatione apparebit. Pro nunc nasutulos admonere volo, ut usque illuc bono odore cerebrum corroborent, ut inde ex nausea non stomachisent, & in memoriam revocent (si tamen tantum valent & sapiunt,) omnia munda mundis. Ad nostri Stanni cum Jove similitudinem redeamus. Si Iuppiter cum Venere fuerit associatus in quavis cœli configuratione, reddit ad amorem proclivem, ex humorum & qualitatum mixtione. Ideo dum Europæ amore frui voluit, Tauri speciem assumpsisse legimus, quod animal Veneris in Zodiaco est signum. Stannum æri mixtum in metallicis, optima mixtio tenetur. Si Jupiter Marti fuerit associatus, ex qualitatibus illis mixtis reddit ardentes, & iracundiam excitat. Stannum junctum Ferro, unionem fortissimam efficit, & quæ numquam permisceri valet. Si per omnes Jovis conjunctiones percurrimus, eadem similitudo semper apparebit. Ideo Sympathiam ex illa nobis elicere concedatur, cum ex unione effectuum a causis æqualibus devenire apertissime conspicitur. Modo ad aliam

tranſeamus, ut aliis cognitis noviſſimam Sympathiam videamus.

Ferrum, Metallum duriſſimum terreumque, Marti Planetæ ex denominatione dicatum. Talem denominationem non caſu illi impoſitam fuiſſe credendum. Primo igitur aliqua ex Chymicis ſimilitudo eligatur, dehinc per proprietates eorum Sympathiam cognoſcamus. Ferrum in fuſionem non reducitur facili via, prout in aliis Metallis videmus, ſed maxime vigore ignis & longo tempore: tamen igneſcit facillime, eoque commodius tractari & malleari poteſt. Mars Planeta ex qualitate calidus & ſiccus in exceſſu: non facile illius qualitates percipi poſſunt, & cum per ſe exiſtant, minime cognoſcuntur, ideoque difficillime mitigari valent. Via tamen cognitiva ſe demonſtrat, quando Soli fuerit in debito & bono aſpectu configuratus. Ex Ferro tinctura elicitur ad cæterorum Metallorum præparationem peroptime accommodandam, ex qua Magiſterium efficitur non ſolum tingens, ſed etiam aliis ingreſſum donans. Mars ſi per ſe ſolus reperiatur lædit, ſi ex ipſo per illius aſpectus electiones accipiantur, multum ad exactam aliorum Planetarum fortificationem conducit. Immo junctus cuique ſigno, illud in ſuo ſignificatu fortificat, adeo & per ſe, & per alios validiſſimum ſe oſtendit. Mars Planeta cum cæteris

teris Planetis junctus maxime noxius extat, tamen cum Venere deponens suam malitiam & pessimam naturam, bonam conjunctionem efficit, ut paulo inferius per demonstrationem rationem reddemus. Ferrum in aliis Metallis conjunctionem minime facit, junctum æri, nil melius videri potest, imo ambo ista Metalla per aquas separationis separata, simul deinde mista sic uniuntur, ut divisio nulla appareat. Nonne ex Marte & Venere Cupidinem natum fabulantur? Allegoria patet ex conjunctione istorum duorum Metallorum. Mixtio illa eligitur quæ a Chymicis pro illorum luxu & delectu habetur. Ex illa namque augmentum majoris Solis posse fieri autumant. Equidem inter hæc duo Metalla verissimam Sympathiam inesse conspicitur. Mars & Venus in qualitatibus omnino differunt: nam ille calidus & siccus, frigida & humida ista: tamen ut contraria communicant simul, adeo ut ex contrarietate Sympathiam illorum cognoscamus. In aliquo cœli themathe si qua illorum conjunctio reperiatur, optimam nati complexionem efficiunt, & generationis & nutritionis temperatissimæ naturæ maximam vim inferunt, cum qualitates unius ad contrarias alterius temperandas accommodandasque, tanquam agens & patiens permultum intendant: Vehemens ardor Martis ab humiditate

Veneris mitigatur, Veneris frigus a calore Martis temperatur, adeo ut ad omnia vitalia munera obeunda peroptime aptentur, & sic qualitatum oppositio non sibi invicem contrariatur, immo sese mutuo adjuvat & accommodat. Ecce consimilitudo Metallorum ferri & æris. Ferrum calidissimæ naturæ, æs frigidæ: contrariæ qualitates tamen in operationibus Chymicis: istæ duæ contrariæ & oppositæ qualitates ad invicem se adjuvant quia unius contrariam alterius moderat naturam, & via occulta adeo imitatrices se demonstrant, ut una in alteram effective & productive agat, agensque & patiens dicantur: ambo tamen ut Planetæ. Nam in habentibus symbolum facilis est transitus. Nonne in fusione æris ubi frustum ferri extaret, numquam fusionem sentiret? Ecce Sympathia: nonne in operationibus æris nihil fieri potest nisi tinctura ferri mediante? Sympathia equidem apertissima, cum æquo passu cum Planetis incedat. Signum Martis Scorpio, si Scorpionem ex Ferro configuraveris, alios mortuos vivificare per tactum dicunt. Tamen mortuos omnino vivificare posse minime credo, sed pæne ex frigore extinctos in vigorem reduci ex ferri qualitate id fieri præsumo. Sydus Martis ignito ferro simile conspicitur, ut intuenti patet. Similitudines igitur & Sympathiam Ferri ad Martem cognovimus.

mus. Si in sequentibus Metallis, talia repererimus, veram illorum Sympathiam nullus negare valebit a nobis esse repertam, ac facili Methodo demonstratam.

Quæramus modo Auri ad Solem similitudinem & Sympathiam. Et quidem quoad Similitudinem, haud difficilis erit, cum similitudines illorum ad invicem coincidant, & inter se conveniant. Sol Planeta, Mundi Lumen, Cœli oculus (equidem Cœlum animal seipsum movens dicitur) medius Planetarum consistens: & prope infinitis aliis epithetis ab antiquis decoratus, quæ suo loco latius dicentur ac declarabuntur. Et quidem omnia pene de Auro Metallo analogice predicari censentur. Hæc non vulgaria vulgaribus damus, neque communia sequentes, sed ad interiora occultaque properantes, veram & propriam Sympathiam in illis invenire debemus, ut non per foramina ut dicunt, sed per januam introire conspiciamur. Motus Solis cum annualis consistat, non longo ut Saturnus, neque brevi ut Luna spatio cursum conficit, sed medium respectu temporis tenet motum. Medium quoque inter Erraticas locum sortitus est, adeo ut ex ipsius motu & virtute omnia inferiora ita & taliter nutriantur & vegetentur, ut quando per accidens illius cessat color, cuncta quasi mortua & infirma appareant, velut in illius eclypsi conspicitur, & formidolose

aliquo-

aliquorum infortunium expectatur: quare cum sit medius Planetarum, vim & virtutem talem Auro per Sympathiam tribuit. Aurum inter Metalla medium, & in virtute & in qualitate dicitur, non adeo difficilis fusionis ut æs & ferrum, neque adeo facilis sine ignitione ut Plumbum & Stannum. Sol non ab alio Planeta nisi a Luna officitur, quando per illius interpositionem lumine privatur: non tamen privatur, sed ne ad inferiora descendat, impeditur. Nihilominus Luna a Sole ab una parte lumen recipit & illuminatur. Aurum a nullo ex Metallis majus impedimentum sentit quam ab Argento, Metallo Lunæ proprio: nam perminima pars argenti auro mixta adeo illud obtenebrat, & proprio colore privat, ut non amplius auri partes appareant. Nihilominus Argentum in tali actione Auro unitum qualitates proprias auget, quod in cæteris Metallis haud conspicitur. Nullum Metallum totales Auri partes dirimit & obnubilat, Luna excepta: ratio patet, cum sit illi proxima in substantia: nam bene disposita & accommodata, album Aurum aliquando appellatur, & aurum ex illa elicitur, ut demonstravimus. Sol non essentiale, sed apparens detrimentum a Luna recipit, non in seipso, sed in lumine, quod ne ad nos perveniat impeditur: ideo nobis potius obest quam illi. Aurum pari via nullum

nocu-

nocumentum ab Argento in se recipit, quia per abstractionem mixtorum idem remanet, de sua substantia nihil perdit neque de qualitate, sed potius possidenti obest, cum ab illo in tali existente accidente nullum juvamen sentire valeat. Sol in ariete existens in sua exaltatione manet, in Libra vero in detrimento. Aries signum Martis, ferri Planetæ: Libra signum Veneris, Æris Planetæ: Ecce Sympathia. Aurum in tinctura ferri exaltatur & augetur. In ære deprimitur & est in casu, quia quemadmodum per Crocum Martis augmentum in pondere (cæteris dispositis) acquirit, sic per mixturam æris ratione sulphuris decrescit, & minuitur. Nonne Leo est signum Solis? Nonne Leo ab Ægyptiis Hieroglificum custodiæ habetur? Aurum custos omnium universaliſſimus. Tanta & talis inter Solem & Aurum extat Sympathia & similitudo, ut ipso Sole clarior appareat. Sed ut quædam curiosis digna dicamus, ad antiquitatem recurramus. Sol ab Hebræis Semes appellatur, quod proprium interpretatur, proprium inquam, cum talis proprietas omnibus prodesse & propitiari possit. Nonne aurum protector & propitiator merito dicitur? Ab Assyriis Sol Adad, id est solus nuncupatur, quia solus & per se agit, & non agitatur. Aurum simili modo universa agit, ipse vero permanens ubique reperi-

peritur. Solis lumen, cum non accidentale, sed proprie & per se illi insit, quemadmodum & in cæteris astris, tamen illo existente tanquam nobiliore cætera lumina cedere coguntur. Aurum non aliunde nisi ab una eademque materia cæterorum Metallorum originem trahit, nihilominus cætera Metalla illi tanquam nobiliori Metallo cedunt. Nullius hominis oculus consistere valet, ne in tantillo quidem intervallo (extra obstacula) ad Solis intuitum, multo minus si in auge fuerit, nisi per medium diafanum, ut per aquas, oleum, vitrum & similia, vel & melius per parvum foramen in aliquo corpore opaco existens, per quod visio remissa ad corpus solare perveniat: aliter ab excellente sensibili visus sensim cæcutiret, & durare minime posset. Aurum ignitum quis oculus aspicere constanter & fixe valeret, quin statim parvo temporis intervallo (obstaculis omnibus demptis) lumen non perderet? In cæteris corporibus cælestibus id fieri facillime permittitur, cum lux illa sit adinstar tenebrarum respectu Solis, quo apparente disparent & fugiunt. Ideo facilis erit illorum intuitus, quod non similiter de aliis Metallis percussione visibili accidit, cum virtus fortissima non consistat in igne, sed in corpore ignito, quæ licet effectum percussionis visus producant, tamen non immediate ut Aurum

igni-

ignitum, sed mediate temporis intervallo, quam experientiam ut nullus hominum tentet desidero.

Aurum igitur erit Solis simulacrum, & concludendo ab effectu demonstrativo, Oriens vel Occidens Sol aureo colore se induit, ut tali colore imbutus omnibus patefaciat Aurum suum esse operimentum, & proprium nomen illi concessisse. Quemadmodum vero in ista, sic in cæteris partibus similitudinem & Sympathiam inesse conspicitur. Reticenda non est mira & singularis Solis & Auri Sympathia, paucis credo adhuc cognita. Ex purissimo Auro puluis fulminalis componitur adeo affabre confectus, ut in minima quantitate majorem vim possideat, quasi in deculpo alterius communis ex sulphure nitroque confecti: una drachma istius de auro, æquipollet uni libræ communis, impetum emittens & strepitum cum majori boatu & tumultu, immo & vehementiorem. Præterea ille communis ad ictum faciendum sursum naturaliter petit, iste de auro ratione naturæ gravis deorsum percutit, adeo ut aversus eam partem petat quæ sibi infra opponitur. Granum unum vel alterum supra aliquod corpus impositum si accendatur, adeo percutit & disperdit, ac si tormentum æneum impulsum fuisset. Isque modo nil ad Sympathiam. Quæ vero subinferam mirabilia auditu extant;

Pul-

Pulvis talis ex auro igne naturali non accenditur, calore tantum Solis resolvitur, licet calore ignis in debita proportione existente non desinat suas exercere potentias: tamen a calore Solis tanquam a suo naturali movetur & agitur. Quæ Sympathia nobilior? Experientia ipsa millies effectum demonstravit. Quomodo talis pulvis componitur & conficitur transcribere non libet, cum & difficillima sit via, tum ne talis operatio in manus pessimorum deveniat, & ad pessimas iniquasque actiones exercendas aptari possit. Quidam modernus licet de tali compositione scripserit, tamen non adeo clare exacteque, ut inde aliquid certi eliciatur, sancte tamen equidem optimeque peregit, laudandusque ac honorandus est. Huic Sympathiæ finem imponendo ad Venerem cum Ære pergamus.

Venus Planeta post Solem sequens, pro Metallo Æs possidet, & licet aliqui de Auricalco idem somnient, absurdissimum tamen omni ex parte videtur, cum non de Metallis mixtis denominatio fiat, sed de puris absolutisque. Aurichalcum mixtum Metallum, Æs vero purum. Sympathiam ergo quæramus de Ære ad Venerem. Primum dicemus, Venerem prope Solem extare, imo æquali fere motu incedere. Cuprum ex colore auro proximum, imo semper ex illo aliquæ partes auri eliciuntur. In Ære adest tinctura Metallorum inferiorum,

rum, in Venere adest virtus generativa & productiva in inferioribus: nam ubicumque Venus reperiatur, optimam configurationem efficit, & ex qualitate humida generativam virtutem tribuere est disposita. Æs Sulphuri mixtum novam efficit materiam, cujus virtus est proxima cæteris Metallis. Si Venus cum Planeta calidæ qualitatis conjuncta fuerit, effectum in actionibus majoribus producit, & ab Astrologis, (dummodo in proportione) una ex magnis apertionibus appellatur: quæ omnia si de plano considerentur, similitudinem adinvicem cognosces. Sed ad occultiora procedam. Duæ Veneres a sapientibus enumerantur, una in Cœlo sine matre, altera in Terra a parentibus orta productaque. Sapientes omnia, ut prædixi, sub velamine occultabant, mos utique peroptimus, ne Margaritæ non merentibus neque agnoscentibus concederentur. Duæ illæ Veneres licet a Stoicis diversimode quam a Platonicis considerentur, tamen simul a D. Augustino uniuntur: de cujus sententia Stoici loquuntur. Duas Civitates D. August. struit, cælestem nempe Hierusalem, & turpem Babylonem. Cælestis Venus sanctum & pudicum, terrena vero profanum parit amorem. A prima secunda dependet, & sine illa ullo pacto nequit subsistere. Quæ in terris versatur communis & vulgaris, quæ in cœlis antiquior

& nobilior. Prius equidem cælos firmatos fuisse ex sacris libris habetur, ecce antiquitas primæ. Arida post Cælorum formationem apparuit, & non statim elementata exstitere. Ideo Stoici Ætheream primam dixere, Æream secundam. Illam ex virtute diffusiva & productiva, Cælestem: istam ex humiditate & viscositate, Metallicam & Terream appellavere. Merito Aristophanes Philosophus Venerem appellabat Afroditem, cum in omni sexu, & in omni animante reperiatur, respectu illorum nominum jam dictorum: quod quidem a Cypriis non ignoratum fuit. Nam illam duplici sexu pingere solebant, barba nempe prolixa, & fœminea veste. Venerem a salsedine maris ex Iovis semine productam fuisse fabulantur. Æs similiter talem cum illa Sympathiam habet, quia æs faciliori via a Ferro producitur, tanquam natura humida Jovis cum calida Martis progrediatur. Dicunt Astrologi quod si Venus cum aliquibus ex signis Martis coincidat, puta Arietis vel Scorpionis, insignes Amorum efficit effectus, adeo ut mutuus amor in utrosque intendant. Si Æs cum Ferro junctum fuerit, indissolubilis omnino efficietur devinctio: in habentibus namque symbolum facilis transitus. In Profectionibus Venus semper auget motus respectu aliorum Planetarum. Eandem naturam æs demonstrat cum cæteris

Metallis, quia non solum auget & conduplat, verumetiam ex parte sui aliis tribuit pendere quod in se remanet. Virtus generandi, ut concludam, propria Veneris est: Æs virtutem generandi possidet, cum ex illa perfectissimum omnino absolute vitriolum producit, quod de cæteris Metallis minime effici potest. Addam pro conclusione quod a Joanne Pico Mirandulano accepi, & ipse ab uno Arabe se percepisse affirmavit, qui exacte & acutissime per centrum copulam Solis & Veneris adverterunt, maculam in Sole observasse: quod cum non sit facilis observationis, quia rarissima est Solis & Veneris conjunctio per centrum, nec sine summa difficultate percipi potest. Non casu tamen dictum fuisse præsumo, cum Æs in auro maculam relinquat, quando ignitum super illud imponitur. Igitur non similitudinem solum in effectibus cognoscimus, sed sympathiam inesse credimus. Ultimo pro conclusione dicam, quod si frusta æris in carnibus mortuis ponantur, illas a putredine præservant. Nam cum Venus virtutem generativam ex humiditate & caliditate habeat, generatio corruptioni est contraria: Ideo Metallum Veneris etiam a corruptione præservare valet, ut generationi suæ Planetæ non contrarietur. Sidus igitur Veneris omnibus ex partibus demonstratis Æri correspondet, ut aspicienti patebit.

Nunc ad Mercurii cum vivo Argento symbolum veniamus. Inter Planetas Nuntius currens & regens dicitur, inter Metalla vivum Argentum gubernans & regens, & non tantum currens, sed fluens dicitur. Sympathia inter hos est tam aperta & clara, ut de ea philosophari & investigare superfluum vanumque esset, cum non Philosophis tantum, sed parumper in Chymicis versatis pateat. Nos ex more pauca non communia subinferamus, ut Mercurium nostrum cælesti illi annectentes, veram cognationem cognoscamus. Poetæ fabulantur Mercurium ex Venere Androgeum generasse, duplici maris & fœminæ natura, Hermafroditum vulgo. Hoc tantum tetigisse sufficit, cum ubique fabulæ partes in Græcis libris versatis sint notæ: nos ad nostrum Mercurium Metallicum cum verissima similitudine omnia accommodabimus. Ex vivo Argento Metalla produci jam demonstravimus, & quanam via quove ordine tetigimus: pauca ad veritatem allegoriæ demonstrandam subinferam. Communis est Autorum opinio ex Sulphure & vivo Argento tanquam ex radice omnia Metalla constare: radix præparanda ut finis terminetur, si finis ut finis habet rationem optimi; ergo desiderandus. Sulphur & vivum Argentum sunt quæ ad finem tendunt, productio ipsa est finis operis: generatio sive productio est

finis

finis intentionalis Artificis, a quo opus derivatur: sequitur ergo, finem nobiliorem esse principiis. Sulphur in primis erat aqua qualitate humida & frigida, dehinc in ærem reducta acquisivit alias qualitates, nempe humidam & calidam: dehinc in ignem transivit, nempe in qualitatem siccam & calidam: ultimo ex aqua cum igne mixta fit temperatio, & ex illa habetur generatio, Androgei nempe. Ecce ex Venere natura prolifica, & in productione vivificans: ex Mercurii mixtione cum sulphure invisibili Androgeus natus est, fœmina & masculus, quia ex qualitatibus mixtis mixta datur productio Ideo non absolute sunt accipienda illa duo principia, Argentum vivum nempe & Sulphurus absolute Mineralia, sed quod ex ipsis minerale exiſtit, & in productione finis locum obtinere censetur. Ergo generationem Androgei a Græcis sub velamine cælestis Mercurii absconditam ad nostrum pertinere Mercurium cognoscimus, & similitudo, imo ipsamet rei cognitio partes concedit. Mercurium fratrem Veneris etiam esse fabulantur, non solum ex productione parentum, sed etiam quia ambo semper æquali fere motu incedunt. Vivum Argentum vere frater Æris dicitur, cum in quavis operatione solutiva statim ipsum amplectatur, ei uniatur, & sibi invicem copulentur, & ideo etiam eadem ratione ambo

matrimonio conjuncta veteres dixerunt; Sed ne modum generationis Metallorum in viſceribus terræ talem nactus occaſionem prætermittam, pauca, ſed nova producam, Sole in inferioribus agente per caliditatem terra calefit, & parte caloris remanente in ventre terræ, Sol iterum veniens reperit calorem in terra absconſum naturaliter ſibi perſimilem, ipſumque aſſumens iterum aſcendit & ſolvit aliquas partes aquæ occurentes in vapores; & vapores illi moventur aſcendendo ut calorem ſibi proportionatum acquirant. Deficiente Sole calor minuitur, & in aquas deſtillat, a quibus fit generatio, quæ ab humiditate exiſtente provenire dicitur, ut vivum Argentum ſive aqua illa craſſa diſponatur ad conceptionem Metallorum, & ex proprio ſulfure, ut jam ad ſenſum patet: tali enim pacto matrimonium cum Venere, natura nempe humida contraxiſſe fabulantur. Mercurium animarum ductorem eſſe dicunt. Vivum Argentum ductor formarum ad Metallorum ſpecies. Ecce modus. Vivum Argentum ſi per ſe exiſteret, mortuum eſſet, ut ſupra demonſtravimus, ideo cum Sulfure illo diſpoſito convenire oportet, adeo ut ſi partes proportionales adinvicem ſibi ſimul occurrant, ſtatim generatio aut ad Aurum vel Argentum, ſive ad quod aliud Metallum intercedit: tali namque medio ad generationem producendam

cendam ambo concurrere oportet, non ut inter se ulla via ulloque accidente dissentiant, sed proportione actuque mutuo dispositis concurrant simul, ut masculus & fœmina. Ignis & Aer sunt masculina, Aqua & Terra fœminina. Ignis masculus Aquæ. Aer masculus Terræ. Sed ignis non admiscetur terræ absque Aere medio, quia Aer est propinquus igni ratione suæ caliditatis, est vicinus terræ ratione suæ humiditatit: vera similitudo & Sympathia cum cælesti Mercurio, qui animas ad Orcum ducere fingitur: vere ad Orcum ducit noster Mercurius, vere in generatione efficiens semper existit. Sunt enim singulæ partes adeo inter se similes, ut luce clariores appareant. Sed finem huic Sympathiæ imponendo ad Lunam Argenteam accedamus.

Luna ultima inter Planetas, Argento Metallo denominationem tribuit, sed qua de causa hoc fiat disquisitione indiget. Luna a Sole lumen recipit, ipsaque opacum corpus habens, non aliunde nisi ab ipso Sole illuminatur. Argentum per se ratione sui individui nihil valeret, nisi ab Auro probationem reciperet: quo pacto hoc sit verum demonstrabo. Tinctura Solis non introducitur in aliquod Metallum sine mixtione aliquarum suarum partium: Nam licet aliquando aliquod Metallum extra tinctum appareat, in fusione tamen tinctura

ctura evaneſcit. Nam per veram ſubtiliationem corporis intus non penetraverat, oportet autem ut aliquas partes vere permanentes contineat, ut vera mixtio fiat. Luna per mixtionem ſive aſpectum Solis, tincturam, id eſt ſplendorem, recipit, & recipere nunquam valeret niſi a Sole tanquam per unionem aſpiceretur. Si vero Sol aliquando per proprios radios calorem aliis tribuit, non diu permanebit, quia corpus non penetrant, ſed tantummodo ab extra exiſtunt, quia radii Solis non ſunt de illius eſſentia, ſed ab illius lumine tanquam a ſplendore proveniunt. Luna a Sapientibus mater Planetarum vocatur quia ſuperiorum Planetarum influxus velut ſemina in ſe copulat. Argentum mater aliorum Metallorum dicitur, quia per proprias qualitates omnia Metalla virtualiter continet. Nam ad transmutationem, alterationem & productionem, argentum directe vel indirecte tanquam primum agens neceſſario concurrere debet. Et quamvis Luna ſit ultima Planetarum, nihilominus quando cum Sole in medio exiſtente communicat, cum cæteris planetis etiam communicare videtur: nam cæteri Planetæ cum a Sole participent, quandocumque cum Sole junguntur, ſemper vivifica replentur virtute. Argentum ſemper cum auro communicat, & mediante auro cum cæteris Metallis, quia per illius

mixtio-

mixtionem semper aliquam novam operationem efficit, & causa mediate fere omnium operationum Chymicarum dicitur. Luna magis Planeta dicitur quam alii, quia Lunæ decreta magis quam aliorum Planetarum attenduntur. Argentum ex dictis idem demonstrat, quia cæteris Metallis illud præeminet, auro excepto, sicut Luna in omnibus Planetis Sole exepto. Nonne Luna variat magis in motu? Argentum variat plus quam cætera Metalla. Non loquor de qualitatibus, quia ex tali similitudine Sympathia vera apparet. Alter Sol Luna a quibusdam nominatur, nam ea quæ Sol vi masculina superius operatur, Luna ipsius & aliorum Planetarum fætus suscipiens, inferiori mundo sibi vicino edit, ideo illius motus præ cæteris observatur, quasi omnium conceptum pariens. A Mercurio vim humores commiscentem, a Venere eam quæ conducit ad formas genituræ convenientes, a Marte vim & inspectum, a Jove fomentum rerum omnium & naturalem spiritum, a Saturno compaginum stabilitatem, tandem a Sole qui omnimodam virtutem continet, omnia productiva, & lumen accipit, & omnia pro sua varia complexione demonstrat, & aliis ad cognoscendum præbet. Modo est in Auge, nunc depressa, nunc in extremo sui epicycli distat ab eo: nunc luminis plena, nunc media, nunc vix cernitur, ulti-

mo tandem penitus se occultat. Quæ omnia supremæ Lunæ accidentia, in Luna inferiori, puta Argento, si quæramus, non incongrue singula inveniemus. Primo igitur alter Sol, id est Aurum, nuncupari debet & potest, quia post illud omnium Metallorum est pretiosius & nobilius: aliquando etiam per fixationem in verum Aurum convertitur. A vivo Argento vim accipit tanquam a prima materia, ab Ære tincturam accidentalem, quæ dat ei formam ad alias introducendas (uta Chymicis percipitur) a calybe & ferro robur fixationis & rubedinis, a Stanno naturalem spiritum nempe corroborandi, & in aliam vertendi formam, a Plumbo gravedinem quæ resistentiæ est robur, ab Auro tandem tanquam omnia continente omnes virtutes, perfectiones, & fœcundarum causarum originem & fontem. Quo modo & qua via per Lunæ artificium ad has operationes cum his Metallis pervenitur, in Chymicis differuimus. Sed ne aliquid intactum in hac occasione relinquam, pauca sub brevitate transcurram.

Dixi jam corpora Mineralia esse de Natura terræ, cujus qualitas est frigida & sicca: dixi etiam quod quantitas ignis in illis est modica, quasi in potentia, puta ad gradum secundum: & quoniam junctæ simul istæ qualitates, aliquod generatum demonstrare valebunt, ideo de talibus principiis differen-

ferendum, ut concludam omnem Sympathiam Metallorum. Qualitas aquæ declarat qualitatem Mercurii, qui aqua viscosa realiter dicitur. Qualitas ignis declarat qualitatem Sulphuris, quod in rei veritate natura calida dicitur, Sulphur terræ nuncupata. Aqua illa viscosa cujus natura humida, si invenerit aliquam partem illius Sulphuris, ad invicem uniantur, & quantitas aquæ sit æqualis quantitati Sulphuris, vel ad quantitatem sufficientem ad eorum incorporationem, fit generatio Auri: si tamen decoctio fuerit per sufficientem calorem redacta: sin autem argentum juxta proportionem decoctionis, sic de singulis Metallis: tamen sciendum quod sulfur & vivum Argentum, sive natura illa humida & calida per se non subsisterent, nisi principium condensans, & materia præexistens essent in actu exercito, prout jam diximus. Aurum & Argentum igitur sunt prima Metalla per sufficientem concoctionem producta, meritoque ex illorum diversis qualitatibus cuncta generari dicuntur. Sol calidus, Luna humida: calido vescimur, humido nutrimur. Argentum igitur a Luna denominari per jam exactissimas similitudines merito dicimus, & sympathiam inde cognoscimus. Ad conclusionem hujus tractatus deveniendum, & cum sat prata biberint, claudere jam rivulos oportebit. Maculæ illæ in

Lu-

Lunæ corpore existentes numquam apparent, nec unquam videntur, nisi prope plenilunium vel in ipso plenilunio, & quando a Sole perfectissime ex illius capacitate illuminatur, quæ maculæ non aliunde nisi ab una parte Lunaris corporis conspiciuntur, prout demonstratione apparet, quia si in ambabus Lunæ partibus maculæ illæ apparerent, non opacum, sed luminosum esset corpus: lumen etiam remissum & debile emittit, tanquam ab alio commutuatum & acceptum, nec ut in Sole a quo per reflexionem recipit. Et quia lumen Solis non adeo intense ad totum corpus Lunare per reflexionem percutere potest, cum validam resistentiam ad reflexos radios non recipiat, ideo partes illæ quæ non validas radiorum percussiones sentiunt, maculas demonstrant. Non enim semper in eadem forma conspiciuntur, sed juxta consistentiam corporum. Hanc similitudinem omnimode ad argentum adaptare possumus, ut etiam ex isto accidente sympathiam videamus. Aurum numquam sic & taliter argentum tingere valet, ut omne corpus sit intus, extra, & ex omni parte perfecte tinctum, tanquam partes illæ quæ ab Auro tanguntur, dispositionem habeant, & non partes omnes tingit, sed maculas relinquit, quia non omnes argenti partes tincturam recipere valent ex mixtione naturæ humidæ, quæ calidæ

calidæ directe se opponens impedit actum introductionis, ut per experientiam in Chymicis apparet. Ideo per pulveres & cementationes totum corpus Argenti prius disponitur, deinc introducitur: quæ introductio minime perfecta fieri potest, nisi æquali proportione una simul ad similitudinem corporis Solis & Lunæ in plenilunio. Hæc pro Planetarum & Metallorum sympathia dixisse sufficiat, licet varia, tamen non omnino a veritate aliena. Equidem locus amœnus latusque diu præ amœnitate, & rerum variarum aspectu vagantes delectare solet.

De Sympathia Septem selectorum Lapidum ad Planetas.

Cap. VI.

Metalla non sympathiam modo, sed & cognationem cum lapidibus habere superioribus tractatibus demonstravimus: pari enim via, quæ inter illos sympathia & similitudo cum Planetis extat, ex accidentibus, qualitatibus & operationibus in præcedentibus satis abundè descripsimus. Investigandum nunc restat, quam similitudinem, quam nunc sympathiam lapides illi septem selecti à Balemi numerati, ad septem Planetas habeant, cum secundæ causæ, si aliquo modo ad productionem Mineralium aut Lapidum concurrant generaliter & absolute, non ad

septem

septem tantum selectos concurrere debeant, cum virtus semel unita & adjuncta supposito operari utique semper valeat, si tamen agenti absoluto suppositum alligatum non fuerit, tunc enim suppositi actio cessaret, & virtus opus suum minime exerceret: quando vero libera existit, & absolute potestatem suæ qualitatis exercet, ab accidente quovis nullo pacto impediri potest, quin suas non demonstret, ipsas exercendo, operationes. Accidentia nullo pacto in illa esse possunt, cum a naturali causa æque sint peroptime disposita. Si Planeta habet aliquas virtutes & qualitates, & illas absolute possidet, & ab omni prorsus impedimento alienus, demonstratione essentiali illas in inferioribus exercere potest & valet: alioquin nulla in illo consisteret virtus operativa: potentia quæ ad actum non reducitur, vana dicitur, prout est.

Quæramus nunc, si Planeta habet vim aliquam lapides gignendi, procreandique cur potius ad unum quam ad plures vis illa se extendit. Idem effectus ab una causa simili produci potest. Et cum jam demonstraverimus Lapides & Metalla ab uno eodemque principio provenire, posita virtute procreandi alicujus agentis, necesse erit ut procreationis effectus producatur. Sequens vero effectus demonstrat non esse adeo alligatam potentiam ex parte agentis sive

suppo-

suppositi, quin universaliter demonstret suam potentiam ad tale opus. Si Saturnus, ut dicunt Arabes, Turchesiam producit tanquam suum proprium lapidem, cur alios generare Lapides non potest? Virtus generativa & productiva Saturni estne tantum ad Turchesiam terminata? nonne Turchesia habet ipsamet principia in sua productione, quæ cæteri lapides habent, & a quibus dependent? Si habet, ut vere habet, cur Saturnus talem colorem in istam materiam cum opacitate introducit, & non alios colores & diafanitatem cum minima terræ parte? eo magis cum Saturnus in suis qualitatibus sit fortissimæ introductionis, & si unam formam introducere valeret, utique alias & multas ex suppositis jam adductis. Eadem igitur via, vi, & virtute alias qualitates introducere valeret in alias æque disposita, optimeque ordinatas materias. Si Turchesia esset Saturno propria, etiam Jovi & Marti esset, cæterisque Planetis, cum æqualem fere virtutem in inferioribus habeant. Si Mars habet vim in Smaragdo, haberet utique in Agatha, in Jaspide, & cæteris ejusdem qualitatis. Non obstant illorum rationes qui dicunt: Talis Planeta ex particulari vi & qualitate tantum in una materia potest demonstrare suum posse. Tunc enim absurdissima sequela appareret, quod posse secundarum causarum in propriis essen-

essentiis esset alligatum, & tantum in aliquibus speciebus specificis, non autem in aliis appareret: cuius contrarium demonstratur: Nam posse illorum æqualiter in quovis disposito agit & aptatur, ut in Astrologia videtur: tantum enim demonstrant in una conjunctione quantum in alia, nisi remissive vel alterative, prout natura conjuncti valet & potest: in productione nil aliud concurrit, nisi materia disposita, & agens ad operandum existens, quæ pro dispositione effectum demonstrant. Aliunde ergo septem illorum lapidum selectorum sympathiam cum Planetis quæramus & veram rationem demonstrabimus: nam si rationes Metaphysicas quæramus, non probabiliora producemus. Physicæ rationes ad mensurationem veram se accommodabunt.

Lapides igitur, cum virtutes vegetandi ex communi omnium oppinione habeant, vitam etiam habere erit necesse, & accidentibus vitalibus ut cætera viventia suppositos, ætatibus, senectutibus, depressionibus, infirmitatibus, ac denique etiam morti: Si enim vegetabili gaudent vita, quæ vegetabili insunt in illis esse debent, qualitates nempe elementales, calidum, siccum, humidum & frigidum: quæ qualitates eo magis & minus in quolibet eorum reperiuntur, quo magis & minus accedunt ad materiam tali qualitate præditam,

ditam, intendentem & remittentem ad eorum esse specificum : ut si multum de terra, etiam de fridigitate & siccitate habere est necesse : si plurimum de sulphure, plurimum de sicco & calido : sic de singulis mixtis & illorum qualitatibus, ut in quolibet lapide experientia videndum erit.

De qualitatibus Planetariis.

Cap. VII.

Nunc in abstracto considerandum, quomodo quatuor illæ formæ elementales Planetis insint, & si qualitates nuncupari possunt, prout in Elementis formæ nuncupantur. In Saturno frigiditatem extare apparet, in Jove homiditatem, in Marte rursus caliditatem exactam, in Sole temperatam caliditatem, in Venere humiditatem, in Mercurio frigiditatem, in Luna denique humiditatem, & in Planetis qualitates dicuntur. Ideo Planeta tali erit præditus qualitate, qualis in illius natura considerabitur. Saturnus natura frigidus in extremo, siccus ab effectu: Jupiter calidus & humidus temperate, Mars calidus & siccus in extremo : Sol calidus & siccus moderate, Venus frigida & humida temperate. Mercurius frigidus & siccus, Luna denique frigida & humida. Alicui elemento approximari censentur, prout illorum formæ in propria natura

sunt similes. Saturnus nempe terreus dicitur quia qualitate terræ est præditus. Iupiter aëreus, quia qualitate aëris est dotatus. Sic de Marte, & cæteris, quæ qualitates non sunt in Planetis formæ, sed natura. In elementis vero formæ, ut prædixi, dant esse rei, qualitates indicant essentiam. Corpora cælestia talibus prædita qualitatibus, non propterea accidentia aliqua aut passiones ex illis sentiunt, quia cum sint in continuo motu naturali & violento, vigilare perpetuo creduntur. Nam si ex qualitatibus propriis aliqua accidentia sentirent, non differrent ab inferioribus corporibus talibus etiam præditis qualitatibus, immo sic simul uniuntur & coincidunt, ut Armonia quædam ex eorum consensu & benevolentia mutua proveniat, quæ ex distantia locorum, vel potius ex assuefactione & usu minime sentitur. Sonus equidem cælestis & divinus ex concordantia cælestium corporum provenit, qua via, quove ordine satis perbelle a Pythagora elucidatur.

Cum igitur Planetæ elementalibus qualitatibus sint præditi, quicquid eis inest participare cum aliis concedendum, juxta eorum particularem potentiam & virtutem, & secundum quod unus cum alio contrariæ qualitatis magis aut minus se associaverit aut elanguerit, a quo diminutionem aut augmentum in propria qualitate recipiet.

piet. Hoc ſuppoſito, cujuslibet particularis natura conſideranda erit, & juxta illam quicquid valet & poteſt in quavis productione, utrum debilis vel fortis ad productionem exiſtat: ut cujuslibet poſſe cognito, veram cauſam particularis productionis videamus. Igitur a principaliori Planeta erit exordium. Sol, pater generationis, multas habere virtutes & proprietates videtur, nempe renovativam, nutritivam, conſervativam, perfectivam, diſcretivam, & alias. Renovationem habere dicitur, dum terræ poros aperit, & vegetandi potentiam ad actum ducit, & terræ ſuperficiem varietatibus ornat & veſtit. Nutritivam, quia ad interiora radicum & ſeminum propriis radiis penetrans, calore proprio terræ humiditatem diſſolvit, & virtute attractiva quod ſemini & radici eſt ſimile de illa attrahit, & illud in terra naſcentium nutrimentum convertit. Conſervativam, quia elementa contraria in propriis formis per Solis influentiam conciliantur. Perfectivam etiam virtutem habere dicitur, dum opus a natura incœptum perfectiſſime terminat. Diſcretivam, quia per lumen Solis colores omnes diſcernuntur, puta albedo in ſuo ſubjecto exiſtens medio aere qui ab ipſo illuminatur. Habet etiam ex motu radiorum virtutem calefactivam, inflammativam, & unctivam. Attrahit a mari fumos & vapo-

res ex forti impressione caloris radiorum, merito namque Pater generationis appellatur. Est enim (ut dicunt Cabalistæ) statera summi Principis, Mundi cœlestis & terrestris vera lux, & summi Dei exactissimum simulacrum: cujus Essentia Pater, Splendor Filius, Calor Spiritus sanctus: adeo ut Academici in Jamblico nihil certius & expressius habeant, ut divinam essentiam demonstrare valeant. Tanta enim consonantia Deo respondet, ut merito conspicuus Dei filius nuncupetur. In medio sedet, cæterisque luce, magnitudine ac pulcritudine imperat, illosque illuminare & decorare cernitur. Motus regularis actiones disponit, & qui supra & infra degunt, ab illius motu disponuntur, diurni, nocturni, meridionales, & cæteri hujusmodi ab illo nuncupantur. Et quemadmodum ipse noctis tenebras fugat, sic nocturnæ potentiæ ab ipso expelluntur, adeo ut appareant tanquam umbræ mortis, & catuli leonum Deo permittente escam quærentes, in illius ortu speluncis se abdicant, unde homo exit ad opus suum, & usque ad vesperam (in qua per discessum Solis tenebræ iterum apparent) in illo perseverat: Mundi rectorem Assyrii appellabant, quia absolutum imperium universorum demonstrat. Temporum auctor, diei, anni, frigoris, caloris, cæterarumque qualitatum administrator, sicut Ptolemeus ait,

cum

cum in alicujus ſtellæ locum devenerit, illius vim quam in aere habet excitat, ut cum Marte calorem, cum Saturno frigus, & ſic cum cæteris Planetis, ipſumque hominis ſpiritum animumque diſponit, unde comprobatur, tales motus ineſſe menti, quales ſingulis diebus Sol adferat. Merito Planetarum armoniam Macrobius appellat, quia ad illam perficiendam, medius exiſtens, idem in ſuo cœlo efficit, quod voce media cuilibet conceptui ad omnem generationem producendam ex ſua temperie ſumme diſpoſitus, agens optime commenſuratus juxta ſuum & concurrentium poſſe cuncta generans, attamen (ut particularia quædam certius loquamur) ſi aliquod accidens ex parte diſpoſiti inveniatur, nullo pacto actum productionis introducere valeret, non quidem ex ſui defectu, cum actus activorum debeat fieri in paſſo bene diſpoſito: Si v. gr. per virtutem Solis aliqua productiva actio in Metalla vel in Plantas introducatur, ibi aliqua accidentia, puta frigus in extremo, vel materia non ſufficiens exiſteret, tunc virtus ſolis remiſſa in tali actione non ſufficeret, reſpectu materiæ male ordinate, maleque diſpoſitæ: Nihilominus non a Sole impotentia derivatur, quemadmodum etiam omnia ſuperiora corpora ex illorum eſſentia, virtu-

te & qualitate eo modo agunt, quo subordinate ad illorum actionem decurrunt. Ideo qualitates elementales illi insunt, ut ex qualitatibus accidentia aliqua in subjecto materiæ per illarum operationes cognoscantur, ut summa frigiditas a Saturno, humiditas a Luna, siccitas a Marte, & sic de singulis. Et cum qualitatum diversitas cuique Planetæ particulariter & diversimode insit & existat non contrarietatem, sed unionem maximam, illis confert & affectum. Nam quæ contraria apparent ad alterius actionem multum prosunt & non impediunt. Qualitates frigidi & humidi, qualitates calidi & sicci contrariæ esse conspiciuntur: tamen in introductione formarum mutuo sibi auxiliantur, alterutri cedunt & in unum coalescunt & coeunt. Nam sola siccitas quid per se valeret absque humiditate? & quid frigiditas absque caliditate generare posset? ideo in unum coire oportet, ut actus procreationis ab illis eliciatur. Erit igitur inter illas mutua unio & concordantia. Sic etiam in propriis consistentiis ipsæmet qualitates absolutissime idem demonstrant, non solum ratione accidentis, verum etiam ratione loci; cum etsi elementa ignis & aër ex sua qualitate sive forma, superiora appetere debeant, & inferiora devitare, Terra vero & aqua e contra, inferiora nempe appetere, & superiora devitare, ex diversis

suis

suis formis, cum caliditas respectu suæ levitatis sursum tendat, frigiditas respectu suæ gravitatis centrum quærat: sæpe tamen in uno eodemque corpore permixtæ simul reperiuntur, & simul coincidunt, ut in mixtorum corporibus conspicitur, & paulo inferius, quando de singulis illorum Sympathiis tractabimus, demonstrabitur. In ista tamen occasione de mutua in homine illarum unione aliqua patefacienda erunt, cum elementa, etsi aliunde contrarietatem exercent, in homine tamen summa illorum unio, admirabilis concordia, & perfectissimus amor conspiciatur, adeo ut omnibus contrarietatibus & inimicitiis depositis, & discordiis sedatis compressisque in unum concorditer juncta ad perfectissimam illius compositi unionem influxerint, & corpus a quibusvis contrarietatibus liberum & solutum, corpori cælesti omni contrario carenti quodammodo simillimum construxerint: ideo forma intelligibili & æterna induitur, & ut cælestibus corporibus sit simillimum, etiam simili forma ornatur.

Homo igitur cum forma illa cælesti induitur, contrariam qualitatem illi ut possideat oportet. Forma cælestis subtilissima & leviſſima qualitate est prædita, Homo vero terreas, grosseas & graviores tenet: Illa sursum naturaliter unde venit petere tentat, iste centrum a quo origi-

nem sumpsit, quærit: Cæleſtis illa, terrenus iſte: Illa ærea, ignea & incorruptibilis: Iſte terreus & corruptibilis, & in ſuum principium convertibilis. Levitas igitur illi, gravedo iſti concedatur. Quæ ut per experientiam quotidianam omnibus pateant, demonſtratione demonſtrabo. Si quis ſurſum in cacumen aliquod aſcendere conaretur, ex corporis gravedine & terrena qualitate, difficilime & maximo cum labore id facere poſſet: Tamen interno affectu, & vi occulta alas deſiderat, & cacumen attingere anhelat: Quæ occulta virtus non aliunde niſi a forma illa intelligibili, puta anima immortali in corpore exiſtente & illud informante, procedit: quia cum leviſſima, & aërea exiſtat, ſuas ſedes ambit & deſiderat, tanquam proprium terminum, & quia a corporis gravedine veluti a carceribus retinetur, ſuum nequiens explere deſiderium, ſolo tantum interno affectu id deſiderat, & quod poteſt & valet, corpori cui juncta eſt auxiliatur, virtutem per ſenſus & corporis arterias diffundit, ipſumque adeo corroborat, ut defixum agitatumque compoſitum omni virtute repleat, & motui illius naturæ contrario vim conferat, juxtaque ſuum poſſe juvet.

In alio deinc motu, puta ad centrum diverſæ operationes conſpiciuntur, & apparent. Nam quando compoſitum, puta homo,

homo, deorsum descendit, & inferiora petit, in præcipitium se dare videtur, & adeo præceps currit, ut si a propria forma non moderaretur, numquam sisteret, & suo principio uniretur. Forma ergo sive anima interno affectu illum retinet & cohibet, quia contra proprium motum currit. Corpus suas exercens qualitates, etsi centrum quærit, tamen retinetur occulta aliqua vi, nempe animæ, quæ interius viget ac ipsum ab incæpto prohibet. Tunc enim cælestibus qualitatibus contrarias impedire conatur, & ut potest & valet, corpori, ut a rapidissimo & contrario suo motu desistat, manifestat & annuit: illa quia corporis carceribus recluſa tantum quod ei permissum est, operatur. Quando vero tempus corporis resolutionis advenit, a carceribus recluſa, libere tunc suas exercere qualitates, statim aëreas sedes petit, in cœlum volat, suamque propriam mansionem acquirit. Corpus vero a forma relictum profundum quærit, centrum petit, suoque principio, puta terræ unitur. Hæ sunt unionēs contrariæ compositi, quæ inter se semper & ubique junctæ ac consentientes conspiciuntur.

In Sphæris vero cælestibus tales qualitates adeo illis insunt, quatenus inferioribus deservire possunt: & cum sit conclusum per rationes adductas, qualitates Planetarias eo modo in inferiora influere,

prout talem effectum producere valent; juxta materiæ disposítionem. Verum antequam ulterius progrediar, cum de corporibus cælestibus sit inquisitio, aliqua de ipso Cœlo & ejus motu sub brevitate necessaria tangamus. Cœlum igitur, cum sit animal intellectuale, seipsum movens rationabiliter, spiritus vitæ in illo consistere videtur, qui spiritus intelligentia motrix appellatur, non in communi, sed in quolibet illius particulari orbe. De quorum numero cum variæ diversæque sint opinantium opiniones, illas tanquam minus necessarias recensendas esse non arbitror. Cœlos esse animata corpora, & per seipsos moveri consentaneum est: quia si a virtute extrinseca moverentur, accidentalis esset motus, & violentus, propterea que non diuturnus, ergo motus essentialis propriæ animæ regentis & moventis proprius: quam quidem animam tum ex Philosophorum, tum ex Patrum seu Scripturarum sacrarum testimonio extare compertum habemus, quod recolligere & adnotare superfluum foret, licet ab aliquibus probatissimorum Doctorum tam Græcorum, quam Latinorum opinio contraria sustineatur, nihilominus major eorum pars animam Cœli dat & esse affirmat. Tantum tres demonstrationes a Latinis desumptas describam, quarum prima erit: Illud quod est primum principium vivendi,

di, est viventium forma vel actus; anima est hujusmodi: anima ergo erit cælestium corporum forma vel actus. Hac syllogissandi forma, seu demonstrativa ratione a posteriori Aristot. usus est 2. de Anima, probando quamlibet animam esse physici corporis actum. Præterea perfectius corpus est cælum, ut patet, ideo illi perfectior forma debetur. Anima est omnium formarum perfectissima, ergo forma cœli ratione suæ perfectionis, qua movetur, intelligit, & vivit, est anima. Dari oportet (& tertio) medium nectens extremum, scilicet intellectum & corpus, medium namque dicitur, quod particeps est extremorum. Talis est anima, nam ex essentia particeps est æternitatis, ut purus nudusque intellectus: Opere vero particeps est temporis & motus, ut cætera entia corporea. Averroes secundo Cœli asserit animam cœli similem esse formæ naturali, & similem formæ abstractæ. Ex his igitur patet, animam motricem in Sphæris extare. An numerus æquipolleat Cælis, an in qualibet Sphæra singulæ reperiantur, adhuc longa extat disputatio: neque de motu triplici, naturali, violento, & trepidante differendum censeo, cum illos ex successione signorum, vel contra successionem provenire experientia demonstraverit, quia motus noni & octavi orbis simul conspirant, & a peritissimis in arte Magistris

ſtris longo temporis uſu cogniti fuerunt: non tamen Phyſicis demonſtrationibus comprobarunt, cum Mathematica a materia cuncta ſeparata, Phyſica vero quæ ſunt in materia deſideret. Ideo rejectis aliis opinionibus motum trepidantem & ejus cauſam demonſtrarunt: Ægyptiis confutatis, qui annorum quadraginta octo millia in ſua hiſtoria habere jactabantur. Nam falſitas aſſertionis ex contradictione apparet. Rejectis etiam Chaldæorum ludibriis, qui quadringentos ſeptuaginta mille annos in Nativitatibus ordinandis & complanandis ſe poſuiſſe affirmabant. Nam ex Laertii adnotatis clariſſime eorum vanitas ex Solis & Lunæ deliquiis computatur. Indorum fabulas rejiciunt de ſeptingentis millibus annis confutandis, & alia multa quæ ſomnia & ridicula apud illos videbantur. Tantum unum motum Cœlorum demonſtrant, & quemlibet Planetam ſuum proprium & accidentalem ex rapidiſſimo primi mobilis habere. Sic etiam de pluralitate & numero cœlorum: itidemque in Stellis diverſitatem motuum obſervarunt: modo in puncto æquinoctii ut Meto, modo in aliis ſequentibus gradibus, ut Imocrates, Hiparcus, Menelaus, Ptolemeus, Albatengus Alfonſus Rex, & Vernerus. Hucusque etiam ad annos præſentes in gradibus viginti novem fere Neoterici repererunt. Nec in Stellis dumtaxat hanc

varic-

varietatem adnotarunt, sed in Sole ipso eandem cognoverunt. Qua de re si particularis Planetæ motum considerare volumus, aliquas formas in quamvis materiam introduci minime posse reperiemus, cum opinantium varietas a recta decurrat, adeo ut in Venerem & Mercurium oppositionem deperisse dixerint, imo & Soli oppositos esse. Talem opinionem amplexus est ac defendit Ferrerius in libro de Judiciis Astrorum: nescio si ludendo ac joco potius quam serio hæc scripserit, cum nec Venus a Sole plus quam gradibus quadraginta octo, & Mercurius gradibus viginti novem elongetur.

Motus Erraticarum, etsi ratione velocitatis primi mobilis æquali gradu currunt, tamen in illorum peculiari motu variantur omnino, Saturnus tardus, Jupiter non tantum, Mars deinceps & sic de aliis. Frustra enim in iis adnotandis tempus consumeretur, cum per se pateant: qui etsi accidentia nobis appareant, nempe tardi, veloces, retrogradi, stationarii, & similes; tamen in propriis illorum Sphæris taliter non extant, & accidentia ulla non sentiunt, ex motu vero illorum nobis talia demonstrantur. Nam tarditas & velocitas alicujus Planetæ, ex proximitate vel longitudine ejus a terra provenit, cum ex successione Signorum defertur, vel quando contrario motu orbis fertur, ipse vero

semper

semper æqualem, eundemque tenet motum.

Caliditatem vero nullo medio in Planetis negare possumus, quæ etsi ex Natura, non tamen ex motu. Si ergo in introductione alicujus formæ calore indigeat, & productio absque calore non fiat, caliditatem ergo habere est confitendum; licet in aliquibus per se, in aliis per accidens, cum Arabibus tenemus. De Solis calore nihil differendum, cum per se absolute calefacere, non virtualiter, sed actu appareat. Solem insito sibi calore calefacere Albumaron scripsit, sed & formas elementales in Erraticis extare, respectu illorum, naturam quandam calidam, quandam frigidam, quandam humidam, quandam siccam. Quas qualitates singulas non alibi quam in terra tanquam in termino exercent, & eorum vires demonstrant. Et licet Terra omnium Elementorum infima ob ejus a Cœlo maximam distantiam, natura crassior, frigidior, & inferior existat, & minus quam cæteraElementa vitalem auram participet: nihilominus quia immobilis in centro undique hæret, & illius singulæ partes in centro firmissime, arctissimeque conjunguntur ac uniuntur: omnes radios Planetarum, Stellarum, & Corporum cælestium susçipit, & congredientes ac devenientes influxus, ac præter proprias virtutes, etiam alias trium Elementorum simul

in-

in eam deferentes, tanta bona concedunt temperata, ut in illa tot rerum varietates producantur ac appareant. Nam si amor in Elementis non consisteret, ex nimia sua fœcunditate aliorum trium Elementorum odium reciperet, & ab influendo desisterent. In ipsa namque omnia vegetabilia, intelligibilia, & sensibilia, homines nempe, bruta, & plantæ: omnia Metalla, omnes Lapides pretiosi, & denique omnia triplici viventia vita, in ipsa, & ab ipsa, & per ipsam vivunt, sentiunt, & intelligunt. Et si in cæteris aliis tribus Elementis animatia apparent, attamen ad terram tanquam ad fontem omnia recurrunt, & ab ea tributa continue deferunt: nobilior ergo cæteris. Non sine ratione a benignissima Natura ei a cœlo distare concessum fuit. Nam cum terra immobilis semper permaneat, quietem suæ stabilitatis omnino cupit & amat. Quæ vero ad contrarium ducere possunt, fugit & declinat. Cœlum in continuo motu conspicitur, nunquam quiescit. Istius motus est contrarius quieti & stabilitati terræ, ideo ab illa fugit, & remotissimo in loco, tanquam ab illius contrario permanet, loco & sede tutissima: cœlum tamen per influxus ipsam irrorat, humectat, & fœcundat. Nec audiendi sunt, (nisi differendo ex varia rerum generatione) qui illam mobilem esse autumant, cum talis generatio

non

non dicat mobilitatem in Terra, sed fœcunditatem. Quod si juxta illos secundum partes esset mobilis, moveretur etiam & tota: cum Terræ partes sint homogeneæ, mota una parte, moveretur & tota. Nec de triplici Terræ motu, diurno, annuo, & trepidante juxta Copernicum, differemus. Nam si ad triplicem istam motionem, quartam, nempe motum gravitatis ad centrum daremus, omnia physica fundamenta ruerent. Ideo Terram omnino immobilem esse affirmari oportet. Licet Philolaus, Timæus, Seleucus, Aristarchus Samius, Archimedes & Eudoxius in suis scriptis contrariam partem demonstrent: tamen non serio, sed ut suam subtilitatem & ingenii acumen demonstrarent, id feciisse credimus. Si mobilis esset terra, idem dicendum foret quod in cœna Regis Prussiæ dictum fuit, nam cum quis de Terræ mobilitate differeret, unus ex astantibus Ministro dixit: Amice caute vascula vini observes, ac teneas, alioquin vinum effundetur: terra enim movetur.

Cum igitur Causæ secundæ in Elemento Terræ, tanquam in termino bene ordinato, optimeque dispositio suas virtutes & qualitates demonstrent, oportet etiam ut quicquid ab aliis devenire potest, in tali termino, veluti in loco apto verificetur & conspiciatur: non ut Terra per se sola, & absolute omnes effectus secundarum causarum

rum producat & augeat, sed tantum ex parte sui ad id, quantum in se est, concurrat: & quidem hoc multum esse videtur. Nam licet terminus non sit causa, concedit tamen locum ad causas, causæ æque disposítæ, optimeque ordinatæ dant effectus. In terram, ut præmisimus, tanquam in centrum stabile ac dispositum, ex Corporibus cælestibus & Elementis qualitates omnes & virtutes diffluunt: Si ibi congeries ad productionem inveniretur, productio fieret: unico concludam verbo, Corpora cælestia dant esse generale. Terra specificum, tanquam mas & fœmina. Nam cum totum Corpus cœleste Terram circumdet, maris officio fungi conspicitur. Terra licet stabilitate gaudet, tamen Cœli agitatione agitata tanquam a viro proprio, vires illius veluti semen recipit, & ab igne calorem, ab aëre & aqua reliquas qualitates susciplens, gravida remanet, in suaque stabilitate perseverans, ad coitum proprii viri, tempore omni bene disposito, est parata. Semen receptum sunt rores & pluviæ, quæ virtute secundarum causarum ex motu & lumine, omnes species producibiles, & individua composita in materno utere introducunt: Suo vero tempore, pulcherrimos parit filios, & ad fruendum concedit. A Cœlo igitur tanquam a parente, a terra tanquam a matre filios generante, retinente ac conservan-

te, horum inferiorum productio apparet: Genitores a filiis reciprocum sentiunt effectum & amorem. Nam genitum generantem ut beneficum amat, generans generatum tanquam beneficiatum summopere diligit. Pluviæ, venti, rores, grandines & omnia similia, statim post generationem, ad matrem ut beneficium præstent accurrunt, & amoris impulsu, magno impetu declinant. Lapides, Metalla, & Mineralia a terra genitrice ortum cognoscentes, quando extra degunt, cleriter & sine intermissione ad sinum matris velocissime currere videntur, nunquum sistentes quousque eam possidendo amplectantur: Quid de Plantis, Herbis, & Arboribus, quæ tanto studio & amore genitricem diligunt, ut non sine suo interitu se ab illa evelli & expelli patiantur? Quinimmo sic propriis radicibus tanquam brachiis, infantium instar, materna viscera tenent ac constringunt, ut aliquæ non sine apparentibus lachrimis illam relinquere videantur. Terra vero pia mater in filios reciproco amore anhelat: nam vitali humore tanquam lacte eos nutrit & pascit. Congruo tempore rorem ab aëre & cœlo postulans, ipsos a nimia caliditate pene exinanitos humectando vivificat, seipsam dilacerat ut pabulum, vitalemque substantiam, qua nutriantur, conserventur, & incrementum capiant, omni diligentia

gentia & industria eis conferat. Mater equidem benignissima.

Sed & Corpora cælestia suas elementales qualitates in terram veluti in uberrimum locum influentes, eam summopere ad generationem adjuvant & disponunt: modoque Metalla, modo Lapides, modo Plantas juxta illorum virtutes & qualitates generat & producit.

De Peculiari Sympathia Lapidum ad Planetas. Cap. VIII.

Saturnus omnium Planetarum primus ex natura frigidus & siccus influendo qualitates similes concedit. Et quia per solam frigiditatem & siccitatem generatio non daretur; ideo caliditatem aliquam in humido requiri, ex his quæ prædiximus, apparet, ita ut ea duntaxat introducat, quæ respectu sui posse valet, mediante innato calore, qui cum humido se immiscens ad generationem disposuerit; Tamen ex parte Planetæ, quia maximam partem suarum qualitatum concedit, majorem etiam virtutem in illo acquirit, ut de lapide isti Planetæ peculiari & ejus cum ipso Sympathia apparet ac elucet. Turchesia Lapis Saturninus, quomodo illi sit peculiaris facillime apparebit, si primo naturam & qualitatem lapidis examinaverimus. Turchesia de illorum specie est, qui inter opacos connumerantur. Opacitas est corpus obscurum

multa terreſtreitate (de lapidibus ſermo) præditum: terra frigida & humida permultum Saturno ſimilis. Saturnini namque terrei & melancholici dicuntur. Turcheſia ex mixtione & ex colore Saturno aſſimilatur, color ille cæruleus mixtus cum albedine Saturninus extat, cum ad cineritium tendat, qui color Saturno appropriatur: etſi ex tali colore ſympathia abſoluta non eligatur, tamen ad eſſentialem approximat. Nec obſtat alios Lapides tali opacitate præditos reperiri, & eadem materia condenſatos, qui tamen Saturnini non appellantur: Turcheſia enim non ſolum materia condenſata & opaca conſtat, ut cæteri lapides ſimili materia, ſed tali colore, qui nulli aliorum competere apparet. Nam dictum fuit lapides a colore, non ab alio accidente diſtingui, cum multi lapides ſimiles exiſtant in duritie, in tranſparentia, & in aliis, tamen vel a colore vel a fulgore inter ſe diſtinguntur: Non enim unquam Lapis vel Gemma reperitur adeo alicui ſimilis, ut aliqua clauſula diſtinctionem in eo non efficiat. Turcheſia perfectiſſima cenſetur, ſi ad plumbi ſcobem color ejus vergat, & talis vere Saturnina dicitur, & cum illo Sympathiam habebit, ſi præſertim continue ſuum conſervare colorem apparebit. Saturnus igitur cum ſit Planeta melancholicus, frigidas qualitates eum habere opus eſt. Turcheſia frigidiſ-

ſima

sima qualitate est prædita. Semper enim in quovis calido existat, nunquam calorem intrinsecum recipiet, imo potius frangitur, quod experientia patet in deferente. Nam si cadat ab alto lapis frangitur, non ex ictu aut percussione, sed ex motu licet minimo: cum deferens Turchesiam cadit, spiritus ex accidente alterantur, alteratio illa ex ebullitione sanguinis præ timore devenit, calorem maximum in membris causatur, calor in artubus & membris restrictus retineri non valens, per meatus & poros prodire conatur, prorumpit & exit, quicquid reperit inficit & turbat, & quasi virus officit, immo si resistentiam humidi non haberet omnino occideret. Turchesia frigidissimæ naturæ ab extrema caliditate tacta, resistere non valens frangitur & rumpitur, quia calorem insitum sustinere non valet. Hæc est causa illius fractionis, quicquid cæteri dicant, hoc ei ex occulta virtute insitum esse. Quod si in aliis Lapidibus fractio talis appareret, negotiationem prædictorum pateretur. Sed in nullo Lapide talis fractio in casu deferentis videtur, nisi in Turchesia, ideo ab effectu causa judicanda erit. Quod si a Planeta talem effectum produceret, ut alii tenent, non Sympathia, sed Antipathia inter eos appareret, opponens se malignitati Planetæ, qui si in tali situatione vel oppositione reperiatur, ut casum ab alto

minetur, posse quodammodo suspicari, talem jacturam a malignitate Saturni, vel potius a deferente procedere. Sed in rei veritate naturaliter loquendo, non aliunde fractio illa nisi ab ebullitione spirituum in sanguine existentium devenit. Quidni, si Sympathiam eligere volumus, etiam ex Metallo eligemus? Nonne Plumbum adeo est molle, ut percussum non solum cedat, sed extenuetur? Turchesia idem demonstrat: nam si percutitur, non tantum ictu, sed etiam virtuali aliqua potentia suæ qualitati contraria, cedit, rumpitur, & dilaceratur. Ecce armoniacam sympathiam. Si ex parvis magna componere liceat, aliam etiam in animalibus Saturninis reperiemus, & hujus Planetæ Sympathiæ finem imponemus. Saturnus inter alia animantia Camelum tenet: Camelus in illorum numero reponitur, qui Saturnini nuncupantur, Animal valde triste & melancholicum: Animal istud inter cæteras proprietates & qualitates diu labori resistit, sitim, famem, & inediam summopere tolerat & sustinet, adeo ut per quatuor, quinque, & plures dies sine cibo & potu perduret: lassus tandem oculis cæcutire videtur. Tunc illorum ductores & gubernatores cum Turchesia oculos tangunt, & ex ejusdem pulveribus liniunt: unde illi visum recuperant, & vigorosiores evadunt. Immo de pulveribus Turchesiæ aquis miscent, ad potan-

potandum illis præbent, & eorum vires augentur. Quotidie in Arabia, ubi Camelorum maxima est multitudo, experientia hoc comprobatur. Dicunt quod etsi Turchesia illius Regionis non sit maximi valoris, neque in numero illorum qui pretiosiores tenentur, tamen Turchesia Saturnina omnino erit. Et quemadmodum in electione istius Lapidis annotavimus, nihil refert ut differant numero, dummodo specie sint iidem, verum enim erit, si de perfectissimis habeantur, eorumque effectus perfectius demonstrare valebunt. Idem exemplificare possumus de herbis Saturno dicatis, quæ in pulverem redactæ Turchesiam adulterant. Sed ne a nostra Sympathia elongemur, finem huic Planetæ imponamus.

Corneolum Lapidem Jovi proprium esse perhibent. Jupiter planeta ex sua natura temperatus calidus & humidus extat, aereas qualitates possidet, & quando aliquam formam introducere valeret, nisi per possidentes qualitates fieri non posset. Orbis illius est major Terra nonaginta quinque partibus cum dimidio, ratione longitudinis sui excentrici. Per caliditatem & humiditatem semper suas virtutes demonstrat: quæ absolute ad productionem summopere sunt dispositæ, meritoque bonum & majus fortunium nuncupatur. Terra vero sua innata & insita virtute

tute onusta semen recipit, parit, & producit juxta receptionis modum, ut ex superioribus adnotatis demonstravimus. Corneolus sive Sardius merito Jovi dicatur, cum ex sua natura inter medios connumeretur, inter opacos nempe & transparentes: Nam licet per humiditatem transparentiam emitteret, per caliditatem condensantem id facere prohibetur, ac impeditur. Calor enim partes subtiliores in unum colligit, & collectas indurat, adeo ut subtilioribus evanescentibus grossiores remaneant. Clari enim humores per se minime existere valentes in contrariam naturam vertuntur. Qualitates in Corneolo sive Sardio sunt eædem quæ in Jove, & licet effectus similes his qualitatibus in aliis lapidibus conspiciantur, in Corneolo tamen sive Sardio sunt alio modo & alia via introductæ, & ipsi Lapidi annexæ, adeo ut vera & realis ejus cum Jove Sympathia appareat. Primo a colore subrubro, qui in aliis Lapidibus sive Gemmis semi-opacis minime invenitur, neque tam nitidi & splendentes absque ulla intersectione, puta parva linea alicujus externi coloris, aut mixtione colorum, ut in Agatha vel Chalcedonio: Et quemadmodum Jupiter semper bonum fortunium dicitur, cum semper talis ex se extet. Ita Lapis iste illi proprius talis semper fuit & apparet. Romani namque Imperatores non alio

lapide

lapide in Epistolis scriptisque obfirmandis, nisi isto usi fuere, immo temporibus istis noviſſimis, raro in alio Lapide illorum effigies apparent. Dignitas a natura sibi insita, cum Jupiter Planeta dignitatibus & honoribus præsit, illosque largiatur. Deferentis animum hilarat, mentem elevat, & præcellentiam demonstrat: quæ proprietates si Jovialibus sunt propriæ, alii judicent, cum per se apertiſſime pateant. Jupiter omnium bonorum morum est largitor, & inclinative dignitates & animi tranquillitatem præmonstrat. Prægnantes mulieres talem Lapidem seu Gemmam prope umbilicum alligatam cum Stanno purgato deferentes, partum tempore opportuno conservat, & prolem liberat. Hoc Naturales experientia comprobarunt, ratione humiditatis & caliditatis ad invicem unitarum, quæ conservationem individualem accommodant. Sed ut secretiora aliqua inferamus, & ut veram & apparentem sympathiam in Lapide demonstrem, mirabilem illius proprietatem enarrabo, & non credenti per experientiam ostendetur. Si quis quando dormitum in nocte vadit, talem lapidem suo ore intus clauserit, & mente seu corde quicquid scire aut videre desiderat, secum ruminet vel cogitet, talique fantasia imbutus somnum capiat, absque illusione aliqua ea in somnis videbit, quæ ante somnum per fantasiam

excogitaverit, dummodo in cœna sobrietatem amaverit: anima enim tunc operans, a vaporibus stomachi ad cerebrum elevatis interior homo minime impedimentum sentiet: sensus clariores per sobrietatem effecti ea quæ ab anima revelantur facillime memoriæ tradunt, & per reminiscentiam conservant. Lapis in ore retentus (ut Physica demonstratione utamur) per proprias qualitates impedimenta omnia totaliter aufert, & virtutes a qualitatibus sibi inditas & concessas per accessum aliis communicat, ut puriores clarioresque effectus inde exoriantur. Hinc est quod ex ista operatione Sympathiam cum Jove elicimus. Jupiter si in aliqua genitura quartam domum occupante collocatus fuerit, in propria domo non læsus, non combustus, & similia, somnia vera concedit & tribuit, quæ quidem virtus ab illiusmet qualitatibus provenit, sicut in Lapide paulo superius demonstravimus. Non enim Metaphysica erit demonstratio: nam de qualitatibus tantum sermo erit, ut apud Medicos idem tenetur. Arnaldus de Villa nova in suo de Somniis tractatu consulendus, tantum tetigisse nobis sufficit.

Jupiter habet in Zodiaco Pisces & Sagittarium. Iste coxis & femoribus humani corporis præest, illi vero pedibus, quæ signa ex caliditate & humiditate simul junctis participant. Corneolus sive

Sar-

Sardius, infirmitatibus ex talibus accidentibus provenientibus medetur, nam pulveres illius per tres aut quatuor horas ad aquas baccarum lauri infusi & humoribus applicati apparenti medela medentur, ad calidas tantum lamina stanni subtiliter extracta, ac etiam applicata. Ex Americo Sosio in sua Decade accepi, Dec. sexta, cap. 9. Tali via & doctrina ex trina armonia sympathia apparet.

Mars Jovem sequitur, cui Smaragdum Lapidem concedunt. Causam ab effectu quæramus. Mars Planeta ex qualitatibus naturalibus calidus & siccus, ideo igneus omnino. In Zodiaco Scorpionem & Arietem pro signis possidet, ejusdem naturæ & qualitatum. Smaragdus gemma est præstantissima, maximæ eximiæque virtutis, igni applicata corroboratur, & in virtute augetur: adeo ut ex qualitate Planetæ sibi fortitudinem vendicet. Nam ad Lumen candelæ vel ignis proprium colorem non solum retinet & ostendit, verumetiam clariorem, jocundiorem, & pulchriorem cernentibus demonstrat: Amœnitas suæ essentiæ ab ignis lumine dilatatur & augmentatur, adeo ut illius lumine & fulgore ornetur & augeatur, & alios superare videatur. Ecce rationem igneæ qualitatis, qua suo Planetæ associatur, & in virtute conjungitur, & approximatur. Mars ut bellator, vigilantiæ & custodiæ est symbolum.

lum. Vigiliæ ſoporem & ſomnum ejiciunt. Smaragdus hanc etiam proprietatem poſſidet & demonſtrat, nam illum ferentes ſic corroborat, vivificat, & ſpiritus vigilantes efficit, ut diu vigilando in quovis opere perſeverare poſſint. Mars ex Metallis ferrum ſive chalibem poſſidet: Smaragdus auro incluſus colorem minuit, in chalybe vero non ſolum conſervat, ſed auget, quod in aliis Metallis minime conſpicitur.

Ex ferro pulvis conficitur, Crocus Martis ab Empyricis nominatus, quem medica ars ad dyſenterias ſedandas & reſtringendas multum conferre dicit, & ad cordiales torturas & palpitationes aliquando Paracelſiſtæ in aliqua conveniente doſi patientibus donant. Smaragdus in pulverem redactus, via faciliori & communi, ut ſuo loco demonſtrabitur, idem in prædictis infirmitatibus præſtat, ut per experientiam millies probatum fuit. Color Smaragdi eſt viridis, qui aggregandi, & non disgregandi viſionem vim poſſidet. Color talis corroborans & fortificans viſionem, non aliunde niſi a qualitatibus Marti ſimilibus, quia talis color ille proprius, devenit: quinimmo (per experientiam) addatur colori viridi, absque ulla mixtione, parum de nigro ſimiliter abſoluto, ſanguineum omnino efficit colorem, qui etiam Marti eſt proprius. Sanguineus iſte

iſte color ex viriditate compactus calybi ignito perbelle nitido applicatus ſic & taliter illi unitur, ut non ſolum ſit ab illo inſeparabilis, verum etiam ſi dum feruefcit elaboretur, effectus in artificio mechanico mirabile demonſtret. Nam colores varios, prata, arbores, & loca amœna configurare poteſt.

Smaragdus in Metallo Martis virtutem acquirere conſpicitur. Nam ſi in ferro liquato, adeo ut fluat, ſolus & per ſe absque defenſione aliqua, per unius horæ quadrantem collocetur, non ſolum colorem, virtutem, & eſſentiam non perdet, ſed bonitatem & duritiem acquiret. Quinimo ſi glacialis fuerit, cum aliqua macula, dummodo ex utraque parte non penetraverit, ex Metallo illo candeſcente ſic perfectus exiet, ut nonniſi ex forma cognoſci poſſit. Smaragdus ignem ſuperabit, & ab igne ſuperabitur, quia illæſus ab illo exiet, & maculas ſive defectus relinquet, in ignem absque defenſione intrabit, quia ejusdem qualitatibus præditus illis unietur, quod in aliis Lapidibus ſeu Gemmis Planetariis non apparet, ut ſuo loco demonſtrabitur.

Ad Solis Sympathiam cum Saphyro properamus. Sol Planeta omnium luminoſiſſimus, calidus & ſiccus, temperatæ naturæ, Terræ proximior Luna excepta, ſimiles qualitates in terra demonſtrans, ſua

virtute

virtute & calore corroborat, fortificat & ornat, adeo ut ad productionem & generationem fœcundissimæ matris munere fungatur: non solum influendo illam prolificam reddit, verum etiam humores ab illa attrahendo, purgat, & disponit, circulando per humiditatem calidam, & per humidam caliditatem, adeo ut in quavis generatione absque Solis virtute deficeret: Sol & homo generant hominem, dicunt Philosophi, per naturam nempe calidam & humidam. Si aliquid boni a cæteris Planetis in inferioribus apparet, a virtute Solari id provenire fatendum. Qualitates Solares temperatæ existentes, virtutem maximam demonstrant: nam etsi aliquæ ex Erraticis easdem fere possident, non temperatas & absolutissimas existentes in virtute deficere oportet: Non enim adeo intendunt ut Solares, aliquando etiam remittuntur, quæ accidentia numquam in Sole conspiciuntur. Si in sui deliquio lumen ejus deficere apparet, hoc tantum in sublunaribus videtur, ipse in se manens semper idem, ut supra demonstravimus. Sol igitur rerum omnium in terra existentium ex uno latere ductor & minister dicitur, eorum vero quæ supra Lunam alio ex latere moderatorem se ostendit ac dispositorem. Medius namque existens, Planetis infra & supra existentibus, sic suam virtutem cum illis participat

ticipat & compensat, ut quisque pro suo posse tantum recipiat, quantum ad diffusivam sui virtutem opus habet. Saturno multum ab illo distanti parum influit, Lunæ similiter: Jupiter æquipollet Mercurio, Mars Veneri: Tali ordine illorum qualitates mutuo se conciliant & moderantur, qualitates Saturni a vicinitate Jovis, Jupiter à Marte, Mars à Sole, Venus similiter à Sole. Hæc moderatur juncta Marti, ex vicinitate Mercurii: Mercurius vero cum sit prope Lunam, omnimodam humiditatem ab ea accipiens, â qualitatibus Veneris temperatur. Sol vero suum motum in anno terminans, per duodecim Zodiaci signa decurrens, quatuor anni tempora ex quatuor cardinalibus, Ariete & Libra, Cancro & Capricorno dividens, novas in terra varietates, & effectus producit. Et quemadmodum in terra nulla res apparet & extat, quæ in firmamento proprium sydus non habeat: Sic quamlibet Sphæram proprium essentialem rectorem, puta intelligentiam habere, erit dicendum. Hinc necesse fuit ut cælestia terrestribus per aërem medium copularentur, ut substantia & virtus omnium rerum inde dimanando modo exquisito distribueretur, ac veluti inferiora cum superioribus jungerentur aëreo spiritu productore, puta intelligentia illius orbis, quem ab Authore omnium fieri ministerio sanctorum Angelo-

gelorum intelligendum sentio. Tali namque via cœlum veluti anima foret, aër veluti spiritus: Terra vero corporis munus subiret, Sol rector per suam vivificam naturam calidam humidæ unitam formas omnium rerum concederet. Cæteris jam in superiore tractatu adductis, tantum de aëre copulativo spiritu dicam, ut inde Sympathia Saphiri cum Sole appareat. Ipse enim ad Solis mandata productivam introducit speciem. Inde Anaxagoras Aërem omnium rerum semina continere statuit. Imber namque, aër puta condensatus, & Sol cuncta gignunt, humiditas nempe cum caliditate; Ideo quidam summus Philosophus tantum tria Elementa statuit, nempe terram, aquam, ignem: aerem vero negavit, non ut omnino removeret ab his tribus, sed tanquam glutinum & spiritum illa tria connectentem. Et licet Marcilius Ficinus virtutes & qualitates in lapidibus ab Astris devenire teneat, non tamen absolute illius opinio sic tenenda erit, ut terra & alia concurrentia excluderentur, aliter a Sole nihil aut parum deveniret, & Astra æquali passu cum Sole in virtute incederent. A Solis calore in illis existente aliquæ formæ apparent, cum ex gremio materiæ formas producere dicitur, Amor enim non permitteret esse sine germine, & siccus effusus extra se, sic delectatur attrahere omnia

ad se. Modo ad nostram Sympathiam eligendam devenio. Oportuit hic diu immorari, cum de Sole agatur, & de Saphyro aëris colore prædito, quandoquidem per aërem illum eligimus. Saphyrus omnium gemmarum speciosissimus est, aëris colore imbutus, à quo ut Solis ministro colorem accipit: nam cum sit Lapis solaris, colore etiam illius ministri induitur, tanquam sibi peculiari. Lapis iste castitatem diligit, cum de aëre puro teneat, coinquinatos respuit: Sol similiter castissimus, & impollutus a Secretis Theologis nuncupatur. Rubedo nulla in illo appareat, ut in Ametisto, qui etiam aëris colorem tenet, mistum tamen rubedine, ut suo loco dicetur. Sunt enim Saphiri alii albi, alii cærulei: mares isti, femellæ illi nuncupantur. Albi vero ut omnino absolute dici possint, & tam isti quam illi in Adamantem facillime verti possunt & transformari, si ferro subtilissimo circumdati, in aurum liquatum ferventissimum per tres horas submergantur, extrahantur, illico colorem perdidisse apparebunt, & duritiem Adamantis acquisisse, similiter adeo, ut nobiliores conspiciantur, & lucidiores. Ecce ratio cur Soli etiam Adamus concedatur inter gemmas. Clare patet igitur, Saphyrum exhalationem terræ tingere, & ex summo calido per aurum Solis Metallum talem evadere, ut ex triplici Sympa-

thia armonia appareat; cum ex colore veritas innotescat, & ab effectibus comprobetur, ut in sequentibus.

Sol in humano corpore Cordi præsidet: Solaria igitur ad Cordis sanitatem multum conferunt. Aurum cor exhilarat, Saphirus similiter: si salis hujus lapidis quatuor grana per tres dies accipiantur, omnem cordis tremorem & palpitationem tollit & aufert, ipsum corroborat, vivificat, & ad incrementum perducit. Sal à Saphiro tali via haberi potest. Saphirum cum duplo sulphuris communis misceas, igne adhibito in calcem redu catur, abluas calcem aqua stillatitia, quousque partes sulphureæ omnino non appareant, & evanescant. Exsiccatam calcem vini essentia perfundito, dein sine macerari, destilla, & quæ in fundo remanserint iterum pari via calcinabis, & toties opus reiterabis, donec totum in aquam distilletur, ex qua sal generatur. Si ipsam coxeris per humidum, oleum à sale etiam recipies. Addam & aliam Sympathiam, quæ de Metallo cum hoc lapide solari elicitur. Jam dictum est Solem cordi præsidere. Si igitur ad veram cordis corroborationem pergere velis, adeo ut numquam in futurum a tali passione molestetur, extingue in aceto Terebentini aurum ignitum ter aut quater, quanto pluries eo melius: in aceto dissolve pulveres Saphiri, addas aquis cordialibus

bus & syrupis similibus, accipiatur per mensem, adeo perfecta cordis hilaritas subsequetur, & corroboratio, ut per totius vitæ spatium, nullam prorsus talem patiatur syncopem. Hæc sunt naturæ arcana, quæ in Lapidibus apparent, ut secundas causas bene & congruenter ex sympathia agere pateat. Ad aliam sympathiam deveniamus, ut Veneris cum Ametisto sympathiam cognoscamus.

Venus Planeta naturæ humidæ & frigidæ temperate: tales etiam qualitates in inferioribus demonstrat. Cum Sole fere incedit, & parum ab illo elongatur: ideo hallucinantur, qui illam Soli opponi arbitrantur. In Lapidibus Ametistum tenet, ideo naturam & essentialem istius Lapidis qualitatem quærendam censeo, ut ea exacte cognita optimeque examinata, facilius ejus sympathiam eligamus. Relictis aliorum de isto lapide opinionibus & vanitatibus, tantum essentialia & vera demonstramus. Lapis iste ex suo amœnissimo & delectabili colore omnibus est gratus, & sæpe Indici tanquam veriores & nobiliores desiderantur, ut deferentibus ex illorum virtutibus effectus demonstrentur. Ex sua natura frigidus temperatus extat adeo, ut magis de humiditate participare videatur. Nam prope umbilicum alligatus ebrietatem impedit, & contra fumositates vini validissime repugnat: Si in digito medio

prope ramusculum venæ cordialis gestetur, gratiam multum conferre dicitur, prout naturaliter id devenire apparet: nam ex colore & delectu hoc contingere potest. Si eadem via ut Saphirus in Adamantem vertatur, nobilior evadit & præstantior: non in auro ignito, sed in ære fuso per duas horas ad validum calorem teneas: de Indico Ametisto id faciendum censeo: cæteri ratione eorum fragilitatis parum igni resistere valent. Lotionem Ametisti cum vino præstantissimo semen augere autumant si bibatur, Veneris forsitan naturam imitando, vel potius commonstrando. Venus pro Metallo Æs possidet. Æs vulnera sanat, imo vulnera, quæ ab Ære deveniunt, faciliori via & breviori tempore sanantur & medentur, iis quæ a ferro aut ab alio quovis Metallo inferuntur. Ametisti pulveres vulnera sanant, consolidant, & sanguineas sedant. Auricalchi folia si subtus Ametistum Lapidem reponantur, illum vivificant, & splendorem ejus augent: Aurichalchum est mixtura Æris. Ametisti pulveres per calcinationem reducti, & Æri misti in quantitate proportionali, si fusioni tradantur, alius Lapis efficietur multis coloribus præditus, adeo ut varietatem pennarum columbæ videatur imitari: mixturæ tamen addendum de camfora simplici.

Sed ut aliqua ex Arithmeticis demonstrem,

strem, indeque sympathiam eligam, hæc pauca inferam. Venus non elongatur à Sole nisi per viginti octo gradus: talis numerus Ametisti fatali quadam constitutione Sympathiam demonstrat: Accipiantur quadraginta octo partes (sive parvæ, sive magnæ, nil refert, dummodo in præsignato & determinato numero æquipolleant) pulveris istius Lapidis, & tantumdem de Auro purissimo: tradas igni ad fusionem per quadraginta octo horas cum Sale alcali: Exinde habebis lapidem aureum nobilissimum, & diaphanum, qui mirabilis erit, licet sit frangibilis & friabilis, tamen ex illo monilia, ornamenta, & imagines diversæ confici possunt. An a numero, an ab alia occulta virtute id proveniat, nunc non erit disputatio; tantum ex sympathia ad Planetam id fieri autumo, cum ex numero elongationis à sole in lapide appareat, & conjunctio aliunde fieri nequiens, in illius Metallo demonstretur.

De numerorum virtute & potentia quis dubitat? sunt equidem ad omnem naturalem Magiam potentissimi & efficacissimi: ibi adsunt secreta in mundo abscondita, Mathematicæ Philosoph. arcana in illis elucent. Pro nunc nil de illis differendum. Tantum de numero quadragesimo octavo pro sympathia pauca inferam. Numerus iste ex octo senariis conflatur, sex per octo ducti numerum quadragesimum

octavum efficiunt: & etiam ex quatuor duodenariis: Qui numeri, nempe sex & quatuor, simul uniti, Maximum numerum, nempe decem, constituunt. Decem enim est numerus ille perfectionis, cum non de excessu teneat. Igitur ex sex per octo, & ex duodecim per quatuor ductis, alius numerus, nempe trigesimus constituitur. Sex & octo quatuordecim efficiunt, ecce prior numerus: duodecim & quatuor sexdecim conflant: ambo simul juncti trigesimum demonstrant, qui est numerus gradationis Solis per singula Zodiaci signa. Si trigesimo numero decem & octo addantur, numerus elongationis Veneris à Sole, nempe quadragesimus octavus, eveniet. Multa & alia de istius numeri compositione apparent, cum sit compactus ex quadraginta & octo, quorum ille beatificationis, iste justitiæ. Alia quoque occultior armonia ex radice primi cubi & ex duobus æqualibus quadratis demonstratur: tamen à nostro instituto ne elongemur, sufficit sympathiam eligere prout habuimus.

Ad Magnetem Mercurialem deveniamus: ex qua consideratione videndum erit, cur lapis iste Mercurio dicatur, & num sympathia deveniat a qualitatibus an ab effectibus. Licet lapis iste ab aliquibus potius in numero Metallorum, quam lapidum connumeretur: nihilominus illorum

rum opinio erronea est, cum si Metallum esset, ad ignem, ut cætera Metalla, fusionem sentiret; sed experientia contrarium demonstrat.

Et si de Magnetica scientia multos scripsisse, variasque demonstrationes patefecisse scimus: tamen nos de illius virtute, proprietate, & effectibus aliquid novi non afferre statuimus, sed illa tantum recensere, quæ ad nostram sympathiam spectant: difficile enim foret in hac materia novas demonstrationes invenire. Quis ut quam valeret ad Tractatum à Giliberto Anglico editum quid minimum addere? Doctissimus vir ea tetigit & demonstravit, quæ vix intellectu percipi possunt. Sympathiam ergo quæramus, ex qua cum Mercurio cælesti, & cum Mercurio terrestri (vivo Argento) aliquam connexionem videntes, illorum sympathia cognoscatur, ut ea optime simul commensurata, quid physicæ considerationes valeant, demonstretur.

Mercurius Planeta natura frigidus & siccus, & tales qualitates possidens, similes aliis compartitur; Et quemadmodum in Metallis cum vivo Argento sympathiam habere demonstravimus, ita in Lapidibus Magnetem similiter obtinet. Quæ igitur sympathia inter hunc Lapidem & Planetam vigeat, videndum est.

Magnes licet Metallum non sit, tamen aliquas partes ferreas continet, non abso-

solute omnes Magnetes, aliqui dumtaxat. Nam dum una pars minima Magnetis aliam majorem trahit, non aliunde hoc illi evenit, nisi quia in attrahente non adest ferrum, sive partes ferri, quas alius attractus tenet: aliter non attraheretur. Aliquas ergo partes ferreas possidere tenendum. Experientia didicimus Magnetem in Mineris Metallorum sæpenumero reperiri, particulariter in Mineris Ferri. Metalla, ut demonstravimus, originem ducunt a vivo Argento; vivum Argentum sympathiam cum Mercurio possidet. Magnes in locis ubi vivum Argentum viget reperitur. Aliquam ergo communem sympathiam inter Metallum, Lapidem, & Planetam inesse confitendum. Cur potius alius Lapis in mineris non reperitur? quæ major ratio de uno potius quam de aliis? Et si forte fortuna Lapis quidam peregrinus ibi reperiatur, cur non attrahit vel attrahitur ut Magnes? Mercurius Planeta ex natura sua vertibilis dicitur & versatilis: communicans se aliis, attrahit aliorum virtutes & proprietates: modo bonus, modo malus, juxtà locorum situationes. Magnes est vertibilis semper, immo ad omnes Mundi plagas, juxta primam sui originem (ut infra demonstrabitur) vertitur: modo Orientem, modo Meridiem versus aliis se communicat, ut per eandem virtutem efficaciam præstet. Modo videndum qua

via,

via, quove medio virtus communicativa, sive participativa illi conveniat, & an privatio suæ essentiæ in parte, vel in toto, dici debeat.

Jam dictum fuit in electione hujus Lapidis, virtutem in Magnere esse habitum acquisitum ab origine sui principii, & ab influxu naturali introductionem incipere & fieri, eo magis & minus, quo in illa juxta loci positionem fuerit major aut minor dispositio, adeo ut si loci dispositio fuerit absolute perfecta, perfectissima inde sequetur introductio: Sic de mediocri & de minima. Magnes quando perfectissimam recipiet virtutem, illam absolute ostendere poterit, quia habitu perfectæ qualitatis fuit imbutus, & aliis communicare per contactum absque sui ulla diminutione valebit. Nam sicut recipiens recipit per modum dantis, sic donans concedit ad modum recipientis. Ferrum non valeret reciperevirtutem introductivam ad formam, sed dispositivam ad habitum: Odores communicant suas qualitates aliis corporibus sine privatione sui habitus, ad instans incipiunt, & in tempore perficiunt, adeo ut perfecta introductio odorum in tempore terminetur. Idemmet odor per participationem remanet in alio corpore quemadmodum erat in proprio subjecto, eo magis & minus, juxta illius vel illorum dispositionem: imbutus odore aliis &

aliis communicare & imbuere valebit, si tamen acceptio perfecta ab agente perfecto devenerit: optima namque virtus à primo requiritur, ut absque sui diminutione communicatio fiat. Aliter virtus debilis in tempore debilitaretur, & in tempore etiam omnino deficeret, ut in odoribus apparet. Magnes si perfectissimus in sua specie extat, communicando & aliis concedendo suam virtutem, sive virtutes, nihil de suipsius virtute perderet, quia talis communicatio imbibitio dici debet & potest, quæ per simplicem contactum operatur, & per similem contactum transit in multos, ut de multis annulis per contactum Magneticum simul imbutis apparet. Primus namque recipit a Magnete ipso, deinde alii communicavit, iste alii, & sic de cæteris. Si primus a Magnetica virtute non fuisset per contactum imbutus, decideret à loco suæ consistentiæ, & aliis vicinioribus, ubi virtus Magnerica extat, adhæreret, quæ virtus non extenditur nisi in circulo suæ virtutis. Sympathia equidem verissima & mirabilis in Mercurio Planeta: nam licet per contactum alios Planetas sua qualitate non imbuat, tamen ex illorum conjunctione perficit finem suarum qualitatum, & vertibilis ad quodcunque opus apparet, & cognoscitur, adeo ut rerum omnium series (ut Platonici & Academici dicunt) ab illo emanent & decurrant:

Alatus

Alatus cum Caduceo pingitur, quæ insignia copulationem & operationem illius manifestant. Sympathiam juxta essentiam cujuscumque illorum demonstramus: Nam quisque operatur juxta proprietatem & essentiam suæ naturæ, copulatio ambarum partium similitudinem demonstrat, similitudo sympathiam parit. Magnes ubicumque reperiatur, semper & ubique pars quæ Boream respiciebat Borealis nuncupatur, semperque etiam ad idem punctum consistit. Si inde amoveretur, reverteretur ibidem: Sic etiam ad aliam, nempe Australem, idem operabitur. Causam istius operationis demonstrabo. Loci natales sunt magis cogniti & amicabiles, quia ab illis origo, esse, & substantia recipitur. Si ad extremas Mundi plagas quis peregrinatur, semper naturali vi ad patriæ solum fatali via redire cogitur. In animalibus ratione carentibus idem fieri appareret, transeunt quotannis maria, ducunt & reducunt pullos, ut propria loca & cavernas visitent & incolant. Quidni? planetæ si in alieno solo reponantur, aliquæ ex illis moriuntur, vel non germinant, vel non vegetant. Lapides, Metalla, & Mineralia, in loco suæ consistentiæ vegetiorem demonstrant productionem, quam alibi: quia ibi natale eorum extat principium. Magnes dum in loco suo natali erat, aliquæ partes Boream respiciebant, partes oppo-

oppositæ Austrum, aliæ partes Orientem, oppositæ Occidentem. A suo natalitio loco avulsus, quas Mundi plagas in sua consistentia possidebat, easdem respicere & amare cogitur, & quia ab illis virtutem recepit, illas respicere ac possidere natura dictante desiderat. Si originem trahere, cur non virtutes & qualitates recipere fatendum? Virtutes & proprietates in aliqua materia recipiuntur respective, efficaciores ab uno quam ab alio loco, non ut locus per se sit absolute aptus ad talem materiam perfectionandam vel deterioriandam: sed influentiæ magis conveniunt & decurrunt in una parte quam in alia. Orientales sunt vegetiores Occidentalibus. Nunquid locus Orientis per se erit talis? Non equidem, sed quia virtus solaris majori efficacia & virtute in Orientalibus regionibus, quam in oppositis, pura Occidentalibus, operari valet. Si igitur in cæteris animantibus rationis usu carentibus, loci suæ originis quærendi desiderium elucet, & apparet; qua de re non idem in Magnete, in quo Natura tot præclara & admiranda posuit & operatur? Mercurius Planeta, licet pars aliqua orbis quem respicit, minime dici debet: tamen quia cum Sole fere semper incedit, & decurrit: ibi aspicere & volui dicitur, ubi Sol suum cursum dirigit: adeo ut si Sol in signis Meridionalibus, ille Meridionales tenet: Si

Austra-

Australes Sol possidet, ille Australes, & sic de cæteris, adeo ut semper cum Solaribus signis Zodiaci suum motum dirigit & perficit, fatali motu in suo lapide se demonstrans. Magnes ut perfectissimus censeatur; ab extremitatibus virtutes diversas ut ostendat oportet, adeo ut Borealis & Australis ad invicem oppositæ reperiantur: Australis attrahere, Borealis respuere videatur, & ut talis, centrum ut habeat, & linea recta ad extremitates ab illo decurrat, erit necesse. Si igitur acus ferrea Magneti conjungatur, & adeo illi uniatur, ut unum corpus appareat, extrema pars acus erit Borealis, altera pars Magnetis Australis, quæ antequam acus ferrea illi jungeretur, opposita erat Boreali ipsiusmet Magnetis. Pars illa quam acus tangit est Borealis, & virtutem expellendi Ferro per contactum concedit: Amota enim acu ferrea à Magnete, illius virtute imbuta apparebit; & tamen diversas operationes demonstrabit. Nam etsi à Boreali virtutem expellendi acceperit, tamen non Borealis pars illa dicitur, quia altera pars ipsius acus, quando Magneti juncta erat, Borealis erat, tamen ex virtute accepta non aliam partem quam Borealem demonstrabit. Tali igitur demonstratione partes similes contrariantur: quæ enim Australis non attraheret, & oppositæ attraherent, tamen ex virtute imbuta illam indicabunt plagam quam per con-

contactum receperunt. Effectus equidem mirabilis, & adhuc minime notus. Nihilominus acus eandem virtutem per eandem partem suo contactu aliis concedit, quam à Magnete recepit. Eandem viam absque acu ferrea demonstrare possumus, ut in ultima parte istius sympathiæ demonstratione adhuc non ab aliis, ut opinor demonstrata, ostendam. Modo ad nostrum Mercurium Planetam per sympathiam applicando, dicimus, semper illum varias operationes in cœli constitutione demonstrare. Nam junctus Soli diversam configurationem ostendet, ac si junctus esset Saturno: & junctus Saturno itidem diversam à conjunctione Martis: sic in cæteris, variando, diversa & prope infinita significata ab illo eliciuntur. Quod quidem in aliis Planetis minime apparet. Ubicumque enim inveniantur, semper tales per eorum proprietates existunt, quales ex sua configuratione demonstrari valebunt: non variant significata, neque alterantur. Ex significatis suam naturam juxta aliorum conjunctionem minime mutant: licet augentur aut minuuntur in significatis, mutatio tamen in illis non extat sicut in Mercurio, in quo si infinitæ essent conjunctiones, infinitæ quoque apparerent varietates, quas quidem Natura Magneti lapidi ex sympathia communicavit.

Quonam pacto partes oppositæ Magne-

tis

tis oppositas habeant qualitates demonstratione indiget. Nam pars Borealis expultrix opponitur Australi attrahenti. Ratio ex se patet, nempe virtus unius per oppositionem alteram adjuvat. Quæ expulit attrahere nitens, virtute & vi utendo, alteri contrariæ exinde prodest, quia ubi major repugnantia, ibi majori potentia opus est, ex hoc invicem repugnando adinvicem repugnando adinvicem se adjuvant: Borealis expultrix ab Australi inficitur, actio illa confert vim expellendi: Australis attractrix à Boreali infestatur: tamen actio talis ei ad attrahendum multum prodest, & efficaciorem demonstrabit vim, & virtutem. Experietur uno eodemque tempore exhibeantur duæ ferri partes, una in parte Australi, alia in parte Boreali, visibiliter apparebit in utraque parte, majorem vim & virtutem tam in attrahendo, quam in expellendo sic unite demonstrari, quam si actio expulsionis vel attractionis per se solum variis temporibus fieret. Ex quo apparet actionem unius, tam in puncto Boreali quam Australi, alteri prodesse. Mercurius in quavis cœli situatione reperiatur, semper partes sibi oppositas fovet, quia si alicui Planetæ opponatur, illum in significato sive in bonum, sive in malum fortificat: oppositio namque Mercurii non est noxia. Ecce sympathia Magnetica, quæ partes sibi invicem contrarias per propriam naturam fortificat. Magnes

Magnes Polum ostendit, non adeo tamen precise, ut in puncto semper ubique terrarum consistat: aliquando Orientem versus septem aut octo gradus declinat, aliquando minus, magisve. Investigatores à qua virtute sive potentia talis declinatio illi accidat, an à terra, an ab aliqua supra terram plaga, quærentes (in quibus observationibus multa doctissima equidem scripserunt) tandem à Monte Magnetis prope Polum Articum per viginti gradus in circa, declinationem talem illi contingere comprobarunt, & veram demonstrationem forte reperissent, nisi quidam modernus Ispalensis nova observatione cognovisset, non aliunde nisi à motu Solis juxta positiones & gradus, talem declinationem Magneti accidere. Nam cum prope Æquatorem navigasset, Sole adhuc altiore existente, nullam mutationem in illo apparuisse; Sole vero declinante, & hæmisphærium relinquente, mutationem se vidisse dicit: adeo ut in Æquatore ultra decem gradus consistens evidentissimam declinationem in Magnete, sive in acu Magnetica virtute imbuta se reperisse concludat Ispalensis, mutationem sive alterationem in Magnete à Solari motu devenire, & per motum Solis nobis innotescere. Utrum talis observatio vera sit an non, alios ut videant, obsecro. Nova equidem cum extet, adhuc usque non observata, atque (ut

reor)

reor) minime cognita, experimento indigere credo. Ad sympathiam summopere præstare possit, cum Mercurius non amplius quam viginti octo gradibus à Sole elongetur. Magnes declinat à Polo decem plus minusve Orientem versus, Sole oriente: peragente vero cursum suum, mutatio ulla in illo, licet in Æquatore citra vel ultra consistat, non apparet. A Solari virtute per concomitantem Mercurium, naturali sympathia alterationem recipere videtur.

Dicunt Magnetem senescere, & vires exinde amittere, sed per calorem vehementem ignis denuo illas recipere. Primum conceditur, nempe de senectute & debilitate virtutis: secundum non absolute negatur, neque conceditur. Nam si Magnes ad ignem daretur, adeo ut ignitionem sentiret; tunc caloris excessus omnem perderet substantiam, deprimerentur vires omnino, & proprium esse annihilaretur. Potius per temperatum calorem id fieri debet: per experientiam probatum: ad calorem aquæ calidæ in qua multoties chalybs sive ferrum ignitum fuerat extinctum, Magnes temperatus, modice calefactus, summergatur, & relinquatur usque ad refrigerationem fere, deinde extrahatur, & madefactus reponatur in vase vivi argenti pleno, adeo ut tota massa Magnetis à vivo argento cooperiatur:

non ſolum vires jam perditas acquiret, ſed fortiores recipiet & validiores. Et ex hoc ſympathia cum Metallo Mercuriali appareret, eo magis ſi verum eſt quod à Cardano teſtatur, Magnetem argentum quoque attrahere. Conſideratio talis aliis relinquenda, cum materia Magnetis à pluribus fuerit diſputata.


Jam dictum eſt partes Magnetis oppoſitas, oppoſitos oſtendere effectus, nempe Auſtralem attrahendi, Borealem expellendi. Tamen neceſſe erit, ut à centro linea recta ducta tangat ambas partes, aliter talis effectus non appareret, quia oppoſitæ non debent nominari: tantummodo ex illa parte, in qua virtutem tenet & poſſidet, attractio vel expulſio appareret. Talis differens actio in ferro à Magnete imbuto non apparet, neque conſpicitur: nam ſemel imbutum à quavis parte alia illi contraria correſpondet, neceſſario propterea centrum retinere videtur. Nam ſi Ferrum per contactum à Boreali parte Magnetis fuerit imbutum, pars Ferri quæ Boreali opponitur, contrariam virtutem demonſtrabit: ſi per contactum receperit virtutem attrahendi, pars huic oppoſita expulſandi fungetur officio, cum hac tamen differentia & demonſtratione, ſi pars Borealis quæ ferrum imbuit, per contactum expulſandi dederit facultatem: Ferrum etſi talem facultatem à Boreali recepit,

pit, tamen oppositam exercet, quia pars quæ in Magnete erat Borealis, in Ferro est Australi, & quæ per consequens in Magnete erat Australis, in Ferro est Borealis. Hoc contingit (ut superius demonstravimus) ratione positionis Ferri in Magnete. Tamen ferrum ex virtute à Magnete accepta semper ad illam se vertet plagam, qua per contactum fuit imbutum. Equidem Sympathia præclara ex hac differentia in Mercurio apparet, cum ex se in configuratione quavis non adeo sit validus & fortis, quemadmodum per transitum in aliis apparet, imo ex suo transitu aliis concedit quod minime per se demonstrare valet. Ad Astrologos hoc spectat, ipsi sympathiam eligant.

Habeantur duo frustula Magnetis, quorum unum neque in pondere, neque in virtute, neque in magnitudine, neque in quovis alio medio differat ab alio: tantum in numero extet differentia. Si vero tale haud inveniri possit, tantum unum frustulum absolutissimum æque bonum habeatur, quod in omnibus punctis plagas possideat, Borealem & Australem saltem: si tale erit, proculdubio centrum habebit a quo linea recta decurrens, ambas partes oppositas tanget. Dividatur æquali pondere transverse, puta per centrum linea transversali, sic & taliter, ut inter partes divisas nulla prorsus appareat differentia: eleven-

tur in aërem, & tali situ ac proportione constituantur, ut partes divisæ & ab invicem separatæ mutuo se respiciant. In medio constituatur Ferrum in debita Magnetis virtute, tunc partes illæ quæ jam nuper erant simul junctæ, & centrum constituebant, una attrahere, altera ejicere apparebunt. Quidni? volvantur partes Magnetis, & constituantur modo quo prius erant, Australis opponatur Boreali, apparebit partem illam quæ prius attrahebat, nunc per oppositum reijcere, eam vero quæ expellebat, per oppositum nunc attrahere. Ecce quomodo partes centri per divisionem varias recipiunt virtutes, & diversos pariunt effectus. Ex hoc colligitur in centro esse virtutem universalem, quo diviso partes illas recipit quæ necessario oppositæ illi contingunt. Nam quæ pars opponitur Boreali Australis necessario erit, pars vero quæ opponitur Australi, Borealis erit. Talis differentia semper appareret in quovis Magnete, dummodo in illo centrum perfectissimum possideat: adeo ut per divisionem partium centri semper sit idem: si vero partes essent continuæ, daretur progressus in infinitum. Talis demonstratio in hac Tabella apparet.

Primum



Primum A B C. Magnes non adhuc divisus.

Secundum A B C. Magnes divisus.

A. Australis pars. B. Borealis pars. C. Centrum.

Linea est deducta à centro ad ambas partes Magnetis.

In secundo Magnete apparet divisio, & ipsamet littera C. divisa, quæ denotat centrum divisum varias possidere virtutes. Nam medium C. quod opponitur A. pars Botealis erit, alterum medium C. quod opponitur B. Australis prout dictum fuit.

Ecce quomodo C. quod erat centrum, per divisionem efficitur pars, quarum una attrahit, altera expellit: nihilominus ante divisionem erant partes similares & junctæ, quas æquales & similes habere virtutes, proprietates, & qualitates necesse erat. Numquid per divisionem novæ essentiæ

acquiri possunt ? numquid divisio ponit aliquid in esse?

Eligamus ergo ex tam miro naturæ effectu sympathiam cum Mercurio. Mercurius talem naturam etiam possidet: nam licet cum uno Planeta, bonum effectum producere conspiciatur, cum alio tamen malum, & cum alio pessimum; nihilominus semper easdem qualitates possidet: mutando situm etiam naturas & qualitates mutare apparet, nec aliunde nisi per copulationem hæ variationes in illo videntur & considerantur, ut in Magnete qui per divisionem & mutationem suarum partium, diversas qualitates possidere conspicitur, tamen semper easdem tenet.

Pro ultima parte istius Sympathiæ hoc unum addam. Ferrum a Magnete imbutum, diversimode omnino a Magnete operabitur, nec admodum hoc mirum erit. Nam per diversos contactus varios quoque demonstrare effectus omnino a Magnete imbuente contrarios opus erit, ut paulo superius dictum fuit. Imbutio fit per oppositum: oppositæ enim partes adinvicem se tangunt: proprietas tamen conceditur, prout pars imbuens possidet. Partes imbutæ diversam situationem tenentes, diversos quoque effectus ab imbuente demonstrare debent. Ideo ferrum a parte in qua attrahere debet, expellet, in qua vero expellere, attrahet. Immo & in centro

tro attractiva & expulsiva virtute caret. Quidni? aliud Ferrum per contactum imbuendo, eædem proprietates & effectus in illo apparent: causam variationis si quis quærat, in prima causa, puta in Magnete, apparet, & investigatores qui illam repererunt, consulendos censeo. Nos huic sympathiæ finem damus: cum de Magnete multi Tractatus extent a doctissimis viris editi, aliqua addere perdifficillimum foret.

Nos ultimam Lunæ sympathiam cum Cristallo lapide quæramus, qua terminata ad triplicem Armoniam disputandam properemus. Equidem maximo cum labore illud me facturum arbitror, cum a veris & physicis causis elicienda sit, ut a Magia Arabica omnino elongemur. In hoc obnixe vires intendere conabor. Magiam voco partem illam, quæ Ghotica appellatur, & in ceremoniis, incantationibus, & vanis superstitionibus consistit. Magia vero naturalis a paucis adhuc cognita: aliqua tamen principia apparent, prout in sequenti Capite dicetur.

Luna ultima Planetarum prope terram, supra convexum Sphæræ Ignis locum obtinet, ut illius ardore sua naturalis frigiditas temperetur. Humidam & frigidam naturam absolute possideret, nisi a calore ignis aliquod temperamentum, licet minimum, reciperet. Influit in faciem terræ

visibili actu, suumque motum in vigintiocto dierum spatio, vel circa, terminat, qui Lunaris annus appellatur. In nullo sydere motus tam visibilis apparet quam in Luna, ratione vicinitatis ad Terram. In motu aquarum ejus vis apparet, cum in fluxu & refluxu ex illius radiis mutationes videntur, unde varii effectus in sublunari mundo conspiciuntur. Sydera, Elementa, cæteraque superiora corpora primario a summo æternoque opifice ad cælestem illam sedem & Mundi pulchritudinem ornandam condita fuere: secundario ad hominum causas, ut ex illis incredibilem utilitatem recipere possint: Imbecillitas hominum contrarium somniavit, nempe ad sui usum absolute producta fuisse. Numquid causa posterior effectu? Luna igitur, Sole excepto, efficaciores in terris effectus demonstrat, & cum ad Elementorum naturam approximat, vires suas intendit. In natura humida tanquam Regina & dominatrix viget, ut in fluxu & refluxu maris appareat, & fere per horæ spatium illum remoratur, quia cum Luna per quatuordecim gradus (quindecim enim æqualem horam conficiunt) retro cedat, motu proprio tardius oritur, ex quo si Oceanus in meridie littora occupaverit, die sequenti hora prima, altera hora secunda recurret: Luna enim totidem fere horis cursum remoratur: ex quo apparet in humidioribus multum

tum præstare. Cristallum non solum ex aqueo, sed ex qualitatibus sibi insitis, Lunæ subest, & cum ea sympathiam habet. Pro nunc rationes eorum relinquam, qui opinantur, materiam istius lapidis esse aquam congelatam, cum in illis electione fundamenta illorum diruerimus. Si sympathiam quæramus, non solum illam inveniemus, sed & cognationem. Ex tali namque Lapide instrumenta conficiuntur, quæ lumini Lunæ in nocte oppositæ, per multam distantiam res demonstrant, sic litteræ leguntur, & singula facili medio secernuntur, sed & ut amicis familiaribusque, in longinquis remotisque locis commorantibus, quis loqui possit, & responsa accipere. Non admiranda tamen hæc admodum: nam ex forma instrumenti id acquiritur & assequitur. Peroptime igitur forma erit aptanda, accommodandaque, non enim hoc per reflexionem & repercussionem radiorum solis demonstratur. Optica enim omni cum speculo non cristallina materia compacto sed vitrea, facili medio operabitur, cognita metrica ex diaphana proportione cuilibet demonstrare permittetur. Instrumenta vero nocturna ad Lumen Lunæ, alia via alioque medio sunt adaptanda, & dolanda Non solum verum & Minerale Cristallum requiritur, sed forma tali proportione accommodata, ut radii per reflexionem in-

ingredientes non dispergantur, adeo uniti & in unum collecti, ut aliam, minorem percussionem (inde & reflexionem) in angulis instrumenti cristallini, validissime efficiant, & mutuo simul ad angulum medium concurrant & reverberent. Forma Cristalli potius in cona quam in convexa terminari debet, in qua, quibusdam proportionibus metricis observatis, anguli concavi contineri debent. Totum magisterium & secretum in forma instrumenti consistit, quod non de alia materia quam Cristalli effici potest, cum materia vitrea haud ad perfectam instrumenti formam reduci valeat. Affabre namque opportunis necessariisque magisteriis dolari debet. Sympathia ex qualitatibus quas sibi invicem communicant elicitur, non quod qualitates illorum ad effectum perducant, sed qualitates in materia insitæ id producunt. Ambo enim æquali gradu ad invicem senectunt, & copulant. Modo ad alia secretiora ascendamus.

Luna motum proprium per viginti octo dierum spatium terminat & absolvit, in quo tempore totum Zodiacum per signa decurrit: qua de re Sapientes ex illius motu viginti octo mansiones Lunæ attribuerunt: in quibus varias diversasque potestates acquirens, varios quoque demonstrare effectus debet. In qualibet mansione per duodecim gradus & minuta moratur,

tur, quæ recenſere perlongum eſſet, eo magis cum à doctiſſimo viro idem per peculiarem Tractatum fuit demonſtratum. Criſtallum mediante ſympathia, viginti octo proportionales effectus in ſui lumine & claritate, dum à Luna per reverberationem radiorum illuminatur, demonſtrat. Primus vocatur diſpoſitionis, ſecundus vificationis, productionis, illuſtrationis, clarificationis, illuminationis, emiſſionis, reverberationis, ignitionis, contributionis, reflexionis, circuitionis, oſtenſionis, ſcintillationis, emicationis, irradiationis, detectionis, participationis, inflammationis, denodationis, percuſſionis, communicationis, conceſſionis, viſionis, conviſionis, deviſionis, intellectionis, & tandem ultimus tacitæ loquutionis.

Mutatio ſtatus Lunæ, quantum mutationi Criſtalli æquipolleat, ex intuitu judicari poteſt, cum ex varietate unius, alterius varietas appareat. Luna in conſpectu Solis, non ut cæteræ ſtellæ, amittit totale lumen, ſed præſervat illud mediocriter. Criſtallum in quavis poſitione aliorum lapidum vel gemmarum validiſſime retinet ſuum lumen: quod in cæteris transparentibus Lapidibus non apparet, quin ſtatim deprimantur. Etiam ab ipſomet Criſtallo ſi ex calore luminis Lunæ ſimilitudinem quærimus, nonne pallori illius Criſtalli color aſſimilatur? Tanta eſt inter

hunc

hunc Lapidem & Lunam ſympathia manifeſtiſſima, ut illam per demonſtrationem elucidare ſuperfluum judicem. Luna habet Criſtallum tam proprium & eſſentiale, ut ſuum denominativum merito dici poſſit. Ex natura humida illi copulatur, & ex frigida ab illa ipſum dependet. Nam cum media inter infima (terreſtria nempe) & cæleſtia appareat, ratione ſuæ humiditalis, ſolis calore interveniente, ſuperiora inferioribus copulans, vi quadam attractiva, ac virtute copulativa generationi præeſt. An à Sole lumen recipiat, haud dubium eſt, etſi ex recentioribus quidam lumine proprio eam gaudere, probare conetur. Catenam Argenteam illam, Solem vero Torquem aureum vocans: A quibus omnia per ſe diſtincta & cauſæ univerſales coincidunt & ſimul alligantur: ab imis ad ſuprema pervenitur, & in unitate cuncta ſubſiſtunt, ac per unitatem connectuntur: quæ rerum connexio paulatim deprimitur & elevatur. Nam convenit Terræ cum Lapidibus, Lapidibus cum Plantis, Plantis cum Mixtis (quæ Plantanimalia Latini, Græci ζωόφυτα vocant) Mixtis cum Animalibus, Animalibus cum Homine, Homini cum Cœlo, Cœlo cum Intelligentiis, Intelligentiis cum Deo. Maximum ergo diſcrimen inter Solem & Lunam exiſti, cum illa materialis, Sol formalis dicatur. Ex quibus fallax illorum opi-

nio

nio apparet, qui dicunt, Luna crescente, instar Solis arescere & calefacere, cum contrarium experientia nos doceat, nam crescente ea, sive in suo incremento, cunctæ res humore implentur, decrescente, sive in suo decremento, humores minuuntur. Non valet natura humida ad instar Solis calefacere, cum ad calorem intensum ex humida minime valeret. Tamen ut Sol per annum, ita Luna per mensem, cæteris paribus, suam æstatem & hyemem demonstrat. Et si multæ æstates, & multæ hyemes in Solari anno respectu Lunæ nobis eluceserent; tamen si respective, ut prædiximus, consideratur, non erit absurdum, & à ratione alienum. Sol in quatuor Cœli cardinibus temporum varietatem ad tres menses duraturam demonstrat, puta in puncto Arietis Verem, in puncto Cancri Æstatem, in puncto Libræ autumnum, in puncto Capricorni Hiemem. Luna in suo cursu & anno transiens per eadem cardinalia signa & puncta, nonne easdem variationes in inferioribus efficere valebit, cum ex proprinquitate terræ efficacior erit? Non equidem tamdiu duratura, cum annus solaris terminetur per duodecim menses, Lunaris vero minus unius mensis: ideo suo motui commensuretur, qui non aliud dici potest in cursu & motu Lunæ, nisi auctio & decrementum caloris & frigoris, prout tempori dabitur

bitur opportunum esse. Luna à Sole illuminata, modo tota clara apparet, modo obscura, modo plena, modo semiplena, juxta illorum conjunctionem, oppositionem, & aspectuum sextilis vel quadrati configurationes. Ex hoc etiam Cristalli sympathia apparet. Cristallum non æqualem semper demonstrat claritatem & diafanitatem, nam ex nimia terræ densitate obscurum aliquando, & perfectissimo humore aqueo condensante clarissimum apparet; & sic de cæteris in ipso accidentibus, quæquidem ex suis cum Luna communibus qualitatibus ipsi insunt & contingunt.

Luna est ultima Planetarum, aliorum Planetarum claudens ordinem, tamen si immediate post Elementum ignis connumeretur, prima erit inter Planetas, & cum inferiora disponat, merito cæteris præstare videtur. Cristallum, licet si gemmarum & lapidum ultimum, tamen cum claudat ordinem illorum, merito à tali dispositione dignitatem acquirit. Luna recipit influxus superiorum Corporum cælestium, inferioribus communicando. Cristallum est dispositum aptumque recipiendi, respectu suæ materiæ, omnes formas aliorum lapidum & gemmarum, se aliis per materiam communicando, cum sua materia sit fere universalis ad dispositionem aliorum.

Patet igitur Lunam & Cristallum ex qualitatibus quæ dant esse, non sympathiam mixtam,

mixtam, sed absolutissimam adinvicem habere: Ex Metallo, nempe Argento, idem erit faciendum: nam unitum Cristallo pulcritudinem & virtutem acquiret, adeo ut unum alteri communicet.

Ecce jam omnium inferiorum adinvicem, & ad septem Erraticas sympathiam, pro nostro posse demonstravimus, non adeo (scio) tam exacte ut etiam desiderari possit. Restat ut triplicem Armoniam colligamus, & consonantiam percipere ex tali rerum modulatione valeamus. Infima supremis uniamus, & quid in illis Physicæ considerationes valeant, attingamus.

Num trina Armonia effectus supranaturales demonstrare valeat.

Cap. IX.

Ecce jam Cœlum & Terram, aëre medio, trina compagine copulata. Ecce trium vocum armonia, ab inferioribus ad superiora modulata. Ecce denique a Terræ meatibus, usque ad ultima Cœli spatia unica connexione pertigimus. Aer, Cœlum, & Terra visuntur: Planetæ Metallis, Metalla Lapidibus, Lapides vero singulis eorum correspondent. Immo sibimetipsis mutua visione colliduntur. Novum Chaos in unum collectum distinctum apparet. Quid mirum, si per naturales ascensus aliquando tota cœlestis machina lustratur; Quid mirum, si unico oculo-

rum

rum intuitu, per intellectualem visionem, totum Mundi convexum absque vacuo ullo undecumque apparet? Per trinam intellectionem ad unicam operationem facili methodo pervenitur. Corpori trimetro nil addi potest: nam legem existentem aliis legem dare competit. Mens, Intelligentia, & Angelus, Naturæ Ministri dicuntur. Planetæ, Metalla, & Lapides in unum per Sympathicam connexionem adunati, multum valere possunt.

Arabes ad Magicas operationes talia ponentes, Annulos, Imagines & Sigilla ex trina sympathia fabricant: quorum virtutes, efficacias & potestates sub quibusdam observationibus compactas mirabilia præstare posse somniant: Animos nempe dissidentium conciliare, morbos pellere, inimicos superare, & multas denique vanitates autumantes, credibiles ex miraculis se denominare jactantur, prout Planeta, Metallum, & Lapis ad tales producendos effectus, ex qualitatibus & proprietatibus sibi insitis, fuerint dispositi. Saturnus ad bonorum acquisitionem, Jupiter ad dignitates & honores, Mars ad bella & hostes, Sol ad gratiam Magnatum, Venus ad desideria & affectus, Mercurius ad doctrinam & eloquentiam, Luna denique ad prospera itinera: quæ ad amussim recensendæ non erunt, ne illorum blasphemiæ & mendacia proferantur. Illis contradicere conabor,

bor, & per veram & physicam demonstrationem rejiciam. Exempla adducta, tanquam falsa, non recitabo, de Hebræo nempe Eleazaro, de Eudemo Philosopho, & ne incompletæ illorum remanerent blasphemiæ, in cœlum etiam os suum posuerunt, cum de sanctissimo Dei servo Moyse similia enarrant.

Illorum trium Sympathiam per demonstrationem cognovimus, quæ non nisi in rebus physicis mutuus consensus dicitur: ad invicem se amoris vinculo complectentis Naturæ in illis continuatio apparet, quemadmodum in Magnete & Ferro, quæ licet sint corpora disjuncta, & separata, tamen Natura suum sequens ordinem, continuatione in illis utens, ut in unum conveniant demonstrat. Lapidum cum Metallis ex mutuis illorum principiis cognationem etiam demonstravimus, simul eorum ad peculiarem Planetam sympathiam cognovimus. Ut vero supranaturales producant & operentur effectus, neque Lapidibus neque Metallis concedetur. Astra influunt in inferiora motu & lumine tantum. Observatio illorum motus ad Metalla conficienda præparandaque, ad lapides sculpendos characterandosque nihil præstabit: & si valerent, ex eorum rapidissimo cursu verum punctum & consistentia haud haberi posset. Si enim talis usus physice extaret, in quotidianis usibus appareret,

Virtus alicujus agentis, licet ex se habeat extentionem, non tamen nisi in materia æque disposita valeret. Influunt equidem causæ secundæ, sed influxus dare necessitatem erroneum esset credere. Ptolemeus licet Astrologorum Princeps, talem necessitatem ab Astris removet: Corpora cœlestia, inquiens, non agunt sua significata inevitabiliter, neque vim coactivam ullam possident. Adinuentus Astrologiæ usus, non ut futura indicet, sed ad motum Planetarum, & cursum cognoscendum, & ut aliquid utilitatis & decoris ad Mundi ornamentum habeatur. Inde hominum curiosa investigatio per umbram pauca percipiens necessitatem progrediendo in illis elicere voluit, & liberam hominis voluntatem Angelico intellectu præditi deprimere conatus est. Diaboli insuper figmentum repertum sibimetipsi demonstravit, & Magiæ falsæ detestabilibus Mediis cognitis, a veris devians falsa sequutus est, ut a falsis vera percipere posse crederetur. Hinc illas Sigillorum, Annulorum, Characterum ignotorum, Signaculorum, Imaginum, & cæterorum, ideas demonstravit, quorum falsitas & deceptio cum per se apud peritos pateat, contradicere, impugnareque desino. Tantum quæ ad Astrologiam spectant, aliqua tangam, ut ultimo loco de verorum Characterum & veræ Magiæ usu aliqua noviſſima proferam, ut secretorum studiosis de-

ſerviam. Axioma vulgatiſſimum currit, Aſtra nullam vim coactivam in inferioribus, ſed tantum inclinativam ex humorum qualitatibus demonſtrare. Quatuor humores in corpore exiſtentes varia accidentia in ſuppoſitis producunt, puta humor melancholicus, flegmaticus, colericus & pituitoſus. Ex quatuor iſtis diverſæ animi motiones apparent, prout eorum aliquis in eo prædominatur, & agitat, puta lætitia, triſtitia, iraſcibilis, colera, & ſimilia. Humores vero in quatuor qualitatibus exiſtentes eo magis & minus agitantur, quo majores talibus humoribus ſuppoſitæ in illis exiſtunt vires. Qualitates ſimiles in Planetis, (ut demonſtravimus) exiſtentes denominationem ab eorum effectibus tribuunt: nam ſi qualitates Saturni vigent in ſuppoſito, Saturninos appellamus, puta triſtes, cogitabundos, & ſimiles, quæ accidentia ex humore qualitatibus Saturni ſimili deveniunt: nam melancholia ex nimia ſiccitate defluit, quæ qualitas Saturno competit: Sic de Martiali, calido nempe ex humore cholerico: de Jovialibus temperatis ex humore ſimili, & ſic de ſingulis: Non ergo à Planetis ſeu ab Aſtris denominatio elicitur, ſed per ſimilitudinem humoribus congruam cognoſcitur. Merito inclinationem tantum demonſtrant, quia qualitates alicujus Planetæ inclinant tali humore ex illius qualitatibus compa-

cto. Inclinative dicunt habere ad aliquam virtutem vel vitium propensionem. Nam cum voluntas sit libera, ad utramque dispositionem se extendere valebit. Inclinatio licet det faciliorem ingressum, & difficiliorem regressum, ad vitium nempe vel virtutem, tamen ubi summa repugnantia, ibi nobilior de repugnantibus victoria. Ille quippe optimus censendus est, qui malis inclinationibus resistens bonos habitus adipisci conatur. Nam licet in naturalibus meritum aut demeritum non appareat, tamen qui vitiis à qualitatibus & humoribus devenientibus resistit, & repugnat, summam meretur laudem. Qui vero insitas virtutes relinquens vitiis se profanat, dedecore & opprobrio vexabitur. Propriæ voluntati in malo inclinanti repugnando resistere nil nobilius, nil decentius, nil denique præstantius.

Si enim secundæ causæ ex eorum qualitatibus non inclinationem tantum, sed sua significata inevitabiliter demonstrarent, & ex hoc homo quasi fatali lege & necessitate astrictus astris suppositus & devinctus reperiretur, ne ab Angelis, sed à Brutis non solum minoratus diceretur & appareret, sed illius conditio Brutorum pejor extaret.

Effectus naturales à lapidibus & mineralibus devenire non absolute negatur: à Natura aliqua ex illis plurimum ornata fuisse

fuisse cognoscimus, sed ut effectus legi naturæ repugnantes ex illis progrediantur & appareant, omnino absurdum. Licet attractio ferri in Magnete sit conspicua: tamen effectus naturalis tanquam opus Naturæ dici debet. Natura enim ex operibus continuatis in utroque se demonstrat, puta in attracto & attrahente. Attractio ex se miraculum haud demonstrat. Jaspis sanguinem sistit, & hoc opus naturæ, ex qualitatibus in illo existentibus, puta frigiditate. Natura in tali lapide virtutem & proprietatem demonstrans etiam sanguineas guttas in ipso collocavit, & illum ipsis notavit. Sanguinem sistere non est contra ordinem naturæ, cum ab omni frigiditate talis actio producatur. Opalus multis coloribus à Natura ideo ornatus, ut in illo tales virtutes & proprietates censeantur, quæ in propriis Lapidibus & Gemmis, ubi colores illi extant, cernuntur. Tamen virtus illa ab Opalo deveniens non contradicit ordini naturali. Hilarem gestantem reddere, cor corroborare, & similia, ex vivacitatibus & colorum amœnitatibus, ac ex radiorum effluentiis devenire possunt. Nam per oculorum meatus spiritus emittuntur & recipiuntur, qui ad cerebrum, ad cor, & ad cæteras spirituales corporis partes evolant, ibi quidquid per visibilem prius operationem agitabant, confirmatione alienæ virtutis par-

ticipant. Hinc in deferente & in aspicientibus pari progressu naturales effectus demonstrare valet.

Invisibilem reddere, ab armis tutum præstare, thesauros invenire, & similia, contradicunt operi Naturæ, cum Natura ad hoc non se implicet, ideo fallaciſſimæ, vanæque indies apparent.

Sympathia Metallorum, Lapidum, & Planetarum, in hoc volumine descripta, tantum ad res physicas se extendit. Non enim Sympathia est effectus rerum Metaphysicarum. Aliquoties in Medicinis talis sympathia apparet, & aliquas operationes suis locis adnotavimus, in Magicis vero minime, & falsitas evidentissima. Quid ex se Metalla possunt? quid per se Lapides? Characteres in illis incisos nullius esse momenti, nullumque significatum habere demonstrabo. Planetæ qua via influant demonstravimus, Metalla per Sympathiam Erraticis conveniunt, Septem illi selecti lapides cuique Planetæ dicantur. Sunt etiam & alii lapides ad Planetas spectantes, nulli tamen eorum ex proprietate & essentia tam essentialiter per Sympathiam illis appropriantur, quam cæteri illi selecti, & per veram Sympathiam descripti, Efficaciorem in illis septem enumeratis per qualitates & proprietates naturalem sympathiam cognovimus.

Virtus igitur in Lapide alicui Metallo unita

unitâ efficaciorem se in Physicis ostendet, quam si per se sola extaret: virtus Metalli, & virtus Lapidis per eorum qualitates aliquid boni præstare valebunt: virtus unita fortior, si Planetarum influxus per qualitates etiam illis uniantur, augmentum in Physicis erit. Saphirus Solaris lapis Auro unitus effectus naturales ex mixtione qualitatum in Medicina demonstraret, prout etiam sympathiam cognovimus. Sic de cæteris Lapidibus & Metallis alicui Planetæ propriis, à quibus tantum qualitativa virtus a principio illorum productionis accepta efficacior in effectibus apparebit. Patet ergo contra Arabes ex illa trina conexione non nisi naturales effectus cognosci posse.

Et cum experientia comprobatur virtutes aliquas in quibusdam lapidibus reperiri, virtutes habere ullas minime negandum est, cum jam demonstraverimus ab elementis sive ab eorum formis recipere virtutes & essentias. Si aliquando in illis supranaturales effectus apparent, non absolute ex lapidibus proveniunt. Deus enim Opt. Max. instrumentaliter per Ministerium sanctorum Angelorum in illis operatur, ut in Adamantem summi Sacerdotis ex caloris mutatione Hebræo populo apparebat. Aliquando etiam permissive per Angelos Sathanæ. Occultas vero causas in Lapidibus reperiemus, si differentiam aliquam in quibusdam consideremus. Nam

in aliquibus eorum ejusdem qualitatis, differentia virtualis apparet. Alter enim virtute præditus exiſtit, quæ in alio ſimili minime viget. Aliqua ergo productiva & occulta virtus alteri eorum ineſt.

Pari ratione Magicas Metallorum vires tam activas quam paſſivam negamus: cum neque à Planetis influxus, & virtutes aliquas recipiant, neque aliis concedere poſſunt. Si virtutem aliquam poſſident, Medicinæ præſtabunt: nam aliqua ex illis per præparationem accommodata, ad varios à corporibus pellendos morbos, optima cenſentur. Tamen ne quis talem extremum & violentum medicamenti uſum temere recipiat, conſulo. Sæpe enim contingit, ut loco ſanitatis & valetudinis, continui dolores & ægritudines acquirantur. Quinimo aliquando & vitæ finis acceleratur. Paracelſi tempore hominum complexio vigoroſior erat, violentia humorum non ſuperabat, neque etiam adhuc doctiſſimus vir eſt in vivis. Licet multi Paracelſiſtæ indies pullulare conſpiciantur, Metalla æque præparare, & ex illis olea, ſales, & eſſentias extrahere non ſingulis tam facillime conceditur. Naturæ illud miraculum Paracelſus vixit, quid noviſſimi facturi ſint, experientia continuo ex illorum medicamentis demonſtrat. Metalla equidem ſeptem, Planetis ſeptem reſpondentia, ad ſeptem præcipua hominum membra accom-

commodari aptarique per Medicinam utique possunt; ad Magiæ usum nullomodo. Annuli ex tali Metallo confecti, sigilla, imagines, & similia, qua ratione à Planetis influxus & virtutes recipere possunt, cum jam non in fieri existant? Causæ secundæ influunt per qualitates insitas in materia æque disposita. Metallo à loco suæ consistentiæ egressa, depurata, & separata, virtutem attractivam & dispositivam, non secum inde asportaverunt, cum jam concluſum sit, locum ratione virtutis insitæ dare esse productivum, aëre mediante in ente producto: aër enim copulat inferiora superioribus, ibi productio, non autem in Metallo depurato. Arabes somniant fieri posse per sculpturas sub constellationibus & aspectibus: Quantum erroneum falsumque sit tale illorum dogma nunc apparet. Dato ut veræ sint illorum falsitates, impossibilitas tamen operationis clarissime innotescit, cum nulli homini licet in Astrologia peritissimo, liceat verum punctum alicujus signi sive Planetæ vel Syderis, ex ejus motu signanter reperire, ut in illo puncto (juxta dicta Balemis) signare & celare debeat; Si per figuras & calculos Astrologicos, ex diversitate calculorum & computorum id minime fieri possit: adeo ut verum punctum & motum alicujus Stellæ perdifficillimum sit reperire, qua ratione in recipiendis influxibus, in quibus exa-

ctiſſime punctum & conjunctio, vel quivis alius aſpectus requiritur, facili via ſecundum Arabes operabitur?

Concludendum igitur Sympathiam non ſe extendere niſi in Phyſicis: Fabulationes vero, ſeu deceptiones Arabum dimittendas, ut vera Magia, & qui ſunt veri characteres, & quæ per illos nobis eveniant, cognoſcatur. His cognitis Deo gratias agentes, Tractatus Sympathiæ terminabitur.

Veræ Magiæ, verique Characteris vera Deſcriptio.

Cap. X.

Magiæ naturalis fundamenta & radices in rerum ſpecificarum cognitione verſantur, ſub cujus nomine univerſarum ſcientiarum genera communerantur, quæ merito ad tres tantum reducuntur ſcaturigines, à quibus ut à fontibus infiniti prope rivuli pullulare & ſcaturire videntur. Naturalem Philoſophiam primam, Mathematicam ſecundam, & Theologiam tertiam appellamus. Magos equidem illos novimus, qui omnium ſcientiarum culmen poſſidere conſpiciuntur. Prius enim à rerum exordio principia cognoſcentes, ac Naturæ occulta penetrantes unionem cauſarum perceperunt, à quibus effectus produci videntes confirmationem inde per experimenta habuerunt: lætantesque ad tam mira naturæ arcana introduci, exactiſſi-

actissimam eorum cognitionem conceperunt. Tandem ex cognitione internum affectum cogitantes mirabilia efficere visi sunt. Igitur cognitio alicujus rei per esse specificum ad perfectam scientiam absolutissime ducit, qua ad invicem per proprietates cognita & unita, mira apud imperitos visuntur: tamen res Physicæ apparent, & per naturalis Philosophiæ investigationem operantur: Sunt equidem quorundam hominum præclara ingenia, quæ sub mira celeritate & perfectione ea efficiunt, quæ ne longo quidem tempore ab ineptis & rudioribus excogitari possent. Secreta à natura absconsa per vigilantiam, studium, & laborem à profundo illius antro in lucem addere, multam admirationem parit. Nam de re occulta aliquid producere, quo hebetes hominum sensus illudi possunt, hoc eos à veritatis tramite sæpe deducit.

Scala igitur Naturæ primo describenda erit, ut inde ingressus pateat. Per duo intervalla, sensum nempe, & judicium, ascendendum erit, cuilibet gradui convenientem operationem adaptando. Intellige in sapientia, & disce in intellectu. Humanus intellectus quæ supra sunt in sapientia intelligit, quæ vero infra sapit, in intelligentia percipit. Iterum sensus exterior statuit rem ab objecto per species oblatam, interior vero per abstractionem

ſpecierum & phantaſiæ peculiaris. Judicium inter utrumque ex apparentibus inveſtigando diſcernit. Ecce ex ſenſu judicio, aſcenſus præparatio, à qua rerum apprehenſio per decem operationes in decem eſſeutias diſtributas elicitur. Prima vocatur objectum, ſecunda aër, ſenſus exterior, ſenſus interior, fantaſia, judicium inferius, judicium ſuperius, ratio, intellectus, & Mens. Mens ita agit, ut ex indiſtinctis diſtinctionem concedat, quæ ſola equidem pars divina, anima animæ, & cor cordis nuncupari debet. Aſcendendo à primo gradu usque ad ultimum, omnium ſcientiarum diſtributive per diſtinctionem fit cognitio. Si cauſæ cognoſcuntur, inde effectus apparebunt, ecce objectum. Aër per diafanum ex viſibili ad exteriorem ſenſum perducit, qui interiori repræſentans fantaſiæ concedit & tradit. Statim pars inferior debilitate onuſta ad ea quæ ſua ſunt conduci deſiderat: à ſuperiori judicio tamen retinetur, & rationi ut operetur tribuit. Intellectus triplici via per triplices ſuas diſtinctas operationes agit. Mens gaudens, quæ poſſidet miro ordine percipit, percipiendo intelligit, & intelligendo diſtinctione naturali diſtribuit. Ex triplici vero intellectus operatione unam dum taxat terminat. Simplicium apprehenſio, ecce prima intellectus operatio: compoſitio, & diviſio, ſecunda: diſcurſus, tertia.

tertia. Mens licet tres æque bonas cognoscat, tamen operationem tantum sibi ut spirituali portioni satis esse demonstrat.

Hinc est, quod cum Magiæ naturalis cognitio sit secretarum rerum rerum contemplatio, in naturis, proprietatibus, potentiis, qualitatibus, substantiis & virtutibus etiam consistentiam habere tenetur, & rerum unio per applicationem dicitur. Hæc est illa omnium scientiarum Domina & Regina, quæ in Philosophiæ cognitione versatur, regit, suumque dominium exercet.

In Mathematicis vero simili fere via eadem progreditur, dum de rebus a materia separatis agitur. Mathesis cognoscit prout res sunt, in dimensionibus, numeris, speculationibus & similibus a materia omnino sejunctis & sublatis : & licet Astrologia in materiis conjunctis versetur, tamen non absolute in Mathematicis reponitur, merito enim Aristoteles libris quatuor de Cælo Physicas disputationes conjunxit, & propter rerum obscuritasem partes aliquas intactas reliquit, & ab omni motu, a quo longissime Mathematica recedit. Magia igitur in Mathematica, pari via (separatis exceptis) suas dirigit cognitiones.

Sacra vero Theologia, ab omni denique diversitate, a superioribus demonstratis suam sacratam Magiam producit, licet à

rebus

rebus naturalibus originem trahat, devenit tamen ad effectus supranaturales. Nam in centro terræ omnia lustrat, in profundo maris cuncta nominat, in aere universa prospicit, in calore ignis omnia tangit. A quatuor animalibus per quatuor elementa firmissime stabiliterque vagatur. Quæ calida frigida, quæ frigida calida reperit, quæ vero mixta distinguendo nobilitat, quæ segregata segregando dirigit & colligit, in confusione ordinem præmonstrat, in ordinem distinctissimum confusa repooit, & quæ tandem nullum ordinem cognoverunt, per illius accessum ordinantur. Hæc per alta maria sicco pede deambulat, sine pennis volat, & celsissima quæque montium cacumina, totiusque aëris Regionem transcendit. Per deserta ferarum lustra, per venenatorum serpentium ac draconum cubilia tanquam per regionem tutissimam, sine ulla læsione deambulat. Venti ad illius præceptum & jussum quiescunt: pluviæ ad illius præsentiam transeunt: grando, imbres, & tonitrua, illa apparente, fugiunt, impetumque dimittunt. Universorum Domina, triplici incedens, ornata corona, ab omnibus simul colitur, amatur, & sancto timore formidatur. Patres nostri priscis illis temporibus obnixe hanc cognoverunt, & mediante illius scientia mirabilia ubique perpetraverunt, omnique in eventu salvi facti

facti sunt. Primus omnium parens Adam hanc utique cognovit, dum ex lapsu mœrore pene exanimatus illam consolatricem habere meruit, & hominem justum pacificumque suo peccato remedium allaturum, & a sua progenie nascituram intellexit. Hæc primi hominis prima cognitio. O rem gratam desiderabilemque! Quid commodius? quid acceptius? quid convenientius aut aptius præstari possit? Hanc Enoc cognovit & possedit, quando raptus fuit, & illuc sublatus, ubi inundantium aquarum motus penetrare minime valuerunt. Non enim in aëre suspensus est, non inter aquarnm vortices, non denique in Arca seipsum exhibuit, sed a Sacra Dei Scientia tutus illic permansit, ubi pluviæ lacrimarum tutiorem viam demonstrabant. Hanc Moyses absolutissimus Dei minister cognovit, & possedit, dum Magnalia in Ægypto, Mirabilia in terra Cham, & Terribilia in mari Rubro perpetravit. Aquas saxum percutiendo produxit (loquendo tamen illi præceptum fuerat, ut via æquitatis & clementiæ, non judicii, aquæ impetrari possent) aquas hinc inde ut murum dividendo etiam superavit. Hanc Josue, Soli & Lunæ imperando ut sisterent, Ezechias etiam ut quatuordecim gradus retrocederet, cognoverunt. Hanc Gedeon, Samson, Jepte, cæterique Dei exercituum Athletæ

letæ posſederunt. Paulus ille ſummi Dei altiſſimi a ſecretis, hanc vidit, cognovit, & ad tertium Cœlum usque cum illa aſcendit, eaque revelante, arcana audivit, quæ hominibus revelanda non eſſe perhibuit. Per illius vocem fratribus annunciavit, eorum ſanctificationem Dei voluntatem extare. Patres noſtri noviſſimi hanc in ſpeluncis, in cavernis latitantes invenerunt: In melotis, in pellibus caprinis anguſtiati & afflicti, errantes ſemper ſecum aſportabant, & ut opprobrium hominum apparerent ſeſe occultabant: in occulto tamen radios emittens illos manifeſtabat.

Caldæi, Perſæ, Indi, Brachmanæ, Mecubales, Magi denique ſinguli hanc ex nomine tantum haud cognoverunt: ſi utique cognoviſſent, alio modo loquuti fuiſſent. Optime equidem, divina luce illuminante, tres illi Reges & Proceres cognoverunt, & adoraverunt, & terribilium ira eos non terruit, Angelum revelantem ab illa meruerunt, ut ad propriam regionem alia via pergerent, & Angelicis conſolationibus ſunt gaviſi. Regalis ſapientia, ſancta & illuminativa doctrina, quæ humilibus dat incrementum, ſuperbos autem in ſapientia eorum diſpergit. In duodecim pauperrimis adeo viguit, ut in omnem terram ſonus illorum audiretur, & in fines totius mundi eorum verba perciperentur. Tantum uno ſolo imbuti & ſignati charactere.

Si-

Sileant profani & ſtulti Arabes cum ſua falſa Magia & doctrina: Sanctam & divinam Sapientiam annuimus: quæ unde ſit, & unde venit ſcimus, & per vera exempla demonſtravimus. Illa unde exierit neſcimus, immo a tenebrarum Principe exordia & incrementa tenere fatendum Noſtra equidem converſatio in Cœlis cum Patribus noſtris eſſe debet, quia Salvatorem expectamus, Judicem & Redemptorem. Cognovimus redemptionem, expectemus judicium. Veniet equidem & non tardabit, morulam ullam non faciet: ecce jam in valuis domorum. Sancta Magia nos docet, compellit & jubet, ut paratos nos ad judicem expectandum ſiſtamus, ne lampades extinctæ ex torpore inveniantur, ne januis clauſis illuc introire minime valeamus. Charactere vero nos munitos ac armatos eſſe oportet, qualis ſit, & qua via inveniatur, dicendum.

Multi & prope infiniti Characteres in Magicis apparent, quorum falſitatem & deteſtabilem uſum recolere & recenſere, non ſolum impium, noxiumque, verum etiam impoſſibile foret. Varietas illorum vanitatem demonſtrat. Quid ſigna voluntarie adinventa prodeſſe valebunt? Magi impii & profani ex illorum perverſitate falſoque dogmate, ut diſcipulos & ſequaces poſt ſe haberent, ſimul etiam ad pœnas ſocios, figmenta talia & ludibria repe-

rerunt, & quæ minime cognoverunt ſtellis ac Planetis tribuerunt. Quæ & qualia ſint & cujus valoris, experientia ipſa huc usque demonſtravit ac quotidie demonſtrat. Signa nullius ſignificati nil ſignificare poſſunt. Cur ab aliis audire cupis, cum tu te ipſum non audias?

Illi veri ſunt tenendi, qui in ſignis & figuris ſignificata demonſtrant, ut qui Hebraicis literis adnotantur & ſcribuntur. Literæ enim Hebraicæ Characteres dici poſſunt, qui per configurationem ſignificatum habere valent, ut de nominibus divinis ex ſacris libris deductis, ac filiis Iſrael pertribus conceſſis diſtributiſque. Quatuor litterarum nomen ineffabile varie ordinatum & compactum varia quoque Dei ſummi attributa explicat, nec non ad diverſa imploranda juſta ejus ſignificata deveniunt, quemadmodum tale nomen quatuor characteribns in Thiara ſummi Sacerdotis inſculptum etiam prædemonſtrabat. Litteræ ſive characteres Hebraici laudandi ſunt. Nam de illis dictum fuit. *Et hi ſunt velut inſtrumenta in opere divino*, Ideo veriores & præſtantiores cæteris, qui nullum ſui principium, demonſtrant. Nomina Hebræa in quavis ſignificatione minime immutanda eſſe ſapientiſſimus Theologus & Philoſophus aſſeverabat. Nam Hebræorum Characteres cælorum configurant imagines: Qui Cœli inſtrumenta, quibus

Deus

Deus nobiscum agit, dicuntur. Dæmon ut aliquos per idololatriam perdat, alios velut simia, nullius significati, nullius efficaciæ & valoris adinvenit. Nonne sanctissima Dei nomina, & Christi filii ejus Characteribus scribuntur? Nonne in Hebraicis Character Spiritus sancti apparet, per quem remissio significbetur peccatorum? Sed cæteris Hebraicis postpositis ad sanctissimum, invictissimum, & infiniti valoris & efficaciæ Crucis Characterem properamus. Nam quemadmodum qui hunc sacratissimum Characterem sanguine proprio sacravit & fortificavit, tenet nomen super omne nomen, ut cælestia, terrestria & infernalia genu flexo ipsum adorent adorent & contremiscant: (Dæmones quidem usque adhuc contremiscunt, cum Christi nomen invocatur,) Sic Crucis benedictæ character insuperabilis ab omnibus colitur, adoratur, & obeditur. Hic est Character qui innumeram hominum multitudinem ab Angelo percutiente salvam fecit. Hic est ille Character quo nos signatos esse divina vox imperat. Per Crucem sanctam sanctæ magiæ demonstrantur & perficiuntur operationes. Per Crucis characterem cuncta nobis subjiciuntur, & Principes Rectoresque mundi & tenebrarum, obedire, & mandata summo Imperio præcipientium exequi coguntur. Quid falsitas characterum? Quid signacula diabo-

ca? Nunquid Regnum Sathanæ erit divisum? Deceptiones apparent, fallaciæ deteguntur. Character Crucis Christi, per quam mundus fuit redemptus, est omnium efficaciissimus. Per hunc maximæ authoritatis Characterem Patres jam enumerati suam sacratissimam scientiam & Magiam demonstrabant, & adversus totius Orbis Monarchas victores apparebant. Per hunc Characterem ignis non ardet, terra movetur, aer induratur, & aqua sistitur: ad istius præsentiam totus Mundus contremiscit. Sancta Crux, invincibilis Character, sub tuo dulcissimo nomine hanc meam repono sarcinulam, & huic meo labori tuum Characterem infigo, tibi voveo, & ei, qui te illustravit & decoravit, consecro. Ipse enim est ille Lapis summus Angularis, qui utraque unum fecit & connexuit, Petra sine manibus a monte impolluto puroque abscissa. Sanctus Lapis non sympathiam, sed unionem cum Erraticis possidens, nempe cum septem illis spiritibus Dei in omnem terram missis. Lapis magnus sacratusque, ad quem si quis offenderit non collisionem, sed unionem faciet. Agnus ab origine mundi occisus, cujus pelle Adamo vestimenta per septem Dei misericordiarum opera, ad sua nuda operienda, in origine illa, adaptata sunt. Agnus fortis vincens de tribu Juda, cujus virtute, fortitudine & robore liber non tantum apertus,

tus, sed & septem sigilla obserata, solutaque fuere. Non percutiendo a tali lapide aquas misericordiarum expostulo, & veniam sitiens imploro, sed rogando, orando, & gemendo ab Agno illo impetrare intendo. Sit illi, matrique sanctæ gloria in secula.

Pauca hæc de Lapidibus & Metallis ludens philosophabam. Sed ne locus contradictionis ullus relinquatur, paucaferam supra *fol.* 407. differens de corporibus cœlestibus ipsa animata esse tribus argumentis probavi. Quæ opinio, & si juxta Platonicos extet, non tamen erronea & falsa, omninoque à fide aliena apparet; cum fidei Orthodoxæ, animata vel inanimata esse corpora cælestia, non repugnet: Nam ex Prophetarum, sanctorumque alloquiis potius affirmativa, quam negativa apparet. D. Aug. in Enchiridion 43. & super Gen. 2. D. Thom contra Gen. 2. sed clarissime in 12. Quolib. Quæ verba ut necessaria & mihi congrua adducam. Ego autem, (inquit) dico secundum Augustum super Gen. ad litteram, quod non refert ad fidem, sit vel non animatum cæleste corpus. Idem tenet Scot. Sen. 14 dist. 2. & alii multi. Ne vero Scholasticorum compago amoveatur, & lubricam scrupulosorum opinionem offendam, infero opinionem D. Thom. in 6. de Spiritualibus Creaturis, a quo non recedo, & de tali in meis scriptis intelligendum censeo. Angelicus Doctor in dicto

cto loco sic ait. Duplex ergo erit ordo substantiarum spiritualium, quædam unitæ corporibus cælestibus, ut Motores, quædam vero erunt fines horum motuum omnino abstracte. Et paulo inferius explicans, infert. Dicere autem ulterius quod corpora cælestia sint hoc modo animata sicut inferiora corpora, quæ per animam vegetantur & sensificantur, repugnat incorruptibilitati cælestium corporum Tandem ad conclusionem dicti quæsiti concludit. Dicendum quod habent rectores spiritus, a quibus tamen non sic animantur, sicut inferiora animalia suis animabus. Hæc D. Thom. a qua sana sanctaque doctrina minime recedens supra, in hoc libro infero. Ex hic patet animam motricem in cælis extare. Et de tali anima tria illa adducta argumenta concludunt. Non enim de anima ut forma intelligibili intellexi, nec D. Thom. cum in cicato loco dixit, Quæ per animam vegetantur & sensificantur, nil de intellectione recensuit, Ex quo formam intelligibilem omnino excludere videtur, sicut & ego.

Singula determinationi & censuræ S.R. Ecclesiæ orthodoxæ summitto & exhibeo, cujus Caput adhuc exstat ad mille annos) S. S. D. D. Paulus divina Providentia apa, quintus: Ad cujus beatissimorum pedum osculum humiliter propero, ac prostratus flexisque genibus supplex adoro.

FINIS.

MAGIA ASTROLOGICA,

Hoc est:

PETRI CONSTANTII ALBINII
Villanovensis,

CLAVIS SYMPATHIÆ SEPTEM METALLORUM, LAPIDUM ad PLANETAS.

Pro majore illius illucidatione

Opus tam Astrologis, quam Chymicis per utile & jucundum.

Liber olim impressus PARIS. 1611. apud Carol. Sevestre & David Gillium.

Jam propter ejus raritatem recusus

HAMBURGI,
Apud CHRISTIAN. LIEBEZEIT. Anno 1716.

PRÆFATIO.

Non debemus vel tantillum quidem hæsitare, pa rem nostrum Adamum omnium artium & scientiarum professorem primum autho emque fuisse, perque lumen sibi a Deo concessum & insufflatum, rerum omnium ante & post lapsum cognitione habituque indutum. Præsagivit enim Mundum per aquam renovandum fore, pauloque minus quam delendum. Hoc fuit in causa, ut successores ejus duas erigerent tabulas lapideas, quibus omnes artes naturales a principiis suis, caracteribus hieroglificis insculpserunt, ut posteris etiam innotesceret futurorum eventuum matura Provisio. Noach postmodum in Armenia unam adinuenit tabulam, & illam super monte Ararth diluvio transacto, in qua superioris Firmamenti, & inferioris globi, rationes, & Planetarum cursus designabuntur. Tandem universales hujusmodi notiones particulatim in diversa distractæ, viribus adeo diminutæ sunt, ut talis separatio hunc Astronomum, illum Magum, alterum Cabalistam, & quartum Alchimistam effecerit. Tubal ille Cain Astrologus & Arithmeticus maximus ex Ægypto in Regionem Canaan traduxit, unde ad suos rediens, in tantum fastigium Ægyptii surrexerunt, ut ab istis ad alias rationes ejusdem rei etiam sapientia transierit. Patriarcha namque Jacob nonne ex tali dogmate oves, varias & pictas producere didicit? Semper enim Hebræi, Chaldæi, Persæ & Ægyptii penes Theologiam has etiam Artes liberales uti summam Philosophiam suis proceribus atque sacerdotibus proposuerunt addiscendas. Moyses namque cura & impensis filiæ Pharaonis in Scholis ægyptiorum instructus fuit. Idem Danieli evenit. Nam ab ineunte ætate Chaldæo-

tum suxit doctrinam, & in Cabala adeo perfectus apparuit, ut cabalistice convivantium leges ad Darii verissimam & propriam tradiderit sententiam. Profetiæ quidem donum in illo non negandum, attamen verba illa, Mene, Thecel, phares, Cabalistice exposuit, & ex propositis convivantium legibus, in Regem ipsum, & contra ipsum pervenerunt. Hujus artis cabalisticæ traditio apud Moysen & Profetas adeo familiaris fuit, ut ex tali scientia mirabilia perpetraverint, Antiqui sapientes, tam Hebræi, quam Chaldæi, hac arte naturali & mystica Deum probe nosse dedicerunt, & in illius mandatis & legibus firmius ambulaverunt. Pari formiter in libro Samuelis habetur viros diaboli sortes sequutos non divina permissione visionum apparitionumque verarum fuisse participes. Donum hoc sacerdotibus in divinis præceptis deambulantibus a Domino Deo concessum est. Mos Persis fuit, neminem in Regem præter Sophum id est Magum, re ac nomine sublimatum admittere, quod patet suorum Regum nomine, qui adhuc hodie Sophi nuncupantur. Tales etiam extiterunt illi Sophi ac Magi Persæ, qui Christum ab Oriente quæsierunt, & naturales Sacerdotes appellati sunt. Ægyptii quoque a Chaldæis & Persis hanc Magiam & Sophiam assecuti suos sacerdotes eandem sapientiam addiscere voluerunt; in qua tantum profecerunt, ut circumvicinis omnibus regionibus in admirationem venirent. Hac de causa Hermes vere Trismegistus nominatus est, quia Rex sacerdos & Magus sive Sophus, id est rerum naturalium indagator erat. Talis & Zoroaster Rex; Postmodum ubi filius Noach tertiam Mundi Partem a diluvio occupavit, hæc ars in Chaldæam & Persiam vi quadam irrupit, & inde in ægyptum. Id cum superstitiosi & idolatræ Græci subodorassent, eorum aliqui sagaciores ad chaldæos se contulerunt, & ad ægyptios, ut ex illorum Scholis eadem Sapientia Græciam ornarent. Sed cum eis non arrideret Theologicum Mosaicæ legis studium, proprio suo confisi genio, a recto fundamento naturalium hujusmodi secretorum & artis Physices exciderunt. Exemplo patet, cum tam fa-

bulose

buloſe de Moſaicæ legis doctrina ſenſerint ac titubarint. Ægyptiis mos fuit ejusmodi traditiones tam excellentis ſapientiæ, non niſi figuris, ænigmatibus, & abſtruſis hiſtoriis, vocabulisque proponere; Quæ omnia poſtmodum Homerus Græcus fabuloſo artificio Poematum adumbravit. Acceſſit Pythagoras, qui plurima ex lege Moyſi & veteris Teſtamenti permiſcuit. Pariter & Hippocrates, Thales Mileſius, Anaxagoras, Democritus, & alii, ſua non deſierunt ingenia humana his applicare, quamvis eorum nullius Aſtrologiæ, Geometriæ, Arithmeticæ nec Medicinæ-Phyſicæ veræ peritus eſſet. Impedivit eos nimirum ſua ſuperbia, quæ diſcipulos aliarum nationum admittere noluit, cumque non nihil a chaldæis & ægyptiis percepiſſent longe ſuperbiores quam erant antea natura facti, ſubtilioribus ſigmentis rem veram acuere non verentes, Philoſophiam quandam deſcribere conati ſunt, quæ poſtmodum ab iſtis Græcis corruptiſſima ad Latinos & Italos derivavit, qui tandem hac imbuti & inſtructi ſuis quoque dicteriis onerarunt. Ab his omnibus ad hunc modum larvata per totam Europam diſſeminata eſt, ut multas ubique gentium Academias conſtruxerint, in hujusmodi ſuorum dogmatum propagationem, in quibus Juventus inſtrueretur; & penes Germanos & alias Europæ nationes in hunc usque diem viget. Chaldæi vero, Perſæ & Ægyptii habuerunt eandem arcanorum naturæ primitivæque Phyſices incorruptæ cognitionem, item eandem Religionem, mutatis duntaxat ſapientiæ nominibus, Chaldæi & Perſæ ſuam doctrinam vocaverunt olim Sophiam atque Magiam. Ægyptii vero ob annexum ſacrificium, ſuam ſapientiam ſacerdotium vocaverunt. Perſarum Magia & Ægyptiorum Theologia docebantur olim in Scholis ambæ ſimul. Quamvis in Arabia, Africa, & Græcia, ſcholæ multæ, doctique viri fuerint olim, ut Albumazar, Abenzagel, Raſis, Geber, Avicenna apud Arabes, Machaon, Podalirius, Pythagoras, Anaxagoras, Democritus, Plato, Ariſtoteles, & Rodianus, apud Græcos, nihil ominus varii ſenſus ac diſſenſiones inter ipſos fuerunt, & quoad Ægyptiorum ſapientiam diſcordes extiterunt.

titerunt. Pythagoras ea de causa Sophus appellari voluit, quia suo tempore Sacerdotium & sapientia perfecte, ut par erat, minime docebantur: etsi multa nihilominus inde reportasset mysteria arcana, sicut & Anaxagoras, pro ut ex disputatione illius, quam de Sole & ejus lapide fecit, patet. Ægyptiis tamen in multis contrarius fuit: ideo eorum discipuli Sophi minime appellare voluerunt, neque Magi, sed Pythagoram ea in re imitantes, Philosophorum nomen assumpserunt: ipsi tamen non nisi scintillas quasdam ut umbras ex Persarum & Ægyptiorum Magia reportarunt. Verum enim vero Moyses & Abraham, Salomon & Adam omnium primus, Helias & Magi qui ab oriente venientes Christum adoravere, veri Magi fuerunt, & Sophi divini, nec non & cabalistæ, quorum artis & Sapientiæ Græci parum aut nihil degustarunt. Quapropter istorum Græcorum Philosophicam sapientiam, ut sophisticatam speculationem ab aliis veris artibus & scientiis degenerem, longe lateque distantem ac separatam relinquimus. Plurimi tentarunt secretissimam istorum sapientum Magiam tum scrutari tum in usum reducere: tamen haud factum fuit. Multi hac nostra tempestate Triteminm Abbatem exaltant, alii Baconem & Agrippam ob Magiam & cabalam, quæ tamen per omnia concordare non videntur in omnibus. Magia namque est ars & facultas per quam ad elementorum, corporum & fructuum suorum proprietatem, virium & obstrusarum operationum cognitionem pervenitur, ut doctissime Author Sympathiæ fol. 484. nobilissimis verbis, & alta doctrina demonstravit, per totum fere illud ultimum sui libri Capitulum. At ipsa Cabala ex anagogia viam ad Deum hominibus struere videtur, ac docere quinam cum ipso vivendum, & ex ipso proficiendum sit. Nam plena est divinis mysteriis Cabala, uti Magia naturalibus arcanis: præsagia siquidem illa futurorum ex natura preteritorum & præsentium effari docet. Hujus autem operatio consistit in Creaturis omnibus, tam cælestibus, quam terrenis corporibus cognoscendis intrinsecus, quod in ipsis occultetur, quæ vires atque virtutes lateant, cui destinata

sunt

sunt ab initio, tum quibus proprietatibus dotata. Hæc & similia vinculum exhibent, quo cælestia terrenis conjunguntur, ut oculariter etiam aliquando percipitur, ac sensualiter a suis operationibus. Talis in fluentiarum cælestium conjunctio, vel potius impressio, qua in inferiora corpora cælestes virtutes operantur, *Gamaheum* conjunctarum virium & proprietatum cælestium cum elementaribus corporibus dictum fuit olim a Magis & Sapientibus. Inde fluxerunt excellentissimæ conjunctiones astrorum superiorum cum inferioribus astris, id est Solis & Planetarum cum vegetabilibus, Mineralibus & Animalibus, ut per totum capitulum septimum, Author Symp. sui libri, Metaphysicis rationibus & demonstrationibus quasi divinitus descripsit. Diabolus vero miris conatibus tentavit, totisque viribus ejusmodi Naturæ lucem obfuscare, & non in toto sua frustratus spe cum totam Græciam ea privarit, & ejus loco speculationes humanas, & meras in Deum blasphemias & ejus filium, eo gentium introduxerit, ut Author Symp. in Epist. ad lectorem summopere dolet. Magia vero naturalis utique suam originem ex divino Ternario & ex Trinitate Dei duxit, quod Author symp. in folio 471. demonstravit, & in triplici gradu illam ordinavit. Fœdus igitur divini ternarii per totam rerum substantiam diffusi indissolubile manet, per quod etiam habemus arcana totius naturæ ex quatuor elementis. *Ternarius vero cum Magico quaternario perfectum septenarium producit, multis donatum arcanis, notisque demonstratum. Et cum quaternarius in ternario quieſcit oritur lux mundi in Orizonte æternitatis, totumque vinculum cum Deo nobis exhibet.* Ad hæc etiam accedunt vires & operationes creaturarum omnium, & usus earum suis arcanis signis, characteribus, & figuris insignitarum, ut in ea vix minimum punctum occultum relinquatur, quod non examinatione pateat. Quandoquidem uti quaternarius & ternarius ad denarium ascendunt, eorum fit ad unitatem regressus. In isto concluditur arcano omnis occulta rerum sapientia, quam Deus cum verbo suo, tum creaturis manuum suarum, palam fecit tum hominibus bonæ voluntatis, ut veram

eorum haberent notitiam. Patet ergo Græcos (ut revertar ad punctum periodi,) primos omnium artium fuisse corruptores. Isti Magiam (quæ antequam ad illos perveniisset, divina, sancta pureque ab Hebræis, Chaldæis, Persis & Ægyptiis tractabatur) sophisticis suis inventionibus conspurcarunt, & quod soli Deo conveniebat, diabolo ascribentes, pias preces, & sinceras orationes in superstitiones & nefarios ritus converterunt. Unde factum fuit ut loco Magiæ Necromantiam docuerint, & pro vera Physica somniatam phantasiam inanem & vacuam, pro Astronomia fictum idolorum Diabolicorum Regnum excogitarunt, cui Saturnum, Martem & Venerem ac Mercurium præesse voluerunt, sumptis nominibus lationum, furum & meretricum, quibus suos decorarent Deos, & ita Cœlo non parcentes, hoc ipsum in infernum transmutare conati sunt, & licet corpora cœlestia, per motum suum varias cognitiones tradere et confusione tamen eorum omnia pene in chaos confusissimum redegerunt & diabolicum figmentum, verum & reale prædicare minime cessabant. Hac via totum adeo mundum seduxerunt, ut nemo se Magum confiteri neque sapientem ob capitalem pœnam audeat, ut conqueritur juste Author Symp. in sua epistola ad lectorem circa finem & documentum aliis præstans, se ipsum excusat: cum jam nulla differentia adhuc vigeat inter græcorum falsam Magiam, vel potius necromantiam, & pristinam Hebræorum Sapientiam & cabalam, & Ægyptiorum veram Theologiam, prout in Orphæi scriptis intelligentibus apparet. Maneamus ergo nos in incusso lapide fixi, & mundus, qui decipi desiderat & vult, decipiatur. Quid mirum si Author Symp. obscure scripserit, & suum librum Apostolicis dogmatibus plenum reliquerit? Si enim aperte & distincte, ut par erat, scripsisset, Græcam doctrinam elucidare prædicasset, ipsumque & suum librum damnassent, sapienter sapiens egit, & clavem inde tradendi laborem aliis reliquit, quæ quomodo & qualis sit, omni conatu tradere ausus sui, germanamque veræ opinionis interpretationem invenire omnino studui.

PETRI

PETRI CONSTANTII ALBINII
Villanovensis,

Clavis Sympathiæ septem Metallorum & Septem Selectorum Lapidum ad Planetas,

Pro majori illius elucidatione.

Percute Domine gentes impias cæcitate, ut videntes non videant, & audientes non audiant. Deinde Domine Sabaoth aperi oculos servorum tuorum fidelium, ut cognoscant, sciantque te, & mirabilia opera tua, & opera sanctorum Angelorum tuorum. *Reg. 4. cap. 6.* Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera Dei revelare & confiteri honorificum est. *Tob. cap. 12.* Non igitur secreta adeo sunt revelanda, ut profanentur, neque ita omnino abscondenda, ut non percipiantur penitus. Extremitates non carent vitiis, medio tutissimus ibis.

Author sympathiæ, et si secreta a se adnotata, ut perciperentur curam adhibuit non tamen id facillime fieri posse existimavit. Si enim distincte & clare scripsisset, secreta dici non potuissent. Quæ enim prælo traduntur omnibus patent, & universis legenda committuntur. Scripsit

Scripsit equidem distincte, non tamen ordinate, in ordine confusionem posuit, & in confusione ordinem demonstravit. Intelligenti & perito facillimus ingressus & regressus erit. Qui vero ingenio sunt adeo hebeti ut notitiam nullam inde percipiant, quid illis distincta cognitio? confusionem in distinctissima distinctione etiam reperiunt. Nevero tantus labor, tamque mira secreta omnino non reluceant, & ne ingenia nobiliora nimia investigatione fatigentur, clavem tradere necessarium mihi visum est, qua seræ illæ valeant aperiri. Naturæ antro per eam reserato, mira arcana quasi in promptuario visentur, quæ quisque pro modulo suo suaque capacitate sic accipere poterit, ut non satietur, neque condoleat. Antrum Naturæ in Sympathia apparet. Utrum Principia innotescant in dubio est. Qui tamen verba illius legerit, variam equidem doctrinam in ea conspiciet, secreta syderum, Planetarum, & elementorum formas videbit. Sed qua via, quave Methodo id assequatur & quorum illa, sine ductore, nequaquam scire poterit. Ductorem clavis præstabit: Clavis nemini nisi perito conceditur, Peritos omnes se esse somniant: omnibus ergo tradenda. Lata lectaque est sententia. Quod gratis accepimus, gratis dare debemus. Procul este profani, ecce clavis antrum aperit, si-

stite

stite parumper. Nam exuberans rerum absconditarum vapor exhalat, mortiferus satis. Non adeo velociori gressu vobis introire licet, ne suffocemini. Sistite aliquantulum, donec evanescat virus violentum nimis. Considerate interim opera Dei, non naturæ. Tu nomen Dei naturæ mutas, Dei opera magnalia considerandæ sunt, & ut boni consulas, admoneo, ne a nimio desiderio tractus in Centrum traharis, & præceps ruas.

Author Sympathiæ antiquos imitatus Philosophos, qui, cum secreta reperissent, ne ad pravorum hominum notitiam pervenirent, variis multisque modis ea occultabant. Quæ in multorum manus deveniunt, multis scatent mendis. Consultissime equidem actum. Cum vero sympathiæ liber variis expositus fuisset hominum palatis, varie tamen de illo multi senserunt, eaque se legisse præ gaudio publice professi sunt, quæ non ante annos plurimos in aliis compererant Codicibus. Suæ nihil ominus voluntati non plane satis factum fuisse clamarunt. *Viderunt namque metalla Planetis dicari, Planetas lapidibus accommodari, lapides metallis, Metalla lapidibus deservire.* Sed quo fine, qua utilitate, minime pervestigare, & invenire potuerunt. Quid tabella illa septem annulorum indicaret, ad eorum cognitionem minime pervenire potuit. Aliunde præparatio Metal-

lorum, disposítio lapidum Sympathiæ adinuicem, concursus qualitatum, uniformitas nominum, deductio vocum, applicatio formarum, receptio influxuum, & prope alia infinita, quæ hinc inde sparsim in volumine Sympathiæ conspiciuntur, considerandaveniunt. Hinc animorum nostrorum antiqua illa sciendi voluntas, immortale desiderium, & rerum occultarum anhelitus adeo cruciat, torquet & clamat, ut ad aures curiosi viri clamor devenerit, qui labore susceptoquæsivit, investigavit & cognovit, prout author in Pag. 316. dicit. Quæras & invenies, non sine magno, eximioque labore, aperiendi Antrum Naturæ clavem adinuit, non a verisimili prorsus omninoque alienam. Verisim, equidem foret, si hoc ab Authore peractum fuisset, ut plurimum & a plurimis ejus præcipuisque amicis rogatus fuerat: Verum ille principiis insistens defendit se, asseverando, se nil aliud sentire, quam quod ad litteram apparet (& revera dicit, tamen ordo nescitur) nil sub velamine aut ambage scripsisse: Si quis vero alia reperisse jactatur, nugas, vanitates, impostúras esse ab omni sua mente alienas. Ne igitur in vanum cucurrisse videar, bravium hujus cursus præ cæteris consequi ambio, meam qualis cunque sit illa voluntatem ostentare, quam etsi alienam a suâ Author dixerit, suam tamen a meâ non alienam esse censeo.

Du-

Dubium non est, quin Author Sympathiæ pro sui ingenii acumine & subtilitate, ea investigavit & adinuenit, quæ pro humano captu aliis nunquam, etiam per mille annos innotescere potuissent. Nam ex antiquissimis probatissimisque Authoribus ea percepit & adinvenit, quæ ex varietate & novitate productionis potius incredibilitatem quam admirationem pariebant. Unde rumor de illius doctrina adeo crevit, ut etiam apud peritos plurimos humanas vires excedere credita sit. Et propterea volens sui ingenii aliqua digna monumenta posteritati relinquere ac immortalitati consignare sic eum adnotare oportuit, ut conceptam de sua scientia opinionem destrueret, & penitus adnihilaret, ut ipsemet in variis suæ sympathiæ locis enunciat, ut in epistola ad omnes, prope medium, & in folio. 248. apertissime protestatur. Equidem cum sit religiosus Romanus caute propter cucullatos & scrupulosos incedendum illi erat, cum in rei veritate ubique terrarum & nationum optimum adeo Catholicon Romanum se exhibuerit, & tali charactere sit munitus, Cruce videlicet alba, ut aliter dici minime possit. Semper integerrime & religiosissime vixit, & varius nationes vidit & cognovit varias inquam & in Religione & in fide sed semper etiam sicut malus in lignis sylvarum, inconcussus, stabilisque

permanſit. Ea vero quæ exanavit ita exananda fore cenſuit, ut ſcandalum puſillis non gigneret: Omnia tamen non niſi catholica & ſanæ Doctrinæ. Etſi admirationem tribuit, non æque omnibus, ut ipſemet c. 10. Symp. forſitan de ſe ſcribens, ait: Sunt equidem quorundam hominum præclara ingenia &c. usque in finem periodi. Et ſimiliter in epiſtola ad omnes circa finem conſilium dat, ut non libere, quod poſſidetur, coram omnibus propaletur. Quibus rationibus ſecreta Magiæ naturalis per Aſtrologiam abſcondiſſe credibile fuit, & occultandi modum inveniſſe, qui fuit, ea tantum ſcribere & adnotare, quæ potius ad aliorum opinionem contrariandam pertinerent, & ordine in ordinato obſervato, confuſionem in rebus Magicis parerent, ut alia via crederetur, quod in una minime judicabatur. Hinc eſt, quod Sigilla, Imagines & Figuræ, tam Aſtrologicæ, quam Magicæ ante libros Sympathiæ videntur, de quibus ipſe dolore demonſtrans ſummopere gaudet, ac earum inventores vera adnotaſſe ac ſcripſiſſe dicit, ut in Epiſtola Lazari Mozenighi prope principium. In quibus locis licet appareat, nullius valoris & utilitatis illas eſſe, tamen ut bonæ & perfectæ ex inventione laudantur. Verum enimuero non niſi naturalia docet & Magiæ naturalis operationes, quæ per Aſtrologiam operantur.

Fal-

Falsis characteribus non utitur, impias conjurationes non adhibet, pacta noxia detestabiliaque non annuit: denique non nisi vera, absoluta, & pura naturalia a principiis Astrologie fluentia, & ab influxu planetarum currentia. Influxus etiam Schola Theologorum confitetur, necessitatem vero illis imponere absurdum impiumque cum illa dicimus. Ut igitur secreta in libro Sympathiæ contenta per clavem demonstrem, aliqua paucis adnotanda sunt, quibus cognitis facilior patebit ingressus.

Primo Author Sympathiæ, volens demonstrare vim & virtutem Metallorum & lapidum selectorum cum Planetis maximam extare, ut qui sit lapis et quomodo Metallo Planetario sibi congruo aptetur: Annulorum Fabellam scripsit & depinxit, ut inspicientibus per investigationem innotescat aliqua occulta ibi demonstrari, & investigatione digna reperiri. Nam Sympathia illa ab ipso antiquis nuncupata non sine aliqua probabili & vera ratione ab antiquis Philosophis adinventa & via naturali ea agit, quæ supra captum naturæ apparent. Ex tali namque positione opus naturæ ex Metallis & lapidibus ad effectum supra naturalem ex Planetis posse ferri adinuenit, & summis antiquisque Philosophis consultis Magiam Astrologicam adaperuit, & per influxus in Metallo & lapide receptos effectum producere de-

monstravit, ut in folio 259. sympathiæ apparet.

Secundo demonstravit, qui sint septem lapides Planetarii, vere & non fictitie ideo Sympathiam inter illos & Planetis demonstrat, ut in libro Sympathiæ folio 296. apparet. In quibus eorum proprietates, tam solas quam unitas docet, & quomodo sint eligendi, ut perfecti censeantur folio 199.

Tertio, volens omnimodam scientiam detegere per negationem veritatem demonstrat. Ideo confutando opinionem Philosophi Balemis, illam demonstrat & declarat, & de præparatione Metallorum & de purgatione, ut pura existentia ad opus Astrologicum accommodentur & disponantur. Chymicam item in velamine aperit, & tamen chymicæ secreta perfectissima & vera docet fol. 291. usque in finem, in quibus illa admirabilia in arte chymica detegit, quæ usque modo a nemine fuere libata, neque credo cognita. In Particulari de vivo Argento, quod in alia Metalla transformetur ut operi Magico per Astrologiam deservire possit.

Quarto qua hora & sub quo Planeta id fieri debet, in opinione Balemis confutanda demonstrat & elucidat folio 291. quæ quidem via Astrologis erit nobilissima, cum de horis Planetariis sit sermo, quæ horæ quomodo perquirantur & a quo tem-

tempore sit enumerandum, periti in arte bene norunt, ideoque ut prolixitatem vitemus, reticebo.

Quinto, idem de lapidibus cælandis & sculpendis docet non solum veram illorum electionem & perfectionem, sed viam & ordinem ut pag. cap. 9. Sympathiæ docens etiam, quomodo virtus Planetarum, & virtutes lapidum & Metallorum simul unitæ efficaciorem effectum producere valeant.

Sexto figuræ septem Metallorum apparent in libro 3. de lapidibus cap. 12. in quo sigillatim cuncta videntur & deinceps in Sigillis aliorum Philosophorum ibi appositis demonstrantur. Ibi de triplicitatibus, de figuris, de stellis, & de singulis ad Magiæ naturalis Astrolog. necessariis apertissime differitur.

Septimo docet, quomodo Planetæ valeant ad virtutes in Annulis, & quæ sit cuilibet Planetæ propria virtus & efficacia, & quales effectus producere valeat. fol. c. 9. Symp. Ubi de essentialibus Planetarum qualitatibus non inconsulto diffusius agit. Ad quorum majorem notitiam hæc infero. Saturnus habet ex bonis Agriculturam, Fodinas Metallorum, thesauros & similia. Ex Personis Senes, Agricolas, Fossores & similes. Iupiter ex rebus dignitates Ecclesiasticas & seculares, juxta suam positionem & configurationem regna, justitias, hono-

res & similia. Ex personis magnanimos, mansuetos, Prælatos, Præfectos & similes. Mars ex rebus, rixas, militiam, robur & similia. Ex personis milites, audaces, prædones, & similes. Sol in rebus magnarum potestatum, regnorum, & similium est significator. In Personis Regum, Principum, magnatum & similium. Venus ex rebus, amorem, affabilitatem possidet. In Personis mansuetos, amantes, musicos. Mercurius negotia, Mathematica studia. Ex Personis Studiosos, artistas, ingeniosos, mercatores. Luna, quæ in aquis & locis humidis, itinera. Ex Personis humiles, viatores, peregrinos, piscatores &c. Ex quibus apparet, quibus configurationibus Planetarum sit conficienda Ars, ut Magia Astrologica per effectus demonstretur.

Octavo demonstrat cap. 9. Symp. quæ virtus sit in lapidibus Astrolog. accommodata, & adducit proprietates mixtas, ut in textu usque ad finem periodi. *Ex trina armonia, lapis, Metallum & Planeta apparet.* Fol. 323. per totum Cap. 8. ubi varia & mira secreta Magiæ naturalis apparent.

Nono negando influxus posse aliquid boni agere, non enim negat influxus absolute, cum sit suum assumptum firmiss. docet modum faciendi & recipiendi verum & essentiale punctum. Nam in folio 482. dicens nullum hominem posse verum punctum alicujus Planetæ vel aspectus expres-

se

se ex illorum velocitate recipere, insinuat id posse fieri & assequi cum formis jam præparatis & dispositis, ut in ipsa conjunctione & configuratione Planetarum & signorum, non celando, sed imprimendo statim influxus recipiatur, si in Metallo id faciendum esset. Si vero in Lapidibus sufficit, ut in puncto congruo insculpantur Lapides jam præparati & dispositi: per horam & punctum Planetæ proprii celari & sculpi imaginem sive signum congruum, ut infra ostendetur. Si vero in tempore conjunctionis & configurationis opus non terminabitur, cum jam major pars & præcipua sit completa in hora & puncto debito.

Decimo, docet modum certum, quomodo influxus a parte superiore in inferiora attrahantur. Nam c. 10. Symp. scalam admirandam describit, unde per decem gradus mens unita corporibus cælestibus id possit assequi. Nam in hora & puncto alicujus Planetæ, sub cujus imperio & dominio formandæ sunt imagines Metallorum vel lapidum, sic & totaliter debet esse dispositum, præparatum, & in semetipsum unitum, *ut mens & anima adeo superioribus corporibus uniantur, ut invisibili via & spirituali medio anima ipsa, sive mens* (quæ ab authore c. 10. Symp. *vocatur cor cordis & anima animæ*) percipiat intelligentias illius orbis motrices fol. 336. & in ipsis productioni-

bus uniantur, ut per naturalem obedientiam influxus animæ operatrici obediant & decurrant, quæ omnia verbis obscuris in scala demonstrat. Hæc omnia sub dio sunt operanda, ut influxus libere descendant, & facili via percipiantur, ut folio 367 & 336. clarissime docet dum *de aere medio copulativo loquitur.* Quæ omnia clarissime demonstrant viam ad operationem Magicam per Astrologiam. Nam in folio 471. per totum usque ad finem, per trinam intellectionem ad unicam operationem facili methodo pervenitur, qua de causa folio 332. cap. 8. per totum discurre, & varia secreta Magiæ deteguntur, *trina armonia, Lapis, Metallum & Planeta.*

Undecimo, quando disputat de motu Planetarum, de qualitatibus & formis elementorum, & de ipsis propriis Elementis folio 395. exemplificat de homine, & de forma, puta de anima, quæ ad Magicam Astrologiam conveniunt, nempe de unione mentis ad Astra, & quomodo cognoscuntur operationes ad diversos effectus. Hoc tractat in dicto fol. & cap. septimo, in quo capite quantæ continentur litteræ, tanta secreta vigent: ideo caput illud maxima indiget consideratione.

Duodecimo in folio 241. ubi de præparatione Metallorum differit, præclara & mira admodum enunciat, & *non absre de vivo argento in plumbum conversa.* Et folio

242.

242. dicit se non dixisse sine aliqua ratione & necessitate, cum ex vivo Argento opera Mercurii debent operari. Et necessario tale Metallum ad operationem accommodandum erat. Ex quo valde venit considerandа talis doctrina. Nam nullus Author a principio & origine Scientiarum occultarum tam admirabilem neque docuit, neque tractavit, sed in operationibus Mercurialibus alia Metalla accommodabant, quinam stannum, alii Aurichalcum, alii plumbum, & alii alia somniabant, non tamen opus ad perfectionem ducere valebant, cum non de Metallo Planetæ proprio operabantur: Author nova donans, brevi via id posse fieri demonstrat.

Ultimo non absre librum Sympathiæ præcedunt sigilla, imagines & figuræ diversorum Astrorum, ex summa necessitate id factum fuit. Cum in illis omnes configurationes, triplicitates, positiones, & valores syderum appareant: & illorum figuræ & positiones a quibus, & cum quibus, quilibet in Astrologia peritus operari valebit, figuras construere, imagines formare, & in Magia Astrologica mirabilia perpetrare, ut fol. 143. Cap. 8. & deinceps usque in finem libri, quibus cognitis apparebit via operationis, prout in demonstrationibus sequentibus in particularibus figuris & annulis patebit.

His sic aptatis clavis patet, ad aperiendum

dum antrum Naturæ adeo apta idoneaque, ut nil desiderari possit. Tamen antequam ad ultimam notitiam deveniatur, lectorem admonitum volo. Nam quemadmodum ex multa lectione & investigatione, multo labore & angustia hæc acquisivi: sic ne in profanis vanisque actionibus aptentur, deprecor, ne cuilibet petenti detur, ne avaritiæ quolibet genere animetur, ne profano lascivoque amore vincatur, ne denique taliter operetur, ut profanentur & evanescant. Nam licet clavis datur, non tamen nisi peritissimis Astrologis intrare conceditur. Non enim nisi per Astrologiæ principia operandum erit. Talis enim magia naturalis in configurationibus positionibusque Astrorum consistit superstitionibus quibuscunque remotis & relictis, qui enim recte, optimeque suum influxum recipere sciverit, tutissime finem suæ intentionis acquisiverit prout in decima notatione diximus. Nempe artifex in Principio artificii semper intentionem fixam immobilem & unitam fini suæ voluntatis operatricis, ut *anima & mens attrahant influxus aere mediante sub dio.* Ad Astrologos sermo, ut, quæ non necessaria sunt, sic tractent & revolvant, ut non in judicium magni Dei incidant, & Authorem Sympathiæ summopere lædant. Clavem trado, seræ alligatam trado, sera non diffecanda, sed ad tempus aperienda. Ad praxin igitur accedamus. Vo-

Volens quisque annulum Saturni formare, ut per illum aliquos effectus videre possit, sive imaginem & Sigillum, sic debet agere.

Dispositamente & adeo unita in semetipsa, ut non aliunde vacillet, accipiat primo Plumbum Metallum Saturni, hora saturni, sive matutina sive pomeridiana, Saturni in sua exaltatione non combustus, non offensus a radiis noxiis, in bona configuratione, melioreque aspectu, prout Astrologi in electionibus facere solent, & illam horam eligant, quam meliorem cognoverint, ascendentem cum decimæ Domino fortificent, & his ita peractis, oportet, ut luna sit in capricorno, vel prope, tunc fundant plumbum & præparent, ut in libro Sympathiæ dictum fuit, quo præparato, reponant in capsula plumbea, panno lineo nitido cooperto, omnia agantur sub dio vel in loco undequaque aperto puta in aliqua Galeria aperta. Similiter agatur de Turchesia, quæ eligatur, ut dictum fuit suo loco Sympathiæ, similiter reponatur simul cum Plumbo. Expectandum iterum, donec Saturnus configuretur cum potentissimo aspectu, fortis, potens, & in majori sua exaltatione, quia, quanto potentior, eo efficaciores influet influxus. Tunc hora opportuna, in qua conjunctio optima erit, incipiatur lapidem sculpere & signare. Hoc pacto si annulus faciendus sit, in lapi-

lapide pro sua capacitate & magnitudine illam figuram signabis, quæ Saturno propria & peculiaris dicitur, vel saltem proprius illius intelligentiæ Character: si hoc opus ab aliis artificibus faciendum venit, curandum erit, ut ipsemet Artifex mentem unitam habeat operi, & operandum erit hora congrua & propria dictæ bonæ configurationi. Tamen tumet semper tuam intentionem in opere manda. Finito opere lapidis fac similiter de Metallo, adeo ut omnia simul correspondeant, operando in fusione Annuli eadem via, sicut prius fecisti in descensu influxuum signando characteres conjunctionis intus in Annulo. Si rite peregisti, effectus mirabiles inde apparebunt, & qui supra vires naturæ credantur, prout dicetur. Eadem via tenenda erit in operationibus aliorum Annulorum, sive Imaginum & Sigillorum, observando methodum in adnotatis descriptum.

Ad inveniendam pecuniam absconditam in quovis loco.

Multi quærunt Thesauros via impia & infanda, nempe per conjurationes spirituum malignorum, & aliorum modorum indebitorum & fallacissimorum. Illis modis relictis tantum annulus Saturni rite & debite peractus sufficit. Nam in annulo Saturni data figura Astrolog. in electione peracta, pergas ad locum pecuniarum, *videbis effectus inde apparere, & a nemine impediri posse.* Ut

Ut secreta revelentur.

Habeas Annulum Saturni in digito, quisquis libenter revelabit tibi, quicquid ab illo desideraveris. Sic etiam deferenti hunc annulum omnia saturnina opera obedient, etiam homines. Nam sicut Saturnini a Saturno denominantur, sic Saturno ipsi obedire in occultis tenentur. Unde qui defert Annulum, seu imaginem, vel sigillum Saturni Saturnum quodammodo representare videtur, unde ab aliis veneratur & honoratur, tanquam esset ab illo denominatus. Si quis cum tali annulo, sive imagine tetigerit aliqua comestibilia, & data in esu fuerint, vel immixta alicui liquori, sanant infirmitates melancholicas.

Hæ & similes detalibus annulis, erunt virtutes & proprietates, quæ ut permanere valeant diu, & non perdant efficaciam, erit conservandus magna cum reverentia & decore, non feras continuo tecum, ne polluaris, & Annulus similiter, nec cubes cum muliere, neque coitum exerceas, neque quando pergis ad venatum. Et similiter dico de cæteris Annulis Planetarum.

Annulus Jovis fit eodem modo ut dictum fuit de saturno, mutatis mutandis, nempe Metallo & Lapide. Iupiter peroptime collocatus, liber ab omni maleficio, non combustus, non retrogradus, luna in sagittario vel prope, figura vel character sicut de saturno dictum fuit: in Metallo insculpas

pas signum illius conjunctionis, prout in figura electionis inspexeris.

Annulus iste deferenti dat honores, dignitates, reverentiam, & dilectionem apud omnes, & proprie apud supremos Proceres, & in dignitate constitutos. Dat etiam gratiam & benevolentiam, dummodo bene tractetur, ut dixi. Confert bonam fortunam in aucupio, tam volatilium quam terrestrium, & cuncta opera a fine dependentia obedient illi. Omnes honorabunt deferentem, & quando loquetur, admirationem inducet.

Annulus Martis fit de Metallo & lapide Proprio, hora & tempore congruis, luna in capricorno existente, vel prope: ipse ab omni maleficio aspectu alienus, fortis potens, liber & dominans: fortunabis ascendentem prout in hora tuæ electionis, accommodando omnia ut scis per viam Astrologiæ. Signum & character erit prout in sigillis Planetarum videbis fol. 191. In ferro sive in annulo sculpes signa illius triplicitatis prout in figura electionis, adeo ut carnem tangant. Virtus hujus Annuli, sive sigilli, sive Imaginis multum valet & particulariter ad victoriam contra omnes inimicos, tam occultos, quam manifestos: in prælio tam publico, quam privato victorem facit. Omnia opera Martialia illi obedient, prout supra dictum fuit. Annulus solis fit de Metallo & lapide illi proprio

prio & congruo: operabitur, die & hora Solis, in sua exaltatione, non offensus, non læsus, non denique male affectus, luna in Ariete, vel prope & operando mentem sive animam (ut dixi) uni operationi. Signabis metallum signo melioris figuræ, & fortunæ & habebit multas & prope mirabiles virtutes, præcipue coram Regibus & Imperatoribus: nam deferenti mirabiliter auxiliabitur, & quicquid voluerit, impetrabit, præcipue a personis sublimioris status & præminentiæ: tunc custodiatur nitide, purusque existat & vivat, alioquin profanabitur, in Symp. fol. 397. Præterea in reconcilando diffidentes mirabilia perpetrabit, omnia denique opera Solis illi obedient, prout in septima adnotatione dixi, ratione Planetarum, & in rebus, & in Personis.

Annulus Veneris fit de Metallo & lapide sibi convenienti, hora & tempore propriis, fortunabis Ascendentem cum Domino decimæ vel undecimæ auferendo ab illo omnem malum aspectum, ipsa vero potens, libera, non conbusta neque læsa, *luna in libra vel prope existente.* Figuram ejus invenies loco solito characterem illius signabis in Metallo ponendo signum fortius & validius in Metallo, ut carnem tangat. Effectus & virtutes hujus annuli sive sigilli & Imaginis erunt mirabiles, nam tangens quem volueris, juxta tuam intentio-

nem amaberis, miraberis, & gratiam a mulieribus acquires. Omnia venerea, tam in rebus quam in Personis deferenti obedient, valet præcipue in matrimoniis contrahendis, tam mulierum quam virorum, a quibus summopere diligetur, pacem & concordiam cum dissendentibus componet, & consilium illius quasi oraculum audietur. Cætera vide de aliis annulis, ubi etiam de isto. Annulus Mercurii conficitur ex Metallo & Lapide ad ipsum spectantibus. Argentum vivum primo præparabitur præparatione in Symp. demonstrata fol. 232. ut ad operationem aptetur, & malleationem sentire possit, quo disposito ad Magiam Astrologicam deveniendum. Tamen ad fixandum vivum Argentum incipies operationem in die & hora Mercurii, ipse bene affectus, & non retrogradus, sufficit tamen incipere in tali configuratione sin autem, parum refert, dummodo mens sit disposita & unita operationi. Accipias igitur vivum Argentum præparatum, fac ut de aliis Metallis jam feciſti, similiter de Lapide Mercuriali: In qua operatione expectandum, ut configuratio Mercurii sit æque peroptima, ut de aliis Planetis dictum fuit, eligas diem & horam, figuram componas, & fortunabis ascendentem via meliore, *luna vero in Virgine vel prope existente, valeat ad acquirendam doctrinam inclusus ore*, ut inde per meatus spirituales ad partes memo-

memoriæ & cerebri ascendat, & acquisitionem eorum quæ studes, faciat; revelabuntur profunda & occultiora mysteria & intelliges faciliori via dicta summorum Philosophorum, & altiora totius scientiæ secreta tandem omnia opera Mercurialia, tam in rebus, quam in Personis deferenti obedient, dum modo debito & recto modo omnia peragantur, in Mercaturis venditionum & emptionum fortunabitur, in ludo etiam efficiet lucrum, & pecunias acquiret, vel saltem de sua non perdet.

Lunæ Annulus conficitur de Metallo, & de lapide sibi convenienti, debet fieri ipsa in plenilunio existente, ab omni mala configuratione aliena, non læsa, non affecta, sed per omnia optime configurata hora & die congruo: In electione illa eligatur hora, quæ magis sit favorabilis, & insigno in quo habeat aliquam dignitatem, fortunabis ascendentem cum domino septimæ, & tale signum in Metallo prope lapidem sculpas, via jam demonstrata, quæ omnia si rite & recte peragantur, Annulum sive Sigillum vel Imaginem habebis ad omnia opera luna sufficientiss. & fortiss. & tam in rebus, quam in Personis valebit, pro itinere, tam in mari quam in terra validiss. existet, & in periculis in illis occurrentibus summopere opem ferendo auxiliabitur. Cætera quære ab universalioribus.

Hæc spectant ad operationes Annulorum,

Imaginum, & Sigillorum, quæ ab Authore sympathiæ sparsim in suo libello sunt posita, & exarata. Jam via modus & tempus fuerunt demonstrata, quæ ad alias operationes Magicas Astrologicas spectant, via patet, facile est adinuentis addere. Sed cum jam via præparata & dispositia appareat, ne in vacuum lapides elegisse tædeat, etiam imagines & secreta Budasari summi Philosophi inferam, qui libellus licet Ptolomæo inscribatur, non tamen ab illo fuit compositus.

Pro quarum intelligentia advertendum quod, quando formandæ sunt imagines, debetur eadem via observari, quæ in superioribus Annulis observata fuit, tam in Metallis præparandis, quam in aliis rebus accommodandis, & de rebus & Personis pro quibus faciendæ sunt imagines, illis Planetæ sunt accommodandæ, qui talibus convenit verbi gratia, si ad amores, veneri, si ad arma Marti, si ad honores, Jovi, & sic de singulis, prout in septima adadnotatione dictum fuit. In electionibus vero illa observabis, quæ necessaria & opportuna videbis. De verbis proferendis aperte non est necesse absolute, sufficit tantem unionem mentis & intentionis ad opus accommodare, sunt tamen appositia, ut per illa intentio intelligatur.

Creator omnium altissimus in firmamento posuit stellas, quibus virtutes magnas

gnas donavit, infundendi in inferiora, diversarum operationum effectus, quos qui studiosa inquisitione perquirunt, intelligunt multa, & mirabilia operari valebunt. Qui autem alienus fuerit a cognitione Astronomiæ, impedietur ab operatione Magiæ Astronomicæ & scientiæ Imaginum, quæ omnibus scientiis est major, altior & profundior. Nam per eam perpetrantur maxima mirabilia ab illis, qui exactissime illam norunt. Nam *quemadmodum corpus sine anima non movetur, nec anima sine cibo in corpore subsistet;* Ita scientiæ omnes sine cognitione Astrologiæ non administrant intellectui lumen prudentiæ, nec elevant illum ad cognitionem mirabilium summi opificis, qui omnium est causa absolutissima sine principio. Erit ergo necessaria scientia Astrologia ad cognitionem Magiæ. Cum autem operari volueris, in scientia imaginum, ea consideres quæ in adnotatis dicta fuerunt, & scientias ab aliis Philosophis traditas scrutaberis, ne quid minimum defeceris, qui enim in paululo defecerit, factus est omnium destructor. In compositione imaginum illamet sunt consideranda, quæ in annulorum factione dicta fuerunt. Imagines tantum ad bonum effectum inferius demonstrabo, non autem in pessimam operationem: tamen contrariorum eadem est via. Time ergo Deum, memor fandi atque nefandi.

Incipiunt sigilla duodecim signorum viri Mathematicis & Magicis operationibus expertissimi.

Antiquorum solertia Cœlum in duodecim partes divisit, & hoc totum Zodiacum, partes vero totius Zodiaci signa appellavit. Sol autem totum signiferum in anno percurrens in quolibet signo triginta diebus movetur, in quolibet totidem gradibus manere dicitur, & quasdam in inferioribus agere potestates, in quibus diversi effectus fiunt in operationibus Magicis, per Imagines, annulos & sigilla, & licet de his omnibus antiqui sapientes multa & varia scripserunt, tamen cum satis obscura sint eorum dicta, placuit mihi nudis & satis apertis verbis duodecim sigilla hic per ordinem exponere, secundum motus Solis in quolibet Signo Zodiaci cum effectibus suis.

Signum Arietis.

Aspice introitum solis in Arietem die 21. fere Mensis Martii, hora Meridiei, & tunc accipe aurum vel Argentum purissimum, & funde Sigillum rotundum dicens inter formandum, Exurge Lux Mundi, JEsu Christe, Agnus Dei Veri, qui tollis peccata mundi, illumina tenebras nostras, ut cognoscamus te per mirabiles effectus operum manuum tuarum. Deinde cum factum fuerit, sculpatur sigillum ipsum *Sole* existen-

existente, *in Ariete & Luna in Cancro vel Leone* in una parte, & in alia parte sicut aliud esse cernis, formatur. Inter sculpendum autem dicas semper repetendo: O Deus Creator omnium, qui firmamentum pulchritudine stellarum formasti, constituens eas in signa & tempora, infunde virtutem tuam operibus nostris, ut per opus in eis consequamur effectum. Virtutes hujus sigilli sunt multæ & valde mirabiles, quas ego sæpe in multis expertus sum, & paucis revelavi, quoniam scio, quam multis incredibiles videntur eorum effectus propter facilitatem operis. In primis valet contra omnes dolores capitis, & contra rheumata & fluxus, & confert fræneticis, squinanciis & passionibus oculorum, portans ipsum circa caput, si custodierit se ab immunditia & luxuria, valebit contra inimicos & maleficos, fulgura, tempestates & tonitrua, auget Lucrum, & bonam fortunam, & in causis victoriam præbet, & ad multa alia valet quæ sapiens experientia inveniet.

Sigillum Tauri.

Sigillum Tauri fit ex auro vel argento, & formabitur Sole in Tauro in prima facie existente, ante sextum gradum Libra ascendente, & venere in Tauro, vel in libra existente, cum bono aspectu lunæ, sereno aëre, sole splendente, & dicatur interr forman-

dum, Exurge Domine Deus meus, & Psalmos Cœli enarrent, ex integro. Hoc autem sigillum Tauri multarum constat esse virtutum & mirabilium effectuum, & maxime valet contra infirmitates oculorum, & præsertim pellicularum in oculo nascentium, & omnes eorum malas dispositiones & contra omnes Passiones colli & tumores gutturis mirabili effectu valet, sanat & scabiem, & pruritum capitis, & alios morbos multos. Debet autem portari ad collum pendens, facitque portantem audacem, fortem, & in omnibus fortunatum.

Sigillum Geminorum.

Sigillum Geminorum fit ex auro vel argento, Sole existente in Geminis, & luna in Ariete, vel & sit Cancro, Mercurius in Geminis & sculpatur ab utraque parte sigillum in forma subjecta in quolibet Latere unum & quando Materia pro rotundo Sigillo feritur, dicito, Exurge Domine JEsu Christe Sol justitiæ in præcepto, quod mandasti: & Synagoga populorum circumdabit te. Et dic illum Psalmum totum: Deus meus in te speravi. Hujus autem sigilli virtus mirabilis valet contra morbum cancri & fistulæ, ad manuum quoque infirmitates & ad omnes passiones humeri & brachiorum, & ad omnes pene morbos & infirmitates infantum.

Sigillum

Sigillum cancri.

Sigillum cancri fit ex auro, vel Argento, Sole existente in Cancro, & luna in leone vel in Scorpione in bono aspectu Mercurii, & inter faciendum dicito: Exurge Domine, Deus meus, & exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum. Et Psalmus: Confitebor tibi in toto corde meo, narrabo omnia ex integro. Hoc sigillum cancri valet contra omnes infirmitates cordis, pectoris, stomachi, pulmonis, ulnarum, arteriarum, costarum, & pleuresin, & contra vomitum sanguinis.

Sigillum Leonis.

Sigillum Leonis fiat ex auro vel argento, Sole existente in Leone ipso ascendente, & luna in Geminis, & sit Jupiter in aliquo angulorum. Inter operandum dicito: Exurge leo de tribu Juda, & intende Domine mi, Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Et hæc figura est de utraque parte sculpenda. Valet hoc sigillum contra omnes passiones stomachi & lateris dorsi, & renum, & contra nimium fluxum menstruorum & febres acutas in ardore solis, & contra omnia apostemata.

Sigillum Virginis.

Sigillum virginis fit ex auro, vel argento, Sole existente in virgine, & luna in cancro vel in capricorno, & inter operan-

dum dic: Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen sanctum tuum. Et subjunge Psalmum : Deus auribus nostris audivimus. Hoc sigillum valet contra dolores ventris, & colicam passionem & sedat cito oppilationes hepatis & splenis, & dolorem intestinorum.

Sigillum Libræ.

Sigillum libræ fit ex auro vel argento, sole existente in libra, & libra in capricorno, vel Aquario, & inter operandum dic: Exurge Domine in misericordia tua, & exaudi me. Et subjunge Psalmum totum, Dominus illuminatio mea. Hoc sigillum insidias dæmonum fugat, & prosperitatem in mari & in terra præstat portanti se, & facit ad amorem virorum ac mulierum, & maleficia in domo prohibet & plura.

Sigillum Scorpionis.

Sigillum Scorpionis fit ex auro vel argento, sole in ipso existente, & luna in capricorno, & inter operandum dic. Exurge Domine, gloria mea, exurge Psalterium & cythara, exurgam diluculo. Et Psalmum, miserere mei Deus, miserere mei, quia in te confidit anima mea. Valet contra quartanam & tertianam, doloresque nervorum ventris, vesicæ, vulvæ & pudendorum, præsertim Epilepsiam, & alia plura.

Sigillum

Sigillum Sagitarii.

Facias sigillum sagitarii Sole existente in ipso, & luna in cancro, & dic. Exurge Domine JEsu Christe in occursum meum, & miserere mei. Et Psalm. Eripe me de inimicis meis Deus meus. Valet epilepticis, Dæmoniacis, Artriticis, & amentibus, valet etiam contra flegma & choleram putrefactam, & multos alios morbos.

Sigillum Capricorni.

Cum sol est in capricorno, & luna in libra, facias ex auro vel argento sigillum capricorni, dicens, Exurge Dominus Deus meus, & libera me, quoniam tu es spes mea a juventute mea. Et Psalmum. Deus in adjutorium meum intende.

Sigillum Aquarium.

Quando Sol est in Aquario & luna in piscibus, facias sigillum Aquarii dicens inter percutiendum Materiam, videlicet aurum vel argentum. Exurge Domine Deus meus, excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos. Et Psalmum, qui Regis Israel intende. Hoc autem sigillum valet generaliter contra podagram, & omnes infirmitates tibiarum, & crurum, & ad alios morbos plures.

Sigillum piscium.

Quando sol intrat pisces, fiat ex auro vel Argento sigillum rotundum, & inter mal

malleandum dicito, Exurge Domine JEsu, Christe in requiem tuam, tu & arca Sanctificationis tuæ sancta Maria. & Psalmus: memento Domine David. Valet hoc sigillum ad omnem ægritudinem pedum, generaliter, quocunque nomine appellantur, sive podigra sit, sive alii morbi. Et nota primo quod inter sculpendum sigillum, bonum erit, quod Sol & Luna sint in eodem signo, secundo quod dies sit serenus, & hora Planetæ conveniens operationi, tertio ut sancta verba non intermittantur, quia Orationes devotæ juvant, & mutant influxus stellarum, licet Ptolomeus in his non verba, sed figuram cœli observet.

Hæ imagines omnes ut effectum in re proposita sortiri possint debent fieri sub hora, signo & Planeta dominante illius rei, de qua, & per quam facere intendis imaginem, sive ad fuganda animalia, sive ad terrorem inimicorum vel ad fertilitatem, sive ad quævis alia. De quibus omnibus in sequentibus particularem notitiam damus: adeo ut si de Animali facienda erit, primo considerare debes animal illud cui Planetæ subest, & Planeta cui Metallo, & sic simul junctis intentione & opere, bene operaberis: Si de civitate, vel castro de homine vel muliere, hora operationis accepta per electionem cognitam fortificando vel infortunando ascendentem, cum Domo proprii Planetæ, vel cum Domino decimæ jux-

ta

ta finem & intentionem agentis, quæ omnia inferius per exempla demonstrabuntur.
Ad fugandos latrones, sive ad deterrendos.
Adminuendam virtutem alicujus operis.
Ad fugandum serpentem, sive draconem.
Ad fortificandum Civitatem sive castrum.
Ad sistendum equum in cursu,
Ad convocandos ursos sive lupos in loco, ut occidantur.
Ad provocandum amorem vel odium.
Fortunabis vel infortunabis imaginem pro ut scis in hora electionis Imag.
Ut mulieres transeuntes super imaginem, rideant & cantent. Imago de Plumbo in tertia facie cancri ascendente.
Ut grandines non noceant alicui loco, Imago de stanno in tertia facie Cancri ascendentis.
Ad congregandos Cervos & alios feras, Imago de cupro sub leone in prima facie ascendentis.
Ad sanandas omnes febres & infirmitates. Imago auri sub leone ascendente cum Sole, in illius conjunctione.
Ut corvi conveniant simul. Imago stanni sub Prima facie virginis, quæ sit dimidia, alia dimidia sub secunda ejusdem.
Ad fugandos serpentes. Imago ænea, sub prima facie scorpionis.
Ad concipiendum filios. Imago auri, sub prima facie scorpionis.
Ut canes super transeuntes non latrent.

Ima-

Imago canis ex ſtanno ſub prima facie ſagittarii.

Ad liganda animalia ſylveſtria. Fac imaginem illius animalis ex cupro ſub ſecunda facie ſagittarii. Servato ordine, cui Planetæ animal ſubeſt.

Ad fortunandum venatores. Imago auri ſub tertia facie ſagittarii, juncta luna ſecum vel prope.

Ut homines ſimul læti permaneant. Imago ex Stanno in prima facie capricorni.

Ad fugandos mures, Imago Stanni ſub tertia facie capricorni.

Ad accipiendam piſcium multitudinem, fac ex plumbo, vel ex Stanno in prima facie aquarii, juncta luna ſimul imaginem piſcis.

Ad fortunandum apes ſive columbas. Imago ex argento in prima facie libræ.

Ut Ranæ taceant, Imago ex Plumbo, ſub ſecunda facie piſcium.

Ad fugandas muſcas, imago cupri in ſecunda facie Piſcis.

Cognitis igitur quæſitis illa ſunt quærenda, quæ ad fortificationem illius Imaginis neceſſaria erunt, nam formata imagine illius Animalis quem fortunare vel infortunare intendis, hora aſcendentis cognita, figuram Aſtrolog. ſignare oportet ſub aſcendenti illius ſigni, ſub quo Metallum erit dicatum, ad Planetam illius ſigni, prout Author ſymp. in folio 316. docet. Semper

per tamen intentionem præcedat opus, adeo fixe & attente, ut non vacillet, & influxus absque superstitione ulla recipiantur.

Omnia namque per terminos Astrologiæ sunt accommodanda, in punctis, horis aspectibus, configurationibus & conjunctionibus, quod si quid minimum defuerit, opus dirimetur. Ideo sapientes antiqui in Imaginibus perficiendis longo tempore utebantur & expectabant congruam influxuum receptionem. Ideo imagines perfectissimæ apparebant, & effectum verissimum demonstrabant. Tempore præsenti si quis imaginem vel annulum formare desiderat, & sub hora vel sub uno die perficere audet, metallum in se remanens nihil virtutis demonstrare potest.

Habita cognitione perfecta, primo quærendum erit, sub quo Planeta vel in rebus, vel in personis talis res consideratur, dehinc cognito exactissime Planeta accipiendum erit Metallum illi proprium, aptabis Signo illius exaltationis, sub facie illius exaltationis, sub facie illius horæ, & periodi in quo facies figuram per electionem, fortificando ascendentem omni via possibili, modo perfect. aptando Domos Dominibus Signa Signis, Planetas Planetis, & si tempus non erit congruum, expecta opportunitatem temporis, & horam certam tuæ electionis, & non pigeat expectare, dummodo opus, juxta tuam intentionem

ter-

terminetur. Alioquin nihil boni perficere valebis. Trado exemplum, juxta quod ceteras figuras formare poteris.

Imago ad recipiendam substantiam. Cum ablatam volueris facere Imaginem hominis, qui petit substantiam, aut vi aut dolo ei ablatam, vel debitam aut negatam, aut volueris ut ei omnimodo restituatur, fac imaginem de Metallo competenti rei quæsitæ, puta si est pecunia, de auro vel argento: si est domus de stanno. Si est territorium, de plumbo: si est Mercatura, de vivo Argento præparato pro ut in adnotatis fuit demonstratum. Et sic de singulis metallis juxta petitionem rei petitæ. Incipiendo operari sub ascendente ejus interrogationis facies conjungere Dominum domus substantiæ, domino domus ascendentis, sitque inter illos receptio vel conjunctio a trino vel sextili aspectu, & si contigerit quod Dominus domus substantiæ sit in signis obedientibus, & dominus ascendentis in signis vel signo imperantibus, eritque opus fortius, signa obedientia, & imperantia Astrologi noscunt. Fortunabis ascendentem & dominum ejus, & dominum domus substantiæ cum luna, Dominus ascendentis non sit retrogradus, nec combustus, neque cadens, aut in domo suæ oppositionis, & non sit impeditus a noxiis aspectibus, & sit fortis & angularis. Cumque juxta talem dispositionem talem Imaginem perfeceris, serva eam. De

De hinc facies aliam Imaginem, quæ erit signatura ejus, apud quem est substantia petita. Si enim fuerit apud Regem, incipias imaginem sub Decimo ascendente primæ imaginis. Et si fuerit apud alium Principem, vel amicum aut furem, aut contrarium, aut cœteros similes, tunc incipies secundam imaginem sub tali ascendente, quod pertineat ad eum, apud quem est quæsita substantia & ponas significatorem ejus, cui facis imaginem significatori substantiæ secundæ secundæ imaginis junctam cum Domino ascendentis primæ imaginis, ita ut recipiat eum, & ponas utrosque & fortunatos, & absque impedimento, & ponas conjunctionem ejus cum primo trino vel sextili aspectu, & facies omnes malos ab eo cadentes, & fortunabis ascendentem decimam & quartam, si potes, vel saltem aliquod istorum, & cum secunda Imago perfecta fuerit, ponas cum prima faciem unius cum facie alterius, & involvas eas in panno mundo, & sepelias eas in medio Domus quærentis sub signo fortunato, cum fortuna forti vertens faciem imaginis versus septentrionem, & si fuerit quærens multum ambulans, id est, si aliquando jungatur illi, apud quem substantia possidetur, tunc amabas imagines deferat secum quocunque ierit, & scias, quod si perfecte operatus fueris, cum intentione existenti & permanente, substantem recuperabis.

Juxta hunc ordinem in cæteris imaginibus operandum erit, habita ratione rei quæsitæ Planetæ convenientis & Personæ, prout satis abunde disputatum fuit. Pro imagine seu imaginibus alicujus animalis unum duntaxat pono exemplum, quo cognito alia cognosci possunt, prout de hora, metallo & signo declaratum fuit. Planetæ omnes duplici in Zodiaco gaudent signo: in proprio gaudent & exaltantur, in contrariis & oppositis deprimuntur, & in casu existunt. Pro imaginibus congruis illa signa sunt fortunanda & accipienda, in quibus Planeta congruit, & proprias tenet dignitates & exaltationes, in imaginibus incongruis contraria signa sunt accipienda, ut contrarii effectus inde sequantur. Regula hæc in Astrologia patet, & in ante adnotatis clariores Regulas considerare debes, dono exemplum de fugandis animalibus, ut canes non latrent contra transeuntes, sed obmutescant. Fac sub prima facie sagittarii ex stanno Canem, cujus caput ad caudam applicetur, prout si jaceret ac dormiret. Et in operando dicans intra te (ecce intentio) ligavi per hanc imaginem omnes canes, ut non erigant super me capita sua, nec surgant, nec se moveant de loco suo, nec latrent, nec impediant me. Et hanc imaginem involvas corio canino, & feras semper, & videbis experimentum. Oportet igitur in hora electio-

electionis illa eligere, quæ ad Planetam, cui tale animal subest, puta ad jovem, & fortunando ascendentem horæ cum persona quærentis, & ex Metallo æque disposito & præparato Imaginem formare.

Sic de sterilitate viri aut mulieris via naturali & Astrologica, fortunando Imaginem ad Domum filiorum cum persona quærente & hora electionis, & Domino ascendentis. Quod experimentum cum sit de re gravi, libet hic apertius apponere. Fac sub tertia facie scorpionis ascendente ex auro vel chalybe Imaginem viri nudi, dicendo verba juxta intentionem, nominando proprium nomen & nomen Patris, fœcundando illum per Imaginem, ut nulla sit in illo sterilitas. De hinc sub tertia facie Piscium ascendente, immediate ad Domum filiorum, fac ex eadem Materia Imaginem mulieris nudæ, dicendo verba juxta tuam intentionem, nominando illam, & nomen matris, pro ut in Imagine viri dictum fuit. De hinc cum tertia facies Scorpionis iterum redierit, conjungas Imagines sibi mutuo tangentes, ac ficoire vellent dicendo juxta tuam intentionem, nominando nomen utriusque, ut per mutuam copulam generent & fœcundentur involvendo in panno lineo mundo in lecto, quando simul dormiunt, & videbis effectum: quod fuit probatum, & verum experimentum apparuit. Ecce quomodo per Planetam &

horam fiunt Imagines, quæ fortificantur & deprimuntur per figuram radicis personæ quærentis, prout Astrologi norunt in rebus contrariis contrario utendo modo, qui non dicendus, sed investigandus.

Hæc enim non sunt Magiæ vetitæ experimenta, sed Astrologiæ Arcana, a patribus nostris Philosophis per investigationem reperta, & experientiis comprobata, ut Author Sympat. in epistola ad lectorem clarissime demonstrat.

Pro conclusione dicendum, quod qui recte sciverit accipere veram horam, verumque punctum & periodum alicujus influxus, procul dubio mirabilia in Astrologia operabitur, quæ apud imperitos opera diaboli judicabuntur, prout Author Symp. satis clare declarat. Quid enim per Mentem, intelligentiam & Sigillum intelligit, nisi ministros Naturæ? legas apud illud in dicto folio, & bene considera, quia ibi tota Astrologia Magica reperitur. Si enim capitulum tale intelligas & peroptime noscas, totam Machinam percipies. Ibi enim de trina Armonia agitur, ibi de omni posse sublunari tractatur, ibi tandem de receptione influxuum facilis datur Methodus. Quid mirum, si indocti talem librum non intelligentes spernant? non omnibus datur mysteria noscere. Non sunt ista rerum occultarum rationes. Si de occultarum rerum ratione loqueretur, ratio-

rationes non apparerent. Ibi tamen rationes in Astrologia apparent, quæ apud vulgus res occultæ judicantur. Tenent omnino principia ab aliis causis, omne enim, quod apparet, non est per se occultum, licet appareat, occulta unde deveniant, Varii doctores varias assignant rationes Hermes, Bocchus, Aron, Orfeus, Theofrastus, Thebit, Zenothemis, Zoroastres, Evay, Dioscorides, Isaac Judæus, Zacharias Babylonius, Albertus & Arnoldus, diversa dixerunt, tamen omnes concludunt magnam vim, herbis, lapidibus & Metallis inesse. Alexander hæc ab elementis, & ab illorum qualitatibus provenire dixit, prout Author Symp. folio 410. usque ad finem per totum doctissime disputavit, quæ verba etsi occultam intelligentiam possident, non tamen a vera Philosophia declinavit. Platonici & Academici Ideis rerum formatricibus has virtutes attribuebant. Avicenna ad intelligentias referebat, Hermes ad stellas, Albertus ad formas rerum specificarum, & alii alia dicebant, quos Authores omnes licet contraria dicere appareant, nullus tamen eorum a recta veritate alienat se, cum eorum dicta ad eundem effectum in multis conveniant. Deus enim omnium causa, finis & origo, sigilla idearum ministris præstat, qui executores exactissimi res sibi creditas ideali virtute consignant, cœlis atque stellis tan-

quam instrumentis materiam interim disponentibus ad suscipiendas formas illas, quæ, ut ait Plato in Timæo, in Majestate divina per astra deducendæ residente, easque dator formarum distribuit per ministerium intelligentiarum, ut Author Sympath. 421. per Angelos & ministros intelligendum acutissime scripsit; quos super opera sua constituit rectores, ministros & custodes, quibus ea facultas in rebus commissis sibi credita est, ut omnis virtus lapidum, herbarum, Metallorum, & cæterorum omnium sit ab ipsis intelligentiis præsidentibus. Provenit ergo forma & virtus primo ab ideis, de hinc ab intelligentiis præsidentibus & regentibus, postea a cœlorum aspectibus disponentibus, porro ab elementorum dispositis complexionibus, correspondentibus cœlorum influxibus, a quibus elementa disponuntur. Habent igitur operationes hujusmodi in rebus istis inferioribus per expressas formas, in cœlis autem per virtutes disponentes, in intelligentiis per rationes mediantes, in Archetypo per ideas & formas exemplares, quas omnes in cujuscunque rei effectu & virtutis executione, convenire necesse est. Virtus igitur & mirabilis operatus est, in unaquaque herba & lapide, sed major in stella, sed maxima in intelligentiis præsidentibus, a quibus virtutes, quæ causæ occultæ apparent, deveniunt, &

in

in inferiora defluunt. Unde chameleontis jecur summis tegulis exustum imbres excitat, remora velocissimas naves sistit, Anachitides lapis divorum Imagines apparere facit, Cepparis suffitus omnes bestias evocat, Encites somniantibus suppositus oracula reddit, herba, quæ stagna siccat & clausa aperit, & legitur Persarum Regem legatis dedisse, ut, quo perveniissent omni rerum cópia abundarent. Est & alia herba a multis cognita, quæ Spartanina nuncupatur, quæ gestata & in ore retenta, duodecim dies sine cibo & potu quis perdurare valebit. Apulejus alia mira docet, dum asininam formam gestaret, se a divino numine dediciisse.

Quid mirum, si occultam causam occultas habere causas minime appareat, cum ab uno absoluto principio demonstravimus provenire, a quo diffusive in aliis procedens in inferioribus tandem gradum sistens mirabile prædicatur, pro ut de virtute numerorum continue etiam apud mulierculas, ecce nullum subest sciendi principium! per demonstrationem apparet. Numeros dicimus nationales, non mercatorios. De illo loquimur, de quo apud Clavium doctissimum in Mathematicarum scientiis absolutiss. Principem legimus in sua Algebra, cujus verba sunt: Quoties hujus disciplinæ (Numerorum) artificia exterriti etiam acutiores ita sunt, ut nullum

putarent tacitum pectoris arcanum esse, quod numerorum judicium effugiat, fallat Arithmeticorum ingenia. Hæc Clavius Jesuita.

De qua virtute & potentia Author sympat. folio. 341. pulcherrimam demonstravit armoniam, & mirabile experimentum docuit ab illo vulgratissimo Salomonis axiomate, Omnia Deum in numero, pondere, & mensura disposuisse, in lapidibus nempe Metallis & herbis, respectu inferiorum: respectu vero superiorum, in mente, in intelligentiis & Angelis, quæ quomodo sint vera, & Author sympath. elucidat, pauca ex doctissimis Authoribus explicabo.

Omnia quæcunque a prima rerum natura constructa sunt, Numerorum videntur ratione firmata. Hoc fuit exemplar primi conditoris, hinc elementorum multitudo mutata, hinc temporum vices, hinc motus Astrorum & cœli conversio. Sunt igitur numeri potentes ex effectu & illorum determinata periodo. Neque enim mirum esse debet, si in rebus naturalibus tantæ appareant occultæ virtutes, cum in numeris multo majores existant, quatenus ipi sint formaliores, perfectiores cœlestibus insiti reparatis substantiis immixti, denique maximam & simpliciſſimam habentes cum Ideis in mente divina commixtionem, a quibus proprias & efficaciſſimas vi-

res

res sortiuntur. Sic in rebus natural. qualitates elementales in transmutando ad aliquod elementale multum valent atque possunt, ut in Sympat. fol. prædicto Author demonstravit de numero quadragesimo octavo, de lapide artificiali tali numero compacto. Omnia quæ sunt atque fiunt, certo constant numero, tempus ex numero, motus & actio, locus & vacuum, & denique cuncta in numero definiuntur Voces & concentus per numeros armonizant, & per proportionem vim habent, proportionesque ex numeris ortæ per lineas figuras universales & puncta, constituunt, denique omnes species naturalium, & quæ supra naturam sunt, certis numeris astringuntur, ideo Pythagoras numerum esse, quo cuncta constant, dixit, & Proclus dicebat: Numerus semper existit, alius in voce, alius in alio &c. Et Philosophi omnes celeberrimi sic Numeros extollunt, ut neminem absque illis posse recte philosophari putent. Loquimur de numer. rationali & formali, non autem de materia sensili, & de numero Mercatorum, de essentia nempe ex tali numero devenerunt & provenerunt, non autem de ratione illa numerandi, ex qua magna emanant Sacramenta, tam in naturalibus, quam in divinis & cœlestibns. Per illum habetur proximus accessus ad Prophetiam naturalem, ut multi ex Neotericis scripserunt, se non ali-

unde, nisi per virtutem numerorum futura prænunciasse.

In numeris itaque mirandum latere efficaciam & virtutem non solum Philosophi unanimiter docent, sed etiam Doctores & Patres catholici demonstrant, Hieronym⁹, Augustinus, Origenes, Ambrosius, Gregorius, Nazianzenus, Athanasius, Basilius, Hilarius, Rabanus, Beda, & alii multi confirmant. Hilarius in Psalmis dicit, septuaginta illos sapientes Interpretes, ex numerorum efficacia Psalmos in ordine redegisse: equidem carmina sunt quæ numeris certis determinatisque constant. Videndus est Rabanus de Numeris, qui in tali doctrina doctissimum composuit librum. Ex Neotericis Arithmeticis quis non scripsit de virtute & potentia numerorum? non enim de figuris illis numericis intendere & remittere posse judicabant, sed de numero aliquo ad talem præsignatam periodum juncto Materiæ sive subjecto ex tali positione & determinatione effectus inde elucere. Nonne natura ipsa in herba quinque foliorum mirabilem constituit virtutem? Sic de numeris, in granis, in rebus, in personis, & in universalibus actionibus, ut hæc & plura in variis authoribus videri possunt. Unde autem hæc fiant, causam certam habent, quæ est ipsa varia variorum numerorum ad se invicem proportio, ut Author sympath. fol. 439.

de

de quadrageſimo octavo numero per veram experientiam præmonſtrat, quid de ſeptenario? *Nonne ſeptimus filius maſculus ordine ſucceſſivo absque interpoſitione natus virtutem ſanandi & vim curandi ſcrofulas poſſidet.* Dicunt virtutem ineſſe creaturæ, non autem numeris. Si hoc eſſet, cur in octavo maſculo, vel in ſexto talis virtus non extaret. Non igitur hic attenditur numerus naturalis, ſed ratio formalis, quæ in numero illo determinato conſiſtit. Nam in numeris Mercatorum nulla vis, ſed in natura illa Numerorum, puta ſeptem, tria, novem & ſimilia. Quicunque numeros vocales & naturales noverit cum divinis conjungere, & eandem conſonantiam temperare, hic per virtutem numerorum mirabilia perpetrabit, prout inferius utique exempla proponemus. Pythagorici per numerum nominum multa prognoſticabant. Joannes in Apoc. dicens, qui habet intellectum computet numerum nominis beſtiæ, qui eſt numerus hominis, inſinuavit virtutem & vim eſſe in numeris. Numeri enim ſimplices ſignificant res divinas, Denarii cœleſtes, Centenarii terreſtre, Millenarii, quæ futuri ſunt ſeculi. Partes animi etiam per Arithmeticam mediocritatem propter exceſſuum æqualitatem invicem copulantur. Corpus vero, cujus partes magnitudinibus differunt, ſecundum Geometricam mediocritatem compoſitum fit, Animal

mal vero ipsum ex utroque, anima scilicet & corpore, secundum eam, quæ armoniæ convenit, mediocritatem constat. Hinc est, quod numeri plurimum operantur in animam, figuræ in corpus, concentus vero in ipsum animal. Author Sympathiæ fol. 402. idem demonstrat, dum de unione animæ & corporis verissimam declarat doctrinam. Sed ut aliquibus exemplis virtus numerorum appareat, dicendum, quod si per numeros nomina computamus, intentionem alicujus operationis percipere possimus. Computa igitur nomen alicujus Personæ & cognito numero litterarum illius nominis. *Si enim æqualis est numerus, complexionem æqualem demonstrat, si inæqualis, distemperata erit, & ex tali temperatura, & distemperatura naturam propriam Astrologia mediante cognoscere poteris.* Si gradus alicujus ascendentis in radice cognoveris, & per combinationem numerum nominis proprii elicueris, nonne etiam illius genii nomen verum habebis? via certior illa, ab Agrippa tradita, numero impari Dii gaudent.

Computa horam tuæ electionis & minuta, & per subtractionem illam partem subtrahas, quæ in ascendente excedit nomen, quæ si non excedit eaque deficiunt, & numerus remanes efficit armoniam a quo poteris scire quæ desideras, si per puncta projectionum inveneris. Non enim

aliunde

aliunde illa sors devenire potest, nisi ex vi illius numeri, qui in ascendente communicavit, cum hora electionis. Secretum admirabile in Magia Astrologica, pro ut Auth. Symp. in dicto folio docuit, videmus in operationibus Astrologicis etiam partem fortunæ per numeros eligere, quæ adeo stricte terminat suam propriam periodum, ut nil certius annuere possit.

Numerus triginta graduum Zodiaci nonne consistit in vera totius cælestis machinæ armonia? Desideras eligere horam alicujus operationis, ut cognoscas, si bene vel male evenerit. Computa ultimum punctum illius horæ, in qua electionem feciſti de tali opera & de punctis inventis subtrahas illa tantum, quæ nomen proprium illius rei efficere valerent: quæ remanent divide per eundem numerum, quæ super sunt sine dubio finem illius operis tibi demonstrabunt, pro ut si æquali vel inæquali numero remanserit. Dum enim si ante figuram determinatum numerum tuæ intentionis constituisti. Non enim sortes erunt, sed numerorum efficacia, quæ in determinata & essentiali illius numeri virtute consistit. Sortes enim sunt, quæ per Geomantiam vel aliam sortilegam viam consistunt, nec determinato numero constant, sed prout sortes dant. De eligendo finem cujusque operis veram tradam Methodum. Vota peroptime omnes operationes, quæ a quali-

qualibet Persona deveniunt, vel consistunt in acquirendâ pecunia, vel in acquirendis honoribus, vel in acquirendis voluptatibus, si aliæ adsunt accessorie illis insunt, nempe si ad studium vel ad doctrinam hæc vel sunt ad honorem, vel ad utilitatem: sic etiam si ad arma, vel ad honores, vel ad utile. Rixa etiam & pugnæ ad tria reducuntur capita, vel propter bona fortunæ, vel propter bona animi, nempe honores, vel propter bona corporis, nempe voluptates. Si propter fidem vel Religionem, etiam ad finem honoris vel utilitatis terminatur. Itinera eosdem fines possident, & sic discurrendo per singulas hominum operationes & actiones, clariss. patebit, cuncta ad tria universalissima capita respicere, quæ capita ex se habent, & per Astrologicam notitiam proprium & peculiarem planetam, in quo suos fines claudent, nempe si ad honores actio fuerit, Jovi inest actio. Si ad bona, fortunæ, considera de rebus & de Personis, & videbis partim Saturno, partim Mercurio subjici, quemadmodum etiam gradus honoris partim Jovi, partim Soli etiam subjice, juxta, rei & Personæ significationem, ut de itinere tantum Lunæ damus judicium: si ad bella, rixas, & similia, Marti erunt, si ad doctrinam & studium, partim Mercurio, partim Jovi: si ad voluptates, quæ veneris propriæ sunt, tantum Veneri dicamus. Tandem considerando

actio-

actiones omnes & per tria capita discurrendo, considera etiam, quæ res & quæ Persona sit & juxta illorum positionem Planetam eligas.

Dum igitur Planetam animantis cognovisti, elige horam & diem essentialem illius Planetæ, & per electionem figuram astrologicam erigas per thema cœli, in qua multiplicando gradus ascendentis cum gradibus Domini illius rei, quos numeros reperies per subtractionem, nomen proprium eligas juxta ordinem numeri literarum in Alfabeto, quo facto iterum projicies vocales omnes, quibus conjungas literas similes rei quæsitæ, tunc apparebit aperte finis tui quæsiti, sive in Bonum sive in Malum, & numerus præcise distinctus, vel in æquali, vel in æquali. Experientia dabit tibi fidem, tamen pono exemplum, quæris finem itineris, considera primo causam itineris, si a te per honorem fuerit electus, vel causa lucri, vel causa mulierum, vel similia, eligas tempus & horam Planetæ convenientem prout dictum fuit, & si gradus ascendentis fuerit decimo octavo Capricorni, considera si minuta excedunt medietatem, applica ad gradus, sin autem, projice: erunt igitur decem & novem, & si iter fuerit causa lucri, vide dominus lucri quis fuerit, si mercaturas quæris, procul ducio Mercurius erit Dominus, qui si erit in gradus septem, debeas conjungere ad

decem

decem & novem; & efficientur viginti sex, subtrahas nomen proprium juxta ordinem numeri alfabeti, ut si erit Antonius, remanebunt decem & octo, projice vocales, quæ sunt quatuor, conjungas ad tuum iter, quæ erunt duo, ecce quomodo sex resultabunt, qui numerus æqualis dicitur. Nonne quasi fatali coactione talis numerus evenire conspicitur? quis igitur virtutem numerorum abnegabit? Sed pauca de singulis numeris edifferantur.

Quæ virtus in trino non adest, quæ arcana in illo non relucent? ipse est fons omnium numeralium virtutum. Si virtus ulla in illo non esset, cur omnia pene essentialia, tam in cœlestibus, quam in terrestribus in illo terminantur, non ab re, & sine verissima cognitione, nam ipse omnes complet numeros. Constat enim ex uno & duobus; ille Principium numerorum, iste germen illius: qua de re omnes perfectiones universi in illo terminantur & consistunt; quæ cum notissima sint, non recensebo. Tantum quæ in sanctissimis, sacratissimisque Personis divinis elucent, omnibus innotescere debent. Si enim alius numerus convenientior illo extaret, utique in illo appareret. Etenim creaturas omnes hoc ternario Deus insignivit, ac digito suo hunc characterem in illis insculpsit, ut nil in rerum natura valeat assignari, quod dono ternarii careat. Creatura illa

illa creatorem nos decet intelligere ac credere, fœdus æternum tenet, & per totam rerum substantiam est indissolubilis.

Sic in quaternario, qui fons & origo dicitur, in quo Deus universalis Dominus suum nomen aptari ordinavit, nam in quavis lingua semper quatuor litterarum nominatur. Et nomen ineffabile illius per quatuor inscribitur literas. Quinarius sacratissimus numerus; Nam salvator noster, cum infinita in sacratissimo suo corpore accepisset vulnera tantum in quinario cicatrices conservare voluit. Erit igitur mysterium absconditum. Sic de senario, qui non omnino, nam fortunæ in sexto semper vacillant ideo imperfectionis erit symbolum; & in sexto cuncta mala eveniunt, ecce sacramentum. De septenario nihil dicendum, cum numerus iste adeo virtutibus, proprietatibus, & sacramentis sit plenus, ut cæcis etiam pateat. Conditor mundi die septimo quievit ab omni opere, & millies in omni scriptura tam sacra, quam morali talis numerus non sine evidentissimo miraculo miraculose appareret. Nonne sacratissimus ordo Angelorum a Conditore cœlorum in novenario & trino clausus est? Non sine sacramento numerus iste, cum ex novem ordinibus & tribus Hierarchiis constet, duodenarium constituit, qui mystice divina præcepta demonstrat, ut per selectionem duodecim

duntaxat Apostolos nobis innuere voluit. In duodenario numero tota scriptura sacra completur. Si enim per totam Numerorum seriem transcurrere vellem, mirabilia apparerent. Quadragesimus, Septuagesimus, & cæteri numeri non vacant mysteriis. Musica etiam cum certis, determinatique numeris constet, maxima vi & virtute ex illis præpollet, non solum in rebus divinis sacrisque, sed in morbis pellendis, sanandisque, animalia mulcentur, immota moventur, ut de Insulis Nympharum in Iydia Marcus Varo testatur. Animam mulcet, mentem erigit, præliatores ad bella invitat, singulorum operum labores, fatigationes & lapsus corroborat. Ferentes gravia onera cantant. Ecce virtus numerorum, allevat labores, iratos mitigat. Ex vi numerorum tristes lætificat, discordes patificat, rabiem temperat, vanitates dissipat, & multa prope infinita, quæ ex concordantia & unione numerorum efficiuntur. Nam licet quis canendo nescierit armoniam talis numeri, nihilominus cum accesserit consonantia, virtus operans effectum producit. David Saulem ex Musica mulcebat. Et ne diutius in re patenti morer, tantum de Musico illo Dano proferam, qui sonorum modulis tanta animorum accidentia se posse affirmabat, ut a Rege accersitus, & Regis jussum explens, adeo inusitato severitatis concentu edito

acce-

accedentes mœstissima specie & dolore primo adimplevit, de hinc vegetioribus sonis severitate in plausum permutata ad jucundiorem mentis statum gesticulationes & petulantiores corporis motus inflectebat, ultimo acrioribus concentis adhibitis, ad tantam amentiam audientium spiritus excitavit, ut furor usque ad rabiem processerit. Ecce armonia numerica. Sed ne a priscis temporibus exempla habeantur, in Apulia quotidie apparet in morsu parvi animalis, quod eorum lingua Tarentulam appellant, cujus virus non nisi per Musicam & saltus expellitur, & mitigatur. Talis namque concentus non aliunde nisi ab Astrologiæ principiis devenire cernitur. Cœlum Armoniacum esse videmus, ut Author Symp. folio 396. docuit & demonstravit, & armoniacis tonis atque motibus cuncta gubernari. Cantus enim ex mentis conceptu ac imperioso fantasiæ cordis affectu proficiscens, simulque cum aëre fracto ac temperato aëreum audientium spiritum, qui animæ atque corporis vinculum est (Auth. Symp. folio 306.) motu facile penetrans, affectum, animumque canentis secum transferens, audientis affectum movet affectu, phantasia efficit phantasiam, animum animo, pulsatque cor, & usque ad penetralia mentis ingreditur, sensu quoque mores infundit, movet membra, atque sistit, & corporibus humores.

Hinc in movendis affectibus tantum confert armonia numerorum, ut non solum naturalis, sed & artificialis idem præstare valeat. Et cum tota musica in voce, sono, & auditu consistat, sine aëre audibilem fieri non posse fatendum, & quia aër ut aër per se non erit audibilis, nec sensus ullus nisi per accidens attingi potest, ideo licet sonus sine aëre non fiat, non sequitur sonum esse de natura aëris, nec e contra, sed corpus vitæ nostræ sensitivæ existit aër. Oportet igitur animam sensitivam aërem sibi conjunctum vivificare, & in vivificato & conjuncto spiritui aëre, sentire species objectorum in actu positas, idque in aëre vivo, ut septem Erraticis mediantibus affectus varios producere, prout natura illius, vel illorum. Saturnus, Mars atque Luna, plus vocis habent, quam concentus. Saturnus habet voces tristes, graves, tardas, & veluti ad centrum coarctatos sonos. Mars temperat acutas, minaces, veloces & similia: Inter has Luna observat medias, Jupiter concentus graves, constantes, svaves, hilares & jucundos, sol venerabiles, intentos, puros & cum gratia dulces. Venus lascivos, luxuriosos, molles, voluptuosos & dissolutos. Mercurius vero habet concentus remissiores, multiplices, & cum quadam strenuitate lentos & jucundos. Jupiter (ecce armonia numerica cum Astrologia juncta) habet

bet gratiam vocis octavæ simul & quintæ nempe diapason cum diapente. Sol obtinet octavæ vocis melodiam nempe diapason per tonos quindecim. Venus tenet gratiam vocis quintæ, scilicet diapente. Mercurius habet gratiam quartæ, nempe diatessaron. Nunc patet, quomodo ex melodia vocis, & consonantia concentus per viam & essentiam numerorum varii affectus in animis produci possunt, mediantibus Planetis tales numeros possidentibus, moventibusque. Sed quia multi doctissimi doctores absolutissimos tradidere testes, ideo silendum, & ad finem clavis deveniendum arbitror. Sed prius de ordine cœlestium spirituum ad colores lapidum per numeros convenientium demonstrabo, ut locus Authoris Symp. folio 375. elucidetur, in quo aliquando Deum per ministerium Angelorum instrumentaliter in lapidibus operari describit, qui locus explanandus tali modo evenit.

Tres Angelorum Hierarchias esse manifestum esse scimus, quælibet Hierarchia in tres ordines distinguitur, suprema nempe, media & infima. Suprema continet seraphinos, Cherubinos, & Thronos. Ad primos, rubeus color illis competit. Ad secundos, albus, ad tertios, flauus. Rubeus primis inest propter immensum illorum charitatis ardorem: sunt enim magis amore divino inflammati, ob illorum ad Deum

vicinitatem. Albus color secundis competit, ob illorum ad sapientiam proximitatem. Flavus color tertiis tribuitur, quia illi sedes Dei nuncupantur, in qua Deus sedendo in æquitate acta hominum judicat.

Septem lapides ad primos attinent, nempe alabastrum, aurum pigmentum, adamas, Amethistus, Achates, Asbeston, & Apistos.

Septem alii lapides ad secundos, Alombardina, Argiristis, Astrion, Alectorius, Asterica, Amitides, & Berillus.

Alii septem denique ad tertios, Calculus, Sardonius, Carbuncu lus, Chrysoprassus, Calcedonius, Chrysolitus & Celidonius. Media Hierarchia Dominationes, Principatus & Potestates continet, ad Dominationes purpureus color spectat, niger ad Principatus, Cimbricus ad Potestates.

Purpureus Color primis tribuitur, quia ab illis nos instruimur deponere servilem timorem, & in Deum ferri. Color purpureus acuit sanguinem spargendum per Christum, ut non timeamus ab his, qui occidunt corpus.

Niger color secundis datur, a quibus instruimur in gradibus inferioribus, ut subditi simus hominibus propter Deum, qui gradus hominis in cœlestia dicitur.

Cimbricus Color tertiis conceditur, quia sua potentia malignos arcent spiritus, ne tantum noceant, quantum cupiunt. Color cimbricus est fugator larvarum. Alii

Alii septem lapides ad primos mediæ Hierarchiæ spectant, nempe Christallus, Ceraunus, Corallus, Corneolus, Dionysius, Diadochos, & electrum.

Ad secundos hujus Hierarchiæ Æthites, Æmathites Ælitropia, Enidros, Æpestides, Æschotiros, Gagates.

Ad tertios Galatides, Herasipen, Jaspis, Hyacinthus, Iris, Hiena, Cauma.

Ultima Hierarchia Virtutes, Archangelos, & Angelos possidet, primi aureum tenent colorem, secundi Christallinum, Tertii Empireum.

Ad primos aureus spectat color, quia miracula perpetrant, cælesti & divina virtute & tali colore præditi, ut invisibilia Dei credantur, ad ostendendum virtutem mirabilium suorum.

Ad secundos Christallinus, quia nunciant maxima Dei arcana, & summa Dei opera administrant.

Tertii Empireum tenent colorem, quia ob simpliciſſimam illorum naturam illi assimilantur, qui hominibus veritatem ostendunt & puritatem.

Lapides primi sunt Cabates, calcofanus, legurius, lepatiana, Margarita, Magnes, Mellastros, Mellantes.

Lapides secundi Menasites, Myrrhites, Medus, Melothites, Hosech, Onichinus, Opalus.

Lapides tertii, Pyrites, Pignites, Panthe-

ron, Saphirus, Smaragdus, Sardius, Folix.

Qui hos lapides, colores & Angelos attrectare sciverit, vel intellexerit, totum secretum in Magia absconditum possidebit, tamen non adeo difficile cognitu, qui Authorem Sympathiæ in prædicto folio optime noverit. His dictis ad ultimam Sympathiæ partem aperiendam per clavem accedamus. Ultima namque pars in operationibus chymicis versatur, & in antro Naturæ ultimumque obtinet, tanquam nobiliorem locum. Primo ad elucidandum locum Sympathiæ accedamus, in quo illius Author de herbis differit, tribuendo illis virtutem plurimam in operationibus Chymicis, & de Magicis nihil apertius, clariusve disseruit, tamen folio 242. Unum duntaxat annuit, nempe succi herbarum sunt simplicissimi naturaliter producti, & quæ sequuntur. Qui locus continuatur cum alio, nempe folio 264. ubi de virtute herbarum differens, naturam in illis mirabilia posse operari docet, qua de re clavem quærere oportet, & Antrum petere, ut quæ in illo appareat, in medio proferatur, ecce ostensio.

Septem herbas septem erraticis convenire a Philosophis tenetur. Prima vocatur Macedonia, secunda semper viva seu barba Jovis, tertia Marrubium, quarta Saxifraga, quinta Peonia, sexta Satyrion, septima

septima Salvia, quæ omnes sigillatim suo Planetæ per ordinem aptantur, de eorum virtutibus, proprietatibus, excellentiis differendum, cum non tantum ad Chymicas operationes sint accommodanda, sed etiam ad Magiam naturalem. De ista jam satis dictum fuit, via Astrologica, & de herbis Astrologicis differendum, non censeo, cum de aliqua superstitione appareat, & fidem rebus veris minuere possit.

Si enim experientia comprobare vellem, multa prælibanda fore esset necessarium, quæ potius ad vanitatem, quam ad effectus probandos censeri possint. Igitur quæ ad Metallorum substantiam & transmutationem, potius accommodanda erunt, quæ certiora apparebunt, & facili experientia continuo comprobari possint. Igitur ex herbis ad Metallorum Planetas spectantibus, illas accipe, quæ propius ad Metallam illius Planetæ accedunt, & ex illis vel succos, vel sales elicias, prout inferius dicetur, & cum illis operare juxta horam & naturam illorum, quæ via etsi a Paracelso fuit tacta, non tamen integra demonstrata. Nam etsi hora, aspectu & conjunctione id faciendum fore dixit, non præcise annuit nomina illorum, & tantum de omni metallo absolute id fieri dixit, nos de herbis posse fieri demonstramus.

Herba igitur quæ Saturno est propria, ad plumbum accommodandum devenire

potest, si tamen mediis Astrologicis utitur, prout Author Symp. fol. 229. docuit usque ad finem tract. De Mercurio namque differens, omnia ibi complevit, & Sympathiam talem demonstravit, qua nihil certius, nihil verius dici potest, tamen non omnia ita scripsit, ut sine speculo quis videre possit, esset enim tunc absque secreto.

Herbis igitur aque dispositis & præparatis, sal ab illis eliciatur, primo enim succus, a quo per calorem ignis facili via sales eveniunt, quibus misceas, quæ miscenda erunt & opus perficies. Exempla tradam de singulis.

Pro plumbo accipe Macedoniam, quam vulgo Ciceream vocant, non tamen de communi, se de silvestri, quæ inter saxa crescit, & folia pilosa habet, sales, succos, oleaque extrahe, de quibus super plumbum operare, & servatis servandis ad tincturam procedes, prout Auth. Symp. in præparatione Metallorum diffusius demonstravit, quod si rectius operaberis, non tempus te perdidisse videbis. Ideo Author Symp. in prædicto folio & per totum, ad præparationem Metallorum herbis uti demonstrat, herbas necessarias docuit, sed expresse illas non nominavit nempe de Planetariis. Prodeundo igitur ad transmutationem Metallorum cum succis, sale & oleo herbarum, ordo servandus erit,

nempe

nempe herba proprio Planetæ peculiaris, tali metallo accommodanda, quod cum ea mutuam amicitiam & concordantiam habeat, nam si una herba tantum ad Plumbum utens ipsa ad vivum Argentum sive aurum non tenet operis, clarissime appareret operatio, clave non indigens, cum experimenta aperte apparere debeant. Tantum de præparatione vivi argenti advertendum erit in folio 239. ubi verba illa, Numquid per horas Astrologicas &c. sunt maxime ponderanda, ut quæ Planetis inest per herbas demonstrari possit, & totam præparationem vivi Argenti possidere debes, quæ ad invicem copulata cum Sympathia ad Mercurium, maxime secreta arcana possidebis, quæ cum in operationibus chymicis consistat, clave uti non opus erit.

Aliqua experimenta apparentia ex Antro Naturæ foras profero, ut simul junctis, antrum apertum videatur, & clavem homini strenuo ad custodiam tradendam esse confirmo: Nam licet sit clavis, non tamen omnibus aperit, aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Eya igitur ad finem properamus, sed cautio prius advertenda. Nam quicquid operari desideras, fac pleno affectu ac cordis desiderio, ut faveat tibi clementia cœli, cœlestiumque omnium, quorum favorem ut magis prosequaris, mirum in modum conferunt

ferunt adaptatio loci, temporis, professionis, consuetudinis, & similia, multum enim confert fortunatio loci, quis & qualis sit, ex propria genitura scrutandus erit: quod si quis nequierit, observet, ubi potissime spiritus suus recreetur, ubi sensus vegetiores sint, ubi corporis sanitas & robur plus proficiant, ubi negotia melius succedant, ubi plures faveant, ubi infensi succumbant, hanc regionem, hunc locum sciat sibi a Deo superisque præordinatum, & a cœlis dispositum atque paratum. Hunc locum tene, & pro tempore & operatione muta, infaustum vero fuge. Nomina etiam fausta res nostras fortunatiores reddunt, infausta vero infelicitant, personæ similiter idem demonstrant: fuge infeliciorum consuetudinem & male fortunatos, fuge saturninos & mœstos, associare cum Jovialibus & solaribus, in quibus negotia felicitantur, & operationes augmentum suscipiunt. Horam etiam & diem pro operationibus eligas, tempora enim fortunam operationibus concedunt, unde Auth. Sympathiæ fol. 231. dixit elegantissimum Symbolum: Tempore Tempora Tempera, & sic omnia prudenter aguntur, per maximum interest quo temporis momento, quave cœlestium dispositione in hoc vel in illo suscipiatur. Tantam enim vim unicum momentum habet, ut fere omnem fortunæ cursum inde pendere appa-

appareat. Igitur non locus tantum, sed dies, hora, momentum & Personæ ipsa adaptanda erit, ut opus recte perficiatur, quibus cognitis, difficile equidem rei eventus infortunatus succedere potest.

Paracelsus aliam demonstrat viam, attamen non illam docet. Omissa ea ad experimenta experimentata devenire oportet, quæ ut clariora videantur, illud censendum fore censeo, quod non est hominibus ad discendum artem transmutationum Metallorum, sed ipsamet ars viam parabit. Frustra laboratur, nisi ars laborem minuat. Elementales namque formæ specifice inter se differunt, ideo primo ad separationes deveniendum, apparent interra vacua & sterili exempla, quæ per pluviam, & radios solares irrigata, absque semine ullo continuo herbas, animalia, & mineralia producit, quæ ab authore sympat. fol. 321. doctissime demonstratur, usque ad finem dicti Capituli, & talem transmutationem esse formalem, & non materialem docet, nec opus est quærere, utrum elementa vegetabilium spoliata propriis formis valeant mineralem formam recipere. Nam cadaverum elementa in terram conversa fiunt elementa vegetabilia, puta plantarum, herbarum. Cum igitur elementum unius generis alterius generis fiat elementum alterius speciei sub eodem genere; nemo rerum transmutationes

tiones negare poterit, qui formas ab elementis separari viderit. Experiatur, qui vult, sit lignum igne consumptum, in cineres versum, forma vegetabili illius in auras abeunte, si in spagirico vase per artem accipiatur ne evolet, & ad suos cineres accommodetur, putrefiant simul in muscilaginosam substantiam & terræ commutantur, in propriam formam redeunt, cineres quod per se minime efficere valerent: si propria forma separari potest ab elementis, ergo & ea induere totum Magisterium ut recte per artem spagiricam a natura demonstratam consistat, fiat ergo separatio formarum a suis elementis. Spagirici Philosophi hoc a natura edocti perpetrarunt. Advertas: Ideo vitreis utuntur vasculis, ut natura Stomacho, quibus igne suam coquunt materiam, sicut natura naturali calore utitur, cibum in chylum macerat, coquendo subtiliat, solvit & putrefacit, priusquam separet; ars suam materiam calcinando sublimat, solvit, & putrefacit, antequam distillatione separet, ars suam materiam calcinando sublimat, solvit, & putrefacit, antequam distillatione separet, postmodum segregat purum ab impuro, nempe partes firmamentales ab elementis, & utrasque postmodum a suis superfluis impuritatibus, ut ipsamet natura in composito demonstrat. Patet namque vitam rerum naturalium post Deum

deberi

deberi firmamento, & non elementis, materialia materialibus nutriri, quemadmodum formalia formalibus corporibus.

Dicimus elementa formam & vitam a firmamento etiam esse sortita, sed sola generare per se non valent, nisi alii peculiares firmamentales influxus adsint, non secus ac sine viro fœmina, quod Author sympath. folio supradicto curiosissime elucidat. Nam Deum per lucem vitam omnibus dedisse fatetur, ad propagationem vero semina, in quibus formas ordinavit. Sunt itaque influxus firmamenti semina, per quæ matrices elementorum concipiunt & pariunt, cum sine illis nihil ad generationem efficere valerent. Spagirica ars ut vehiculum vitæ a corporibus crassioribus liberet, continuo elaborat. Si enim talis operatio adsit, opus perficitur. Separentur & addantur, ut vis illa propagativa, quæ in uno consistit & viget, in alio similis speciei idem demonstret, operandum erit, qua via, quo ordine, & quali igne, ars te docebit, tamen per subsequentem practicam vegetiores producere effectus conspicitur. Omissis igitur tam patentibus, quam obscuris, ad producenda exempla accedamus, quæ etsi obscura appareant, investigantibus per lumen chymicum innotescent.

Nunc demus secreta. Antro damus, ut concedenti clavem omnia videre & frui liceat. Varie-

Varietatem hujus artis Philosophi observantes varie illam occultare nitebantur. Vegetabilem quidam eam appellarunt, mineralem & animalem: non enim juxta sensum litteralem. Lunariam enim, quam flores mirandarum virtutum continere perhibent, non illam esse credendum, quam in montibus Alpestribus infra sciissuras petrarum nasci & inveniri prædicant. Lunariam enim ex illius etymo nihil aliud esse tenendum, nisi fixationem vivi Argenti cum succis herbarum, prout Author Sympat. fol. 240. doctissime asserit. Unde ex Sibyllinis versibus hæc habentur.

Novem litteras habeo, quatuor syllabarumsum, intellige me.

Tres primæ duas literas habent singulæ.

Reliquæ reliquas, & sunt mutæ quinque.

Totius vero numeri centuriæ sunt duæ, octo.

Et tres ter decades cum septem: intelligens autem quis sim,

Non rudis vel ignarus eris, quæ in me est sapientia.

Hæc omnia conveniunt in dictione Græca ἀρσενικον.

Vide, quomodo lunaria ad suum significatum reducitur per hos versus. Et quamvis aliqua vegetabilia id efficere possunt, non nisi ob resinam in illis existentem evenit: pinquedo enim cum proprio sulphure id præstare valebit, hoc Mercurii humi-

dita-

ditatem attrahit, ejusque substantiæ permiscetur coagulando. Etsi non nulli succum titimalli albi ob illius intensum calorem mercurium coagulare tenent, tamen ad fixationem non potest reduci, ob crassitiem vegetabilis oportet omnino a Mercurio frigiditatem abstrahere, & opus perfectum habebis, ut Author symp. fol. 311. demonstravit, relictis talibus operationibus, realia antro concedantur.

Tinctura verissima ad rubeum de vitriolo, nota bene & vigila.

Vitriolum nobilissimum inter minerala perfectam in se continet tincturam, unde de illo dictum fuit. Visitabis interiora terræ, rectificando invenies occultum lapidem, veram medicinam ex quibus dictionibus primæ literæ Vitriolum efficiunt, & quoniam in occulto vitrioli nobilissimus succus, & purum oleum latet, cujus modus extractionis non calcinatione vel distillatione erit accipiendus: etenim viriditate sua privari minime debet, qua si spoliatum fuerit, arcano & viribus carebit. Vitriolum igitur multas imperfectiones lutosas & viscosas continet, ideo aqua ejus viriditatis sæpe sæpius erit rectificanda, donec terreas impuritates relinquat & purificationibus omnibus transactis caveas ne materiam soli exponas, nam virorem in pallorem verteret, & secretum perde-

ret, calido loco servetur ne pulveribus sordeat. Claudas vitrum, & per duos menses digeratur firmo, vel simili calore, donec varii colores appareant, & suprema rubedo nec talis rubedo erit omnino fixa, ideo purganda venit ab interioribus terræ accidentibus ad hunc modum. Rectifica cum aceto acerrimo destillato, donec feces sint semotæ, & terreum inquinamentum omnino ablatum. Hæc est vera ejus tincturæ rectificatio, de qua oleum eliciendum erit hoc modo. Pone tincturam in alembico optime clauso, & fissuras reclude omnes, ne spiritus exhalent; de hinc tenui igne oleum habebis: residebit in fundo cucurbitæ terra albissima, serva & tuere a pulveribus. Accipe terram hanc in phiala vitrea, cui sensim oleum suam affundatur. Animam suam corpus recipiet in instanti, & amplectetur ipsum: hanc conjunctionem in arcanum furnum repone per quadraginta dies, quibus absolutis oleum habebis absolutissimum admirandæ perfectionis, quo Mercurius, & reliqua impura metalla in Aurum vertantur, modo siper circulationem egeris ad ignem lucernæ. Multiplicationis modus hic est, Mercurium corporalem per duas partes ad tres olei admisceto, maneatque ut prius diebus quadraginta, hoc ordine & proportione multiplicatio erit in infinitum. Hoc secretum in Antro invenies ad lævam sub armario-

riolo vitreo, utere cum reverentia, & ne molestus sis avibus nocturnis, ne furiæ de te pœnas sumant.

Aliud simile per Antimonium probatum & expertum, nihil enim apponitur nisi probatum & verum. Habeatur de Antimonio crudo ad libitum, solvatur in aqua forti communi & de antimonio crudo, de hinc conjiciatur in aquam frigidam, cum parum de croco Martis ut rectificetur, solutum reponatur cum quarta parte tutiæ in vitro puriss. optime luto clauso, tutia sit calcinata per sublimationem ad perfectũ gradum ignis, ponatur simul ad sublimandum cum moderamine ignis, ne vas rumpatur. Nam una libra Antimonii sic præparati sublimatur ad summum per spatium duorum dierum, ab isto sublimato elicias oleum secundum artem, vel per balneum, vel per alembicum, caveas a fractione vasis, ideo ignem gradatim concedas: primo enim ad calorem Solis instar æstatis mediæ decimo quoque die augentur, dum vapores ascendunt, varii colores apparent, moderetur tunc ignis paulisper, donec rubea materia conspiciatur. Rectificetur cum aceto acerrimo, de hinc cum aqua communi, tandem vase peroptime clauso destilletur oleum, & videbis totum corpus antimonii in oleum rubicundissimum destillari, rubini colorem habens, odore suavissimo præditum. Hæc est prima operatio. De hinc

pari ab auro oleum elicias via.... fac solvere aurum purissimum a spiritu vini rectificato, calidus spiritus aliquoties abstrahatur totiesque iterum Sol solvatur, ultima solutio servetur cum ipsomet spiritu vini, & circulationi per mensem tradatur, de hinc destilletur, & aurum volatile habeatur cum spiritu vini, & hoc ter vel quater iteretur, & in vas summissum fluat, & in summam ejus essentiam reducatur, & sic habebis oleum perfectissimum Solis. Ad mediam unciam istius auri soluti addatur una unica olei antimonii, statim in calore balnei illud amplectitur, adeo ut non facile dimittat, etiamsi spiritus vini abstrahatur. Bina hæc olea simul unita modo dicto concludantur in ovo, & suspendantur supra tripodem per mensem, igne lentissimo foveatur, & si debita proportione ignis temperetur, & regatur triginta & unius dierum spatio negotium terminabitur, & omnia Metalla impura tinget in aurum, non tantum Mercurium, sed cætera corpora, & licet projectionis pondus rite assignari non potest, tamen ars ipsa & tempus ostendent modum. Nam ista medicina aliquando tinget triginta, aliquando quadraginta, aliquando etiam centum, si tamen bene operatus fueris. Advertas quod si contingat operantem tincturæ nimium assumpsisse, poterit hunc errorem corrigere additione illius imperfecti metalli, si tinctura

de-

debilis fuerit, cineritio vel cæmentationibus corrigatur vel per crudum Antimonium superfluum tollatur.

Quæras in dextra parte antri, in repositoriolo quodam lamina aurea cooperto, & rem parvam invenies, teneas caute & cariorem cæteris: in parva, maxima astat virtus, intelligas igitur & percipias.

Sumito Mercurium vel elementum Mercurii, separa purum ab impuro, ut Auth. symp. fol. 300. postmodum reverberetur usque in albedinem, quam sublimabis per salem armoniacum, tandiu donec resolvatur, hic calcinetur & iterum solvatur & in Pelicano uno mense digeratur, tandem opus coagulabitur, hoc erit fixum: non enim uritur amplius neque consumitur, semper enim in eodem statu permanebit, corpora quæ penetrat, in cineritio erunt permanentia, ut in nihilum reduci minime possint, aut alterari. Sed a sensibilibus & insensibilibus qualitates omnes superfluas adimit. Hæc via licet brevis appareat, laborem tamen prolixum requirit, ac multis circumstantiis circumvolutum. Laborans tædio non afficietur, quia rem veram & expertam tractabit. Dixi in gratiam mei Principis Maximiliani cautius & attentius tractandum.

Tempus est, ut finis fini imponatur, & antrum clave claudatur, clavis custodienda, peroptimo vigilanti & Prudenti tra-

datur. Et curiosos admonitos prius volo, ut si quando forte fortuna clavis ad eorum devenerit manus, ne stulte & inepte aperiant, & clavem in sera ponentes incuriose agendo seram disrumpant, & dimoveant præterea stulte intrando & sine judicio, a furiosis bestiis dilacerari possint, & non vestes tantum, sed etiam corpora dilaniari sentiant. Recordentur elogium chymicum ab Authore symp. fol. 323. positum. Ideo omnis cura adhibenda erit, ut purificati, instructi, & per optime ordinati antrum petant, & intrent, alioquin non delectationem & fructum acquirent, sed dolores, dedecus & paupertatem. Nolui hæc pauca silere, ne si per clavem decipiantur, de me conqueri possint. Magia Astronomica multas quærit conditiones, prout superius declaratum & demonstratum fuit. Igitur prudenter agentes filii prudentiæ merito nuncupari poterunt, & de meo labore haud dolores sentient.

Tandem in gratiam sereniſſimi mei Principis Maximiliani Regni Poloniæ primi & summi Mareschalli, a cujus dominio & voluntate clavis pendet unum trado projectionis via secretum verum, experimentatum & maxime utilitatis. Omnes & singuli suæ Celsitudini gratias agant, & bene in operando vigilent, nam rudioribus & male operantibus non æque succedet, peritis & optimis operatoribus optime omnia

ex

ex animo evenient. Igitur ex tali secreto ultimo loco Antri repositio finem facio. Primo eligendus est Mercurius ex Antimonio hac via. Habeas de Antimonio crudo libram unam, sublimati uncias sex, quæ omnia sigillatim ex se conterantur, dehinc simul misceas, macerando peroptime super marmore, ponas pulveres in storta, dando lentum ignem per spatium quadrantis unius horæ, & descendet in recipiens aqua alba, deinde rubea, tandem fumus albus, tunc vigora ignem gradatim, adeo ut in fine per horam sit ignis vehementiss. in quo tempore varii apparebunt in recipiente colores. Relinquenda erit storta ad ignem, donec fumus evanescat, vel parum remaneat. Signum hoc denotabit, materiam jam esse dispositam, auferendus ignis, & vas refrigerandum, frangendum de hinc ad locum apertum, ob fumos noxios, & infundo reperies materiam, & hoc experta operatione. Accipias materiam, & peroptime conteras, & habeas tres uncias de pigmento, ex optimo, adeo ut sint in lapillis, non autem in pulveribus, qui lapilli peroptime conterendi, & misceas cum tua materia, & simul iterum molas ad marmor, ponas in storta, & da ignem lentum per dimidium horæ quadrantem, in quo tempore sex aut octo aquæ guttulæ in recipiens descendent, & postea dum fumus apparebit, vigora ignem modo, quo supra feciſti, cum jam fumus incipiet eva-

nescere, & pars inferior recipientis erit crocea, tolle statim ignem, frangatur vas ut supra, citius, ne materia comburatur, & invenies materiam ardentem, & cum baculo agitando frigescet, & sic secunda erit operatio. Accipias materiam, & per optime conterito & ponas in storta absque ullo additamento, fac ut prius de igne quousque videbis collum stortæ crocei coloris, tunc augmenta ignem, & apparebit ex alia parte collum stortæ viridis coloris, vigora ignem, croceus color evanescet. Auferas recipiens & in odore senties quasi odorem combusti, rumpas vas & materiam ignitam reperies, dimove cum baculo ut frigescat, & erit materia ad modum terebinti, partes omnino combustas, tollas, & quas optimas cognosces, eligas & si tertio operatus fueris, reduc materiam in pulveres subtilissimos quos incorporabis cum unciis octo tartari præparati ut infra, & uncias tres tartari crudi, & simul misceas macerando super marmore, ponas materiam in storta, rege ignem ut soles, & varii colores apparebunt, quando odores pessimos senties, tunc rumores in vase sentiuntur, & vas tumet, tunc erit signum, quod Mercurius vult progredi, tunc vigora ignem per unius horæ quadrantem, & ut cognoscas si Mercurius jam est dispositus, accipe de liquore in recipiente, & projice super lapidem fictilem, & si fumus exit cæruleus, signum perfectionis erit operis. Au-

fe-

ferenda ſtorta ab igne, declina paulispet in vaſe aqua pleno, & exſicca Mercurium de hinc frange vas, & in collo videbis Mercurium compactum, cum pede leporis accipias, & in fundo vaſis invenies maſſam materiæ, qua rupta totum Mercurium ibi concluſum reperies, quo accepto ponas ad aquam, advertas, nares claudas ob fumoſitates peſtiferas, & ſic opus terminaſti perfectiſſime & Mercurium verum Antimonii habebis absque additamento, quod cæteri non faciunt.

Præparatio tartari. Accipias tartarum crudum & conteras ſubtiliter, & ponas in vaſe ferreo cum accenſis carbonibus, per ſpatium dimidiæ horæ, & vas ferreum ſit rubicundum ex parte inferiori. Ponas ſic tartarum calidum in vaſe fictili, & projice ſupra de aceto diſtillato, adeo ut ſit ad modum paſtæ, fac bis hoc opus, de hinc ponas ad ignem ad deſiccandum, & fac pulveres. Advertas quod tartarum iſto modo præparatum decidet per medietatem, ideo operare in quantitate, ex pondere congruo. Sequere ad eliciendū Mercurium ex Auro.

Habeas de vitriolo, quod mediocriter calcinabis, ponas cum aqua communi in vaſe vitreo, fac bullire, quousque totam aquam in colore viridi conſpexeris, extrahe aquam per inclinationem & remanebit vitriolum in vaſe addendo, de alia aqua fac ut prius toties, quoties non amplius viriditas in aqua apparebit. Filtra aquam viriden,

ridem, vel fac evaporare ad lentum ignem, & remanebit in fundo sal viridis vitrioli. Accipe partes duas istius salis, & unam de sale Petræ rafinato, & fac aquam fortem, s. an. & in unciis sex istius aquæ solvas quatuor uncias Mercurii Antimonii, & per destillationem extrahe aquam, & remanebit Mercurius solus, reitera opus per quatuor aut quinque vices, & Mercurius remanebit in fundo rubicundiss. quem pones in vase vitreo obtime clauso in vapore Balnei, & infra 15. dies ad summum resolvetur, in aqua pretiosiss. Aqua ista solvit Mercurium Antimonii, & sic datur processus in infinitum. De tali aqua accipiantur unciæ quatuor, & intus ponatur uncia auri puri in subtilissimas bracteas, & solve in aquam rubeam, quam claudas in ovo philosophico, & ponas in athenore ad lentum calidum per decem dies, & congelabitur in colore viridi, tunc da majorem colorem, & continuabis per decem alios dies, & efficietur pulvis rubicundiss. cujus per projectionem una pars cadit supra viginti quinque plumbi fusi in crucibulo, & efficiet aurum purissimum. Melius erit fermentare prius & confirmare, projiciendo in decem partes auri purissimi, quod ad augmentationem spectabit, de hinc fac, ut dixi projectionem.

Opera chymica si bene tractantur, utilitates varias tum corporis, tum animi præstabunt; si contra, contrarias efficiunt operationes.

FINIS.

INDEX GENERALIS RERUM & VERBORUM NOTABILIUM, QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR.

A.

Abeſton ſive Abeſtus lapis, ubi producatur, & ejus uſus in candelabris deorum conficiendis apud Gentiles. p. 52.
Abiſtos lapis, ejus color ac virtus p. 55.
Achates, ejus colores, ſpecies, ac qualitates. p. 47-49.
Achates Pyrrhi, p. 131.
Adamas, ejus color, quantitas, proprietates, virtutes, ac ſpecies p. 46. 47.
Adamum impoſuiſſe nomina omnibus rebus particularibus contra opinionem Hebræi. p. 269.
Ægyptiorum figuræ hieroglificæ. p. 271.
Aër conjungit cœleſtia terreſtribus 336. omnium rerum ſemina continet. p. 336.
Æs quomodo præparandum. 228. & qua ratione album fieri poſſit. ibidem.
Æris ſympathia ad Venerem. p. 289.
Agapis lapis unde ſic dictus, ejus color ac virtus. p. 51.
Agirites lapis, p. 56.
Agitatoris imago, & ejus virtus. p. 155.
Agni imago in lapide. p. 169.

Alaban-

Alabandina, quis lapis, ejus color, ac proprietas. p. 51.
Alabandicus lapis, ejus color ac utilitas, & ubi reperiatur. p. 54.
Alabastrum, five Alabastrites lapis, ejus color, ac proprietates, & ubinam reperiatur. p. 54.
Album undenam caufetur, p. 17. 18.
Alectorius lapis, unde fic dictus, ejus color, ac proprietas. p. 50.
Amandinus lapis, ejus color, ac virtus, p. 52.
Ametiftus, ejus colores, fpecies ac virtutes 49. quomodo eligendus. 204. lapis Veneris ibid 339. cur ebrietatem prohibet 339. cur gratiam confert. 340. qua ratione in Adamantem verti poffit ib. ejus lautio femen auget ibid ex ejus pulvere lapis admirabilis ibidem armonia numeroram ex ejus fympathia. ibid.
Amianton lapis, ejus color, proprietas, ac ufus in combutendis corporibus apud Gentiles. p. 53.
Amiatus, five Amiantus lapis, ejus color ac virtus. p. 56.
Amites lapis, ejus color, ac virtus. ibid.
Anachites, p. 81.
Anancithidus lapis necromanticus, & ejus virtus p. 56.
Andreas Patavinus, pictor egregius. p. 131.
Androa lapis. p. 57.
Andromantes lapis, ejus color ac proprietas. p. 51.

Androdamas lapis, quis, ejus figura, ac proprietas. p. 511.
Andromeda, ejus figura ac virtus. p. 151.
Anima nullo medio neque creari neque infundi nisi a Deo potest. p. 238.
Annulorum, Planetarum, Lapidum & Metallorum Tabella. p. 198.
Antipathes lapis, ejus color ac proprietas. p. 56.
Antitaneus lapis. p. 57.
Antracites seu Antrachas, quis lapis, unde sic dictus, & ejus proprietas. p. 52.
Apelles, pictor eximius. p. 131.
Apolonides egregius sculptor. p. 129.
Aquarii figura in viridi turchesia. 175. in viridi jaspide. p. 164.
Aquilæ figura in Kabrate seu Cristallo. p. 186
Aquilæ stantis figura in ethite. p. 167.
Aquilæ seu Vulturis cadentis imago ac virtus, p. 151. 152.
Aquileus lapis. p. 57.
Aquilinus lymphaticus ubi reperitur, & quis ejus usus. p. 56.
Arabes quomodo procedant in electione lapidum. p. 197.
Arabica, seu Arabus lapis unde sic ductus, ejus color & proprietas. p. 55.
Arabum opinio de introductione formarum in lapides impugnatur. p. 303.
Arboris figura. p. 180.
Argenti sympathia ad Lunam. p. 295.
Argenti præparatio 244. de eo experimentum

tum ibid. ut aurum eliciatur, 247. ut vasa vitrea fiant, & iterum in argentum reducantur. ibid.
Arietis figura in Saphiro. p. 205.
Arietis & semileonis imago in precioso lapide. p. 179.
Arietis figura cum medietate bovis. p. 172.
Arietis ac Leonis figura in lapide aliquo precioso. p. 179.
Armenicus lapis, p. 124.
Armenus lapis, ejus color & proprietas. p. 56.
Armonia trina Arabum ridetur. 368. nil valet ad res supranaturales. p. 374.
Arsenicum. p. 104.
Asini imago in Chrisolito, p. 156.
Asinius sive Asininus lapis, unde sic dictus, ejus color, species, ac proprietas. p. 55.
Asius lapis, ejus color ac proprietaas, & ubi gignatur. p. 53.
Aspilaten Arabiæ lapis, ejus color ac proprietas. p. 54.
Assyrii Astrologiæ restauratores. p. 270, 271
Astra nullam vim in vegetabilia influere. p. 196.
Astrites, Astrion, Asterius, sive Asterites, quis lapis, ejus calor ac forma. p. 51.
Astrolabii figura in Saphiro. p. 156.
Astrologia a quibus restaurata post diluvium. p. 270.
Astrologica cur confundit ordinem in Mathematica. p. 381.

Astrologiæ usus, p.210.
Asturis figura in Cornelio. p.186.
Attritus lapis, & ejus color. p.52.
Augusteum, quis lapis, ejus color, & unde sic dictus. p.54.
Avis figura, quæ in ore folium tenet, in lapide parangoni. p.175.164.
Aurigæ imago, & ejus vis. p.155.
Auripigmentum. p.104.
Aurum quomodo generatur in visceribus terræ. p.297.
Aurum virginale ridetur 221. novum conficere licet difficile, tamen non impossibile, 291. experimentum ad id 222. si una pars transformatur, transformari & aliæ possunt. p.224.
Aurum potabile, p.226.
Aurum ignitum occæcat oculos. p.286.
Auri sympathia ad Solem 283. ejus pulvis ad eum accenditur, p.288.
Authores qui de Lapidibus scripserunt, 188. vide Nomina.

B.

Babylonensium lapis, p.97.
Balanites lapis, & ejus species, p.60.
Balasius lapis, ejus color ac virtus p.74. ex ardentium genere, p.57.
Balemis opinio de Sympathia Metallorum ad Planetas. p.256.
Basiliscí figura, p.162. pugnantis cum Dracone, ibid. & 174.
Basiliscí ac Syrenis maris imago. p.174.

Bazanites sive Basaltem lapis, ejus color, ac proprietates. p.60.
Beloculus lapis, Deo Belo dicatus à Syriis & ejus proprietas. p.60.
Berillus lapis, ejus color, species, & proprietates, p.57.58.
Bezoar lapis, ejus color ac proprietas. p.59.
Bolus Armenus cur inter lapides numeretur, & ejus proprietas. p.59.
Bonus quis sit censendus. p.372.
Borax lapis, & ejus species ac proprietates. p.58.
Bronia, lapis. p.57.
Bruta nobis temporis seu aëris mutationem ostendunt. p.40.

C.

Cæti figura, & ejus virtus. p.152.
Calaminaris, lapis, p.71.
Calcedonius, sive Calcedon lapis, ejus color, species ac proprietates. p.61.
Calchophanus, lapis niger, & ejus proprietas, p.89.
Galcitis. p.72.
Caldaicus, sive Gallayca, lapis, cius color, & ubi reperiatur. p.69.
Caliditas in Planetis quomodo accidat, p.318.
Calorites, & ejus proprietas, p.70.
Cambnites lapis, Kbrates aliter, p.70.
Cameli capitis imago in Onyce, p.26.
Camites lapis, p.34.
Canis imago ac proprietas, p.154.

Canis alabor figura, ac virtus, p.153.
Canis leporini figura in berillo, p.182.
Capitis hominis cum longa barbara imago in Adamante, p.281.
Capitis humani figura in Saphiro, p.205.
Capitis & colli figura in viridi Jaspide, p.173.
Caprarum duarum figura inter myrti arbores in Onyce. p.206.
Capricorni signum in Cornelio, p.181.
Caprioli fontis canales lapidificari soliti, p.12.
Carbunculus lapis idem, quod Antrax, ejus species, color ac proprietates, p.60 61.
Carcina, p.72.
Caristeus lapis, p.71.
Cassiopeja, ejus imago ac proprietas, p.150
Catel, lapis, p.75.
Catimia, lapis, p.111.
Catochites, lapis ubi reperiatur, & ejus virtus. p.69.70.
Causæ secundæ quomodo influunt. p.308.
quomodo concurrunt ad productionem, p.304.
accidentia ex suis qualitatibus non sentiunt, p.306.
Celonia, p.93.
Celonites, seu Celontes, ejus genera ac virtutes, p.66.67.
Centauri imago, & ejus virtus, p.153.
Cephalicus lapis unde sic dictus, p.87.
Cepheus, ejus figura ac vis p.150.

Cepionidus p. 71.
Cepocapites seu Cepites, ejus color ac proprietas, p. 70.
Ceraunius, seu Ceraulus lapis, ejus forma, genera ac virtutes, p. 67.
Cervi figura, p. 161. 222. in Jaspide 183. 169. in calcedonio, p. 182
Chael signorum insignis sculptor, p. 159.
Characteres signare impossibile, p.
Characteris veri descriptio, 484. & qui sunt veri Characteres, p. 386.
Chelidonius lapis, ejus color, ac virtutes variæ p. 62. & quando haberi possit, ibid.
Chemites lapis, & ejus virtus, p. 69.
Chrisanterinus lapis, p. 69.
Chrisites, p. 72.
Chrisoberillus, p. 72.
Chrisocollus, ubi reperiatur, & ejus proprietas, p. 69.
Chrisolensis, p. 65.
Chrisoletus, Chrisolemus, seu Chrisolensis unde dictus, ejus species ac proprietates, p. 72.
Chrisolitus, ejus species ac virtutes, p. 66.
Chrisopilon, p. 72.
Chrisopis, p. 72.
Chrysoprasius, lapis, & ejus color, p. 71.
Chrisoprassus sive Chrisopressus, unde sic dictus, & ejus virtutes, p. 69.
Chrysopteron, p. 72.
Chymicum Elogium pulcherrimum, p. 248.

Cime-

Cimedia, lapis, ubi reperiatur, ejus forma ac virtus, p.68.
Cimilianitus, p.72.
Coaspis, p.71.
Cœlos esse corpora animata rationibus probatur, p. 314.
Cœlum, animal sensibile. p. 313.
Cœlum mas, Terra fœmina, quomodo intelligatur, p. 321.
Cogolites, seu Cegolites lapis, ejus color ac virtus, p.67.
Colores extremi, albus & niger, p.22.
Colores medii quomodo in lapidibus cauſentur, p.22.23. & seq.
Colores varii quibus lapidum nomina ex inspectione sola cognosci possunt p.37. seqq. septem 189.
Colores lapidum essentiales, p. 191. qui nam ad Planetas spectant, & quare ibid. quomodo omnes in Opalo intelliguntur 192. valent ad visionem oculorum, p. 251.
Corallus, ejus magnitudo, species, ac virtutes, p.63.
Coroanus, p.72.
Corintheus ex marmorum genere, p.71.
Cornelius sive Corneolus, ejus color ac proprietas. p.64.
Corneolus, Jovis lapis, quomodo eligendus, p.201.
Corneolus lapis Jovialis, 328. de semiopacis lapidibus, 327. lapis Imperatorum, 328.

328. cur partum accelerat & conservat ibid. cur somnia vera facit 329. cur sanat infirmitates coxarum & femorum, p. 330
Cornutæ figura, p. 161.
Cornuti animalis figura, p. 172.
Coronæ imago, & ejus virtus, p. 149.
Coronæ australis figura, & ejus proprietas, p. 155.
de Corporis & animæ unione pulchrum experimentum, p. 313.
Corpora cælestia quomodo juvant terram, p. 323.
Corvia, sive Corvina, p. 68.
Corvina, lapis, ubi reperiatur, & ejus proprietas. p 70.
Crapondinus lapis, p. 76.
Crapundius. p. 94.
Cristallini lapides in Boemia, p. 213.
Cristallum, lapidis genus, quomodo induretur, ubi reperiatur, & quibus virtutibus sit præditum, p. 64.
Cristallum in hexagonam figuram tendens perfectissimum 211. negatur & probatur non esse aquam congelatam 212. quomodo eligendum 213. & qua ratione bonitas ejus experimento probanda. p. 214.
Cristallum, Lunaris lapis 211. 359. quomodo de eo efficiantur instrumenta pro lumine Lunæ 361. ejus viginti quatuor proportiones, p. 363.
Crocus Martis optimus ad dysenterias sanandas, p. 332.

Crœsus sculptor eximius, p.167.
Crux verus Character, p.387.
Crucis sculptæ in jaspide figura, p.169.
Cygnica, sive Cyaneus, p.71.
Cygni figura ac proprietas, p.150.
Cysteolitos. p.69.

D.

DÆmonius lapis, ejus colore ac proprietas, p.72.
Delphini imago, & ejus proprietas, 199.
Dentrites, p.95.
Deus quid ex Orpheo, p.39.
Dei nomina in Ceraunio, p.158.
Diacodos, sive Diacodus, ejus color ac virtus, p.73.
Dionysia, ejus color ac proprietas, p.72.
Doctus lapis, p.74.
Doriatides ubi reperiatur, & ejus virtus, p.74.
Draconis formidolosi imago in Rubino, p.177.
Draconis vultus habentis duo capita in cristallo, p.232.
Draconites, ejus color ac proprietas, p.73.
Draconius, p.74.
Drome, p.87.
Drosolitus, p.74.

E.

Echidnes, lapis. p.103.
Echistes, p.79.
Effestis, seu Effestites, p.79.
Egyptilla, p.78.

Elebron, p. 105.
Electruon, p. 102.
Elementa, prima corpora, ex quibus fiunt alia corpora, p. 1. 2.
Elementorum unio ſumma in homine, p. 402.
Elitropia ſive Elitropus, ejus color ac proprietates, p. 74.
Elopſites, p. 79.
Emathius ſive Emathites unde dictus, ejus color, ſpecies, p. 98. 99.
Emetrem, lapis, p. 78
Emites, lapis, p 78.
Enydros, ſive Ethyndros, unde dictus, ejus color ac virtus, p. 77.
Epiſtrides, ſeu Epiſtrites, ejus color, ac proprietas, p. 77.
Equi figura in Jaſpide, p. 183.
Equi gerentis ſupra dorſum crocodilum, figura in jacinto albo. p. 171. ſpummatis ac gerentis virum cum ſceptro in manu, p. 225.
Equi ſpumantis figura in Ematite. p. 171.
Equi imago habentis crocodillum ſuper ſe in jacintho. p. 210.
Equi alati figura, p. 180. & ejus virtus, p. 2351.
Equi alati figura integra in Achate. p. 244.
Eſtimion, ſive Exmiſſion, p. 78.
Ethides, ſive Endes, ejus color, figura, ac proprietas, p. 76.
Evantus, p. 141.

Eumetis. p. 78.
Eunophius, p. 78.
Exacolitus, & ejus virtus. p. 77.
Exebonos sive Exebenus, ejus color, ac proprietas. p. 78.
Execonthalitus, & ejus virtutes. p. 78.

F.

Falcones, & ejus virtus. p. 79.
Falconis imago in Topatio. p. 156.
in Cornelio. p 244.
Fascinatio non solum in hominibus, sed etiam in brutis. p. 39.
Ferri Præparatio secreta. p. 287.
Ferri sympathia ad Martem, p. 280.
in Ferro a Magnete imbuto attractio diversa p. 243. ejus qua parte imbuitur contradicto, p. 355.
Filaterius, & ejus color ac proprietas, p. 79.
Fingites, ejus color ac virtus, p. 79.
Fixationis Mercurii experimentum p. 312.
periculosum p. 319. melius. p. 317.
Flavus color unde in lapidibus perspicuis, p. 23.
Fœminæ imago habentis in una manu avem, in altera piscem. p. 171. 172. 169.
in una speculum, in alia ramum. p. 227.
Fongites lapis, ejus color ac proprietas. p. 79.
Forma quid. p. 45.
Formicæ figura trahentis spicam seu granum, p. 185.

Fragulæ figura cum ramo olivæ in ore. p. 172,
Franciſcus Nichinus Ferrarienſis ſculptor egregius. p. 168.
Franciſcus, Bononienſis, aliter Fraza, ſculptor itidem clariſſimus. p. 168.
Frigius, & ejus color ac proprietas. p. 79.
Fuſio Metallorum quid ſit. p. 311.

G.

Gagates, unde ſic ductus, ejus ſpecies ac proprietates, p. 83.
Galadicem, p. 84.
Galactides, ſive Galaricides. p. 81.
& ejus miræ virtutes apud Magos, ibid.
Galatides, ſive Galactica, ſeu Gelacia, p. 82.
Galaxia, p. 84.
Galbates. p. 105.
Galgatromeus. p. 106.
Gallerica, p. 84.
Galli imago in Achate. p. 239.
Galli figura tenentis in roſtro coronam, p. 185.
Galli cantu ſuo diſtinctionem horarum diei nobis indicant, p. 40.
Gallinaceus lapis, vide Alectorius.
Gallinæ figura, p. 150.
Garamantica. p. 84.
Garamantides, p. 84.
Garatides. p. 107. 108.
Garatronicus, & ejus utilitas, p. 106. 107.
Gaſidana, p. 84.

Gelacides, p. 82. 83.
Gemmæ qui nam lapides proprie dicantur, p. 3.
quomodo cognoscantur num naturales sint an artificiales, p. 22. 23. 24. 25.
Gemmæ diversæ simul junctæ repertæ. p. 312.
Gerades, p. 84.
Glosopetra, p. 84.
Græci rejectis Ægyptiorum figuris alium sua secreta occultandi modum repererunt. p. 552.
Graffites, p. 105.
Granatus, lapidum ardentium genus p. 80. & ejus species, ac virtus, p. 105.
Griffonis figura in Cristallo, p. 157.
Grisoletus, p. 84.
Grogius. p. 84.

H.

Hammochrisos. p. 85.
Hamonis lapis sacer, ejus figura ac proprietas, p. 85.
Herculis imago, & ejus vis. p. 180.
Herculis figura tenentis in dextra clavam. pag. 149. 150.
Hexaconta, lapis, p. 101.
Hierarcites, p. 85.
Hirci figura in calcedonio, p. 240.
Hirundinis imago in Celonite. p. 158.
Homo cælesti forma ornatus, p. 40.
Hominis bene ornati imago in Cornelio. p. 206, 207.

Hominis cum enſe in manu figura in Cornelio, p. 184.
Hominis armati imago in magnete. p. 162.
Hominis figura ſedentis poſt aratrum cum longa barba, &c. p. 159.
Hominis imago habentis ad collum clypeum &c. in jaſpide rubeo. p. 210.
Hominis figura ſedentis, ac mulieris ſtantis ante eum, in Cornelio. p. 171.
Hominis ſedentis cum accenſa cande la in manu imago in Chryſolito. p. 211.
Hois flexis genibus ſurſum reſpicientis figura. p. 161.
Hominis armati habentis ſupra dexteram crucem cum ſtellis figura, p. 213.
Hominis nudi inflati figura, in gagate. p. 174. 163.
Hominis figura habentis caput bovinum, p. 163.
Hominis ſtantis, ac magnæ ſtaturæ imago in diadoco, p. 163.
Hominis figura tenentis faſciculum herbæ appenſum collo, p. 163.
Hominis figura habentis vultum leonis, &c. in criſtallo, p. 164.
Hominis ſedentis ſuper Aquilam figura in efeſtide ſeu criſtallo. p. 165. ſuper equum in pyrite, p. 166. ſuper piſcem in lapide rubeo ibidem.
Hominis nudi ſtantis, & a dextra puellam ſtantem habentis figura, p. 166.
Hominis imago tenentis in manu flores. p. 166.

Homi-

Hominis barbati figura habentis vultum longum p. 167. 219. tenentis falcem in manu p. ibid. gladium, ac sedentis supra draconem, ibidem. stantis ac tenentis mucronem in manu. p. ibid. 195. habentis in manu palmam. p. 168.
Hominis imago, habentis scutum insinistra, in jaspide p. 168. habentis fasciculum herbæ in collo, ibidem. palmam inscriptam in manu p. 168.
Hominis sedentis super aratrum figura, &c. p. 223. habentis clypeum pendentem collo 224. sedentis, & mulieris stantis ante eum habentis capillos extensos usque ad femur, ibidem.
Hominis flectentis genua imago in Turchesia 226. arantis. p. 227.
Hominis nudi inflati & coronati imago. 228. stantis cujus caput sit bovis, &c. 174. 229. erecti ac magni, ibid. stantis, habentis humeros magnos p. 175.
Hominis litigantis figura, 238. volentis instrumentis ludere ibidem. in simullitudine mercatoris, p. 239.
Hominis sublimati figura, 171. armati cum ense in manu. ibid.
Hominis cum ense in manu imago 184. armati in equo cum lancea ibid. tenentis laurum seu palmam in manu 168. interficientis leonem. ibidem.
Hominis alati figura habentis sub pedibus serpentem, 243. cum hircino capite loco sui, ibidem. Hor-

Horcus, lapis niger. p. 85.
Hormesion, p. 85.
ex Humoribus quatuor quid resultat, p.
Hyena, lapis precios us unde sic dictus, & ejus proprietas, p. 85.
Hysmeri. p. 85.

I.

Iacinthus, ejus tres species, ac proprietates, p. 85. 86. 85.
Jacobus Taglicarne, sculptor eximius, p. 168
Jaguntia, p. 89.
Jaspis, ejus color, species ac virtutes. p 87.
Idæus lapis, p. 88.
Ideæ omnium compositorum à Platone constitutæ, p. 42.
Jerarchites, p. 89.
Imagines in lapidibus tripliciter sculptæ, 171. 172. & earum virtutes 175. 176. & seq.
Imagines sculptæ in lapidibus quomodo dicantur habere effectum. p. 185. 186.
Imagines quæ similitudinem habent constellationum cœli, & ad quid valeant, p. 148. 149. & seqq.
Imagines Magicæ quæ à Ragiel positæ sunt, p. 155.
Imagines seu sigilla Chael, p. 159.
Imagines seu sigilla Thetel, p. 168.
Salomonis, 170. Hermetis, 181. diversorum authorum, p. 183.
Imperatoris figura in Jaspide. p. 169.
Imperatoris imago habens caput erectum, p. 184.

Incli-

nclinatio dat difficilem regreſſum, p.369.
Indica, lapis unde nomen ſumpſit, p.88.
ndorum, Chaldæorum & Ægyptiorum vanitas ac confutatio. p. 386.
ntelligentiæ ſunt Angeli. p.390.
ntelligentiarum cæleſtium numero. p.397
oannes Maria Mantuanus clarus ſculptor, p. 168.
oannes Bellinus Venetus, ſummus pictor, p. 169.
on, p.89.
onicus quartus Noe filius Aſtrologiæ poſt diluvium reſtaurator, p.351.
oſephi opinio de Metallorum ſympathia cum Planetis, p.337.
ovis natura, p.89.
ovis gemma, p.115.
ovis figura quid poſſit, & quomodo ſculpatur in lapide, p.191.
ovis figura in jacintho, p.164.
ris lapis, ejus figura, color ac proprietas, p.88.
ſciſtos, ſeu Iſcuſtos, p.88.
ſraelitici primi ſculptores, p.166.
udaicus lapis. p.89.

K.

Kabrates, ſive Kakabres, lapis, ejus color ac virtus, p.89.
amam, ſive Kakamam, p.89.
arabe, idem quod Succinum, p.89.
brates, p.91.
enne, p.89.

Kime-

Kimedini limphatici, p. 90.
Kimedius, p. 95.
Kinocetus, p. 116.

L.

Lacteus lapis. p. 92.
Lampadis figura in cristallo, p. 238.
Lapis mirabilis ex Ametisti pulvere, p. 438.
Lapis e nubib. cecidit in Lombardia, p. 10. in parte Thraciæ ibid.
Lapides in duplici genere secundum Albertum. p. 3.
Lapides cur non fluxibiles, cum aqueo abundent, p. 7.
Lapides duobus modis fiunt secundum Aristotelem. p. 7.
Lapides quibus in locis ut plurimum generantur, p. 8. seqq.
Lapides rubei. p. 22. flavi, virides, ac variorum colorum, p. 16. seqq.
Lapides falsificati quibus cognoscantur modis, p. 22. 23. & quibus naturales p. 24. 25.
Lapides nullam virtutem supranaturalem habere. p. 261.
Lapides habent idem principium cum Metallis. p. 327.
Lapides habere vim vegetandi, p. 394.
Lapidum principia quæ, & qualia. p. 1. seqq.
Lapidum quænam causa effectiva seu generativa. p. 5. seqq.
Lapidum quænam forma substantialis p. 7. seqq.

Lapidum perſpicuitas ac opacitas, ac eorum colores unde, p. 16. ſeqq.
Lapidum mala ac bona compoſitio, p. 13. ſeqq.
Lapidum accidentia varia, p. 13.
Lapidum gravitas & levitas, denſitas ac ponderoſitas unde, p. 21. 22.
Lapidum ardentium ſpecies duodecim, ſed quinque præcipuæ, p. 79.
Lapidum generationis cauſa in terra, & extra terram, p. 329. in animalibus, p. 330.
Lapidum ſculpturæ, ac imagines diverſæ p. 171. 172. & ſeq. usque ad finem lib. 3.
Lapidum ſeptem ſelectorum ad ſeptem Planetas relatio. p. 255.
Lapidum ſeptem ſelectorum ſympathia generalis ad Planetas, p. 390. particularis, p. 417.
Lapidibus an inſint virtutes, p. 27. 28. 30. unde & quomodo p. 31. 32. 33. ſeqq.
Lapidibus unde durities ac mollities eveniant, p. 19.
Lapidibus effectus tantum naturales procedunt 477. ſupranaturales inſtrumentaliter aliquando in eis apparent 480. quæ occultæ cauſæ in eis. ibid.
Lauraces lapides, p. 93.
Lazolus lapis, p. 93.
Leonardus Mediolanenſis ſculptor egregius, p. 168.
Leonis bene formati figura in Granato, p. 156-239. in Jaſpide, p. 157

Leonis vultus in cristallo, p.177.
Leopardi figura, & ejus proprietas. p.211.
Lepidotes, p.93.
Leporis imago, & ejus virtus. p.201.
Leporis imago in jaspide p.183.184.168.245
Leucochrysos, p.92.
Leucoptalmus, p.91.
Leucostyctos, p.93.
Ligdinus lapis, p.93.
Lignites, ejus color ac virtus, p.93.
Ligurius, & ejus proprietas, p.92.
Limacie, ejus color ac proprietas, p.91.
Limoniates, p.92.
Limphicus, p.93.
Lippares, seu Liparia lapis Lybiæ, & ejus virtutes, p.91.
Lisimachus ex marmorum genere, p.92.
Litos seu Magnes, p.93.
Locusta marina in Berillo. p.184.
Luna vires recipit a cæterisPlanetis, p.385
Luna producit æstatem & hyemem, p.468.
Lunæ imagines variæ, & earum virtutes in lapidibus, p.147.
Lunæ in aquis demonstratio p. 462. virtus in inferioribus, p.467.
Lunarius lapis, p.93.
Lupi figura in Iaspide p.223. 222. 240.
Lychinus, sive Lychinites, ejus color ac proprietas, p.90.
Lychniten, marmoris genus, p.93.
Lyncis lapis, ejus color & proprietas, p.90.
Lyncurius, ubi reperiatur, ejus species ac proprietates. p.90.

M.

Maculæ in Luna quænã insint, p. 299. 300
Magiæ falsæ usus a quo. p. 384.
Magiæ naturalis tres ordines. p. 378.
Magiæ veræ descriptio, p. 378.
Magiæ sacræ descriptio & encomia. p. 378.
Magnasia, sive Magnesia. p. 102.
Magnes, ejus genera ac virtutes. p. 99. 102.
Magnes ferrum trahit. p. 36.
Magnes Mercurii lapis, quomodo eligendus p. 99. non est Metallum ibid. non recipit virtutem à Planetis ibid. habet sympathiam cum Mercurio, 205. cur ferrum trahit ibid. & de hac attractione impugnata opinio. ibidem.
Magnes habet virtutem communicativam non solum per contactum, sed per diffusionem, p. 208. virtus ejus non semper eadem. 209. ab una parte attrahit, & ab altera expellit p. 210. attrahit medio vitro, ligno, cæterisque corporibus ibid. in Alba & Italiæ Insula perfectissimus invenitur p. 210. in montibus item Æthiopiæ ibid. & quinam requiratur ad experimentum a Porta faciendum ibidem.
Magnes, Mercurii lapis 242. cur alium magnetem trahat 244. cur in minerisMetallorum reperiatur ibid. unde communicat suam virtutem 345. quid requiritur ut se aliis communicet 346. cur ejus partes ad idem punctum semper respiciunt 347.

347. cur Orientales pollent cæteris 348. locus nil valet, sed virtus loci ibid. cur partes ejus oppositæ sibi contrariantur 351. non semper polum precise ostendit, p. 352.
de Magnetis virtute nova Hispalensis cujusdam opinio 352. & quomodo ea debilitata senio reparanda sit, p. 353.
in Magnete quomodo centrum reperiatur 354. demonstratio nova de eo, p. 356.
Malachites, ejus species, ac virtutes, p. 98.
Marchasitarum species variæ. p. 102. 103.
Margarita, prima inter gemmas candidas & quomodo procreetur p. 93. 94.
Margaritarum binæ species, p. 94.
& earum virtutes, p. 95.
Marmor lapis notissimus, & ejus varia genera, p. 96.
Martis armati figura 180. cum lancea ibid. in Saphyro, p. 282.
Martis imago qualis, & quid valeat in lapide sculpta, p. 192.
Medeæ lapis, ejus color ac proprietas, p. 103
Medus lapis, ejus color ac proprietas, p. 124. 125.
Melites, p. 103.
Memphitis lapis unde sic dictus, & ejus proprietas, p. 98.
Mercurius cur alatus cum Caduceo pingatur, p. 347.
Mercurius pro vivo Argento: vide Vivum Argentum.

Mercurii figura qualis, & ejus virtus. p.193.
Metalla quomodo generentur, p.293.
Metallorum septem cum septem Planetis convenientia, p.195.
Metallorum sympathia ad Planetas. p.255. Balemys opinio de ea rejicitur 215.256. Josephi item 258. Syrani Caldæi cum sequacibus. p. 261.
Metallorum virtus in Medicina, p.376.
in Metallis nullæ virtutes magicæ, p. 376.
Militis super equum currentis imago, p. 172.
Mineralia duplicia, fluxibilia, & liquefactibilia, p.2.
Mineralium sympathia ad lapides, p.249.
de Mineris aliqua, p.254.
Mirites. p.98.
Mitridax. p.103.
Mixta magis abundant terra & aqua, quam reliquis duobus elementis, & cur, p. 2.3.
Morion, Cypricus ac Gallicus lapis, p. 103.
Motus cæleſtis 313. non eſt accidentalis, p. 314.
Motus ſtellarum diverſus p. 314.
de Motibus cœlorum, p. 316.
Mulieris figura imaginem habentis in una manu. p.161.
Mulieris ſedentis cum tuba ſuper equum figura, p. 61.
Mulieris in ſuperiori parte in inferiori Piſcis figura in jacintho, p.162.

Mulieris imago habentis crines sparsos, &c. in jacintho seu cristallo, p. 165.
Mulieris figura habentis crines sparsos vel mamillas nudas, p. 165.
Mulieris sedentis figura cum corona in folio, p. 285.
Murilagæ figura in granato, p. 239.
Murina, ejus color, & usus in vasis fabricandis, p. 97.

N.

Nassonites, p. 104.
Natura potius admirari, quam percipi desiderat, p. 207.
Navis imago ac virtutes, p. 200.
Nemessitis. p. 104.
Nicolus lapis, ejus color ac proprietas, p. 104.
Nicticoracis imago. p. 184.
Nigrum undenam causetur, p. 18.
Nitrum quomodo producatur, & ejus virtus p. 103.
Nodositates cur in lapidibus aliquando apparent, p. 4.
Nomina omnibus rebus particularibus ab Adamo imposita, p. 269.
Nomina omnium Doctorum qui de lapidibus olim scripserunt. p. 36.
Nosa lapis, p. 76.
Nose, seu Nisus, p. 104.
Numerorum armonia mirabilis ex ametisti sympathia. p. 341.

O.

Obsianus lapis, p. 95.
Obsius sive Obsianus, p. 106.
Obtalius, sive Obtalmius, & ejus mirabilis virtus, p. 106.
Okitokius, & ejus virtus, p. 108.
Olea, lapis, p. 108.
Ombria, p. 108.
Onagri lapis, p. 108.
Onicinus, p. 105.
Onix, ejus color, species, ac proprietates, p. 104. 105.
Opalus, ejus colores, ac miræ proprietates, p. 105. 106.
Opalus, num lapis vel gemma. p. 247. ejus virtutes ac proprietates p. 246. mirabilia in illo apparent, p. 247.
Opalus bonus & non bonus quomodo distingantur. p. 188. ejus historia, p. 188. virtus ad oculorum sanitatem. p. 253.
Ophicardelon, p. 108.
Ophites, & ejus species ac virtutes, p. 106.
Optalius, p. 120.
Orfanus lepis unde sic dictus, p. 106.
Orionis imago, ac ejus proprietas. p. 200.
Orites, ejus species ac proprietates, p. 106.
Ornicus, p. 108.
Ostracites, p. 106.
Ostratias, p. 107.

P.

Panconus, lapis. p. 111.
Panthera, lapis, ejus colores, & virtutes, p. 109.

Pa-

Parabolæ ac ſymbola de Metallis, p. 271. 272.
Parangonius lapis duplex, p. 112.
Pauli raptus, p. 384.
Pavonis imago, p. 112.
Pavonius lapis. p. 112.
Peantes, ſeu Peantides, & ejus virtus, pag. 109. 110.
Pegaſus, ejus figura ac proprietas, p. 171. 180.
Pentaura lapis, non reperitur, p. 189.
Perſeus, ejus figura ac proprietas, p. 198.
Perſpicuitas quid. p. 16.
Petrus Peruſinus, egregius pictor, p. 128.
Pheonicites lapis, p. 112.
Philoginos, p. 112.
Phrygius lapis, ejus ſpecies ac virtutes. p. 110.
Pictores eximii tam antiqui quam moderni p. 128.
Pirgoteles, ſummus ſculptor, p. 129.
Piſcis imago ac virtus, p. 199.
Planetæ cur & quomodo dicantur inclinare p. 372.
Planetarum quænam vires ad productionem p. 300.
Plumbi præparatio ſecreta, cap. 7. ſymp. ſympathia ad Saturnum, p. 272.
Podros, ex gemmis candentibus p. 111.
Pontica gemma, & ejus ſpecies, p. 119.
Porphirites marmoris ſpecies. p. 111.
Præconiſſus lapis p. 111.

Prassius lapis, ejus species ac proprietates, p. 108. 109.
Protogenes, egregius pictor, p. 128.
Puellæ imago in cristallo. p. 181.
Puellarum trium imago in Berillo. p. 182.
Pumex, lapis omnibus notus, p. 112.
Punicus lapis, ejus species ac virtutes, p. 111.
Pyrites unde sic dictus, & ejus proprietates, p. 110

Q.

Quaidros, p. 112.
Qualitatum diversitas armoniam demonstrat, p. 307.
de Qualitatibus Planetariis, p. 305.
Quirinus, sive Quirus, lapis præstigiosus p. 112.

R.

Rabri, lapis, p. 113.
Radaim, lapis niger, ubi reperitur, & ejus virtus, p. 112.
Ragiel insignis imaginum sculptor. p. 28.
Rami, lapis, p. 146.
Ranæ figura in Berillo, p. 157.
Ranius, lapis, p. 113.
Rubeus color unde in lapidibus perspicuis evenit, p. 17.
Rubinus, lapis ardens, p. 79. species carbunculi, p. 113.
Rubith, lapis ardens. p. 79.

S.

Sacrarii figura, & ejus proprietas, p. 202.

Sagada, sive Sadda, p.120.
Sagittarii imago in Jaspide, p.157.
Sal qua via à Saphiro habeatur, p.435.
Samius lapis, & ejus virtus, p.119.
Samothratia, p.121.
Sanctus lapis, p.122.
Sandastros, sive Sadasius, p.120.
Sanguineus lapis, p.121.
Saphirus, ejus color, species ac virtutes, p. 113. 114. 115. quomodo eligendus, 202. lapis Solaris, & cur, 265. 333. amat castos, 434. mas & fœmina ibid. quomodo in Adamantem vertatur ibid. cur præest cordi 435. qua via sal ab eo habeatur ib. utilis ad cordis hilaritatem & sanitatem ibid. antraces curat, p.36.
Sarco fagus lapis, unde sic dictus, & ejus apud antiquos usus, p.120.
Sarda, sive Sardius. p.122.
Sardius, sive Sarda, ejus color, species, ac proprietates, p.117.
Sardius, Imperatorum lapis, p.117.
Sardonix, sive Sardonius, & ejus virtus. p. 118.
Saturni figura quæ & æqualis, ejusque virtus. p.146.
Scalæ naturæ descriptio, p.485.
Scorpionis ac Sagittarii figura ad invicem pugnantium, p.212.226.
Sculptores primi lapidum quinam fuerint p. 128.129.

Sculptura de sigillis lapidum, paucis hodie cognita, p.127.128.
Sculpturæ planetarum in lapidibus, quid valeant, p. 191.192.
de Sculpturis lapidum non Astronomicis, & quomodo in earum cognitionem devenire possumus, p.141.
Sedenec, lapis, p.122.
Selenites lapis, p. 121. ejus color, species ac virtutes, p.118.
Semen in terra à Cœlo, p.414.
Semen humanum quomodo agat in generatione 233. & quæ ad eam concurrant. 254. extra matricem utrum possit generare, p.237.
Senochitem, p.157.
Senochites, p.122.
Serpentarius, ejus imago ac virtus, p. 151.
Serpentinus lapis, p.161.162
Serpentis figura, & ejus vis, p.202.
Serpentis figura, habentis supra dorsum virum p.231.232.
Siderites, p.118. 121.
Sifinus, p. 121.
Sigilla varia in diversis lapidibus sculpta, vide Imagines.
Signa primæ triplicitatis, p.143.144. secundæ 144. tertiæ 144. quartæ 145.
Sinodontides, p.122.
Sirites, p.118
Smaragdus, & ejus diversa genera ac proprietates, p. 114.115. quomodo eli-

gendus, p.202. lapis Martialis, & cur 201
331. cur sanat dysenterias, 332. & quomodo maculæ ejus reparentur. p.334
Smeriglius p.111.
Smirillus, ejus color ac usus, p.119.
Sol Planetarum armonia 260. ejus virtutes in terra 307. cur medius Planetarum existat, p.338.
Solis gemma, p.120.
Solis virtus non deficit ex se. p.309.
Solis figura in lapide quid possit, p.192.
Specularis lapis, p.122.
Sperma animalis quid, p.5.
Spicæ figuræ, p.236.
Spinella, lapis ardens. p.121.
Spiritus in animali quid sit 236 unde generatur, & quomodo vires paulatim acquirit ibid. non anima, sed vehiculum illius 217. esse corporeum duobus experimentis probatur. p.ibid.
Spongius lapis, p.122.
Stanni præparatio secreta, p.219.
Sympathia ad Jovem. p.276.
D. de Stella quid de Sympathia metallorum ad Planetas sentiat, 263. eam ad Medicas artes accommodavit. p.368.
Stuxites, p.121.
Succinum, ejus color, inventio, species ac virtutes, p.116.117.
Sulphur & vivum argentum ad operationem tendunt, p.393.
Sympathia quid est. p.372.

Syrani Chaldæi opinio de Metallorum sympathia ad Planetas. p.261.
Syrenis figura, p.213. cum basiliſco, p.228.
Syrius lapis, p.119.

T.

Talc, Alchimicus lapis. p.123.
Tartis, p.124.
Tauri imago in Praſſio. p.158. in Magnete, p.239.
Tegolitus, p.124.
Telitos, p.124.
Terra recipit omnes qualitates. 371. & ratio cur diſtet à cœlo 318. eſt immobilis 319. quomodo concurrat ad productionem 320. & qui ſint ejus filii. p 322.
in Terra nulla res quæ ſuum ſydus in firmamento non habeat. p.335.
Thetel inſignis lapidum ſculptor, p.128.
Thirſitis, p.123.
Trachius lapis. p.123.
Trapendanus, p.124.
Tubalcain cognovit eſſentiam Metallorum, p.270.
Topatius, ſive Topaſion, ejus color, ſpecies, ac proprietates, p.122.123.
Turchion, ſive Turqueſia, ejus color ac proprietas, p.123.
Turcheſia, quomodo eligenda, 200. cur ſit lapis ſaturninus, p.323. cur frangatur, 325. ejus ſympathia cum Saturno probatur experientia Camelorum. p.326
Turturis figura in parangone. p.229.

Turturis marini imago in lapide nigro. p. 215.

V.

Varach, lapis, & ejus virtus, p. 124.
Varietas colorum in lapidibus unde, p. 20.
Vatrachius, p. 124.
Vejentana Italica, p. 124.
Venatoris figura, p. 211. in jaspide, 222, 243
Veneris imagines variæ, & earum virtutes, p. 192.
in Venere & Mercurio non esse oppositionem ad Solem, p. 317.
Veneres duæ, p. 290.
Vernix lapis, & ejus virtus. p. 124.
Vespertilionis Imago in Elitropia, p. 206
Vexilli imago, & ejus proprietas. p. 203.
Virginis figura in cristallo 181. cum veste profusa in jaspide, p. 169. stolatæ figura in jaspide. 184. tenentis in manu laurum, ib.
Viri juvenis figura tenentis in capite coronam 45. sedentis super piscem 176. barbati tenentis florem in manu ibidem.
Viri stantis ac tenentis falcem figura, 171. stantis supra draconem ac tenentis gladium in manu 177. equitantis ibid. habentis loricam indutam 178. nudi & cui fit puella nuda a dextris. p. 178.
Viri barbati figura habentis longum vultum & curata supercilia 178. 179. tenentis in manu mutationem, p. 179.
Viriditas unde in lapidibus. p. 18.

Virites,

Virites, p.124.
Virtutes inferiorum omnium unde ex Hermete & aliis Astronomis. p.42.43.
Virtutes figuram sculptarum in lapidibus num virtutem particularem lapidum dearticulant, & num earum effectus ævo totaliter deperdatur, p. 175. 176. & seq.
Virtutes quomodo in Imaginibus dicantur universales, & quo modo particulares seu significatinæ virtutum lapidum, p. 181. 182. 183.
de Virtutibus lapidum opiniones variæ p. 32. 33. & quomodo aut undenam eæ lapidibus insint p. 33, & seq.
Visio quomodo fiat. p. 38. 39.
Vitis figura, p. 236.
Vituli imago in Magnete. p. 239.
Vivum argentum neque metallum, neque corpus p. 229. ejus optima præparatio p. 230. impugnationes & solutiones de transmutatione illius p. 231. non est idem in terra, sicut extra apparet p. 232. ejus cum semine similitudo. p. 233.
Vivum argentum in terra cum sulphure producit Metalla p. 238. extra terram alio modo disponitur ad productionem Metallorum, ibid. ejus reductio ex omni metallo. p. 239. & illusio ejus extractionis ex metallis ibid.
Vivi argenti fixatio p. 240. lapis per plumbum, ibi. congelatio per succum herbarum p. 242. alia fixatio, sed periculosa p. 243. per projectionem melior, p. 61.

Vivi argenti sympathia ad Mercurium. p. 292.
Vnio, vide Margarita.
Vpupæ figura cum dracontea herba ante se in Berillo. p. 158.
Vrsa duplex, major & minor, ac earum imagines, & proprietates. p. 148. 149.
Vrsi imago in Ametisto, p. 208.
Vrsi a serpente circundati figura. p. 236.
Vulnera ab Æte sanantur facilius quam a ferro. p. 368.
Vulturis lapis. p. 124.
Vulturis imago, p. 198. 199. in Chrysolito, p. 157.
Vulturis imago cum ramo olivæ, in Pyrite p. 161.

X.

Xiphinos lapis. p. 124.

Y.

Ydræ figura, & ejus virtus. p. 202.
Ydrinus lapis, & ejus virtus, p. 125.
Yecticos lapis, ejus color & usus, p. 125.
Ypestionus, lapis, p. 142.
Ysoberillus. p. 125.

Z.

Zarites, p. 125.
Zemech. p. 162.
Zeusis, pictor egregius. p. 128.
Ziaraa, color ejus ac virtus. p. 126.
Zmilaces seu Zmilanthis, p. 126.
Zoronysios, p. 126.
Zumemellazuli, p. 125.

FINIS.